

R2-598

Kassai királyi jogakadémia  
Könyvtára

Szekrény szám XVII.  
Osztályzat J.

212

110


Salma

XVII<sup>th</sup> c

III

A.H.







Carolus Franciscus Palma  
Consecratus Episcopus Colophoniensis  
in partibus infidelium Metropolitane  
Ecclesie Colocensis Propositus Maior,  
et Canonicus &c.

J. C. Mansfeld sc.

N O T I T I A

*Regia* R E R V M *Academio*

# HVNGARICARVM.

EDITIO III.

110

*Cassovia*

NOVIS CURIS RECOGNITA, ET MVLTIS CVM  
AD HISTORIAM, TVM AD IVS PVBLICVM HVNGARICVM.  
ACCESSIONIBVS LOCVPLETATA AB AVTORE SVO

CAROLO FRANCISCO PALMA,

CONSECRATO EPISCOPO COLOPHONIENSI,  
METROPOLITANAEC ECCLESIAE COLOCENSIS PRAEPO-  
SITO MAIORE, ET CANONICO, VACANTE NVNC  
SEDE, PER ARCHI-DIOECESIM COLOCENSEM IN PONTIFI-  
CALIEBUS AVXILIARI EPISCOFO, IN SPIRITALIBVS  
FICARIO, ET CAVSARVM AUDITORE GENERA-

LI CAPITVLARI

*anno*

PARS I.

*1786.*

---

PESTINI, BVDAE, et CASSOVIAE,  
Sumptibus I. M. WEINGAND, et I. G. KOEPF Bibliopolae.

Rev.

943.9

Madáček (ulovisko)

dejiny

panství - Čechy -

U. 166

616 80 550 3 03.9



Rev. 77



Okresná ľudová knižnica - Košice

Prír. č.

12798/964

Sign.

RZ-598-vl.3/5

12300-

Odb. zn.

943.9

K

LECTORI SALVTEM.

Pro eo, quo nullo non tempore ferebamur studio, ut iuuentus nostra Hungarica, ad Dei omnipotenis gloriam, summi imperantis obsequium, ac ad communem denique patriae felicitatem consiliis suis aliquando promouendam, in illis potissimum, quae huc faciunt, disciplinis exerceretur, cultiorum Europae gentium imitatione, et exemplo, vniuersam Hungariae historiam, inde a suis incunabulis, ad nostram usque aetatem, iam olim, cum in conuictu regio Tyrnauensi illustrium adolescentum institutioni praeessemus, in compendium redegeramus, eo cum delectu, ut iis, quae admirationem dumtaxat in nobis commouere solent, praetermissis, illa potius, quae ad maiorum virtutis aemulationem adolescentum animos suauiter excitent, probosque ex eisdem patriae ciues efforment, commemoraremus, quod etiam edita Tyrnauiae anno 1770. *Notitia rerum Hungaricarum* tribus voluminibus comprehensa, praestare conati sumus.

Operis huius utilitatem satis superque comprobarunt honorifica exterorum aequem, ac domesticorum eruditorum de eodem iudicia, typis etiam vulgata; magis vero illud,

quod illico non catholicae solummodo, verum etiam acatholicae iuuentutis manibus teri incepert: vt adeo distractis triennii spatio exemplaribus omnibus, idem opus nouis curis recognitum, et quantum pro exigui temporis, quod typographi nouam editionem paulo vehementius vrgentes praestituerant, angustiis licuit, emendatum, auctumque ibidem sub principium anni 1774. praelo subiicere coacti fuerimus.

Altera haec editio non minore, quam prior auiditate accepta, tanto mox numero diripi coepit, vt paucos intra annos penitus sit diuendita: quod cum patriae historiae, ea, quam nos tenuimus, methodo conscriptae, studiosiores animaduertissent, per literas, et nuncios maiorem in modum nos hortati sunt, vt ad tertiam editionem apparandam animum, manumque admoueremus. Quamuis autem et auxiliaris episcopi in ecclesia Colocensi munus, quo nos piae memoriae AVGUSTA MARIA THERESIA ante quadriennium auxit, et in Metropolitano capitulo Colocensi praepositi maioris, quam ex IOSEPHI II. AVGUSTI gratia consecuti sumus, dignitas non parum nobis temporis ex otio literario detraherent, pro ardenti nihilominus in popularium nostrorum commoda studio, non potuimus non aequis amicorum votis deferre: itaque subcisiuis horis, totum

opus ad incudem reuocare, ac denuo quasi refundere aggressi sumus, eo consilio, vt simul adolescentum institutioni, simul adultiorum usui deinceps deferuiret.

Hunc in finem magna eorum, quae aut obuia, aut superflua videbantur, parte inde resecta, scitu magis vtilia, ac ea praesertim, quae ad vetus ius publicum illuistrandum pertinebant, substituimus. Reperient illic lectores obscuriora quaedam sive in diplomatis, sive in legibus nostris occurserunt solita, clariore in luce esse posita, abditas plurimorum decretorum, et innovatae interdum gubernationis causas, atque occasiones summa fide, et candore explicatas, chrono ogiam denique, historiae faciem, ad coaeuorum scriptorum, et diplomatum fidem, qualicuit, diligentia exactam: vt adeo tertia haec Notitiae rerum Hungaricarum editio duabus praecedentibus multo sit locupletior, atque praestantior futura.


Fontes, quibus in opere hoc prope modum nouo usi sumus, non alii fuere, quam regum nostrorum constitutiones, magno studio cum sui temporis historia combinatae: diplomata dein, et literae publicae variis in operibus hactenus editae, ac eruditissimae demum lucubrationes, quibus doctissimi hac aetate viri diuersas historiae nostrae partes

incredibili cum successu, et utilitate illustrarunt, quorum plerosque suis locis non sine laude commemorauimus.

Scribendi ratio eadem est cum illa, qua cunctis in opusculis nostris hucusque usitauimus: plana nempe, atque placida, quam ab omni partium studio, inuidia, et odio alienus, ac solius veritatis cupidus dictauit animus, cumque lites componere potius, quam augere mens fuerit, sententias nostras a communi, receptaque hactenus opinione interdum discedentes, aut etiam graui nixas fundamento coniecturas rationum momentis firmasse contenti, ab illis, qui aliter, atque nos, sentiunt, asperius insectandis consulto abstinuimus: neque enim aut gloriae, aut regni in historia patria captandi studio, sed solius veritatis, et boni publici amore, animum ad scribendum applicuimus.

Haec paucis praefari visum est: quid reipsa tertia, atque postrema hac editione a nobis praestitum sit, quantumue haec prioribus antecellat, lector beneuole arbitrare, et vale,

*Scribebam Coloczae XX. Augusti.  
A. D. MDCCLXXXIV.*



N O T I T I A  
G E N T I L I S  
H V N G A R I A E

C O M P E N D I O E X P L I C A T A.

---

§. I.

*Hungariae regnum e variis regnis, et provinciis conflatum.*

**H**ungaria situs amoenitate, salubritate caeli, ac soli denique vbertate nulli Europae regno secunda, e diuersarum, seorsimque olim florentium prouinciarum partibus, sub exitum seculi IX. exsurrexit: ea quippe, quam transdanubianam dicimus regionem, cultior nobiliorque fuit Pannonicarum portio, multiplicibus ac hodie dum exstantibus gentis Romanae monumentis conspicua. Ager a Grani ripis Morauiam versus procurrens,

PALMA P. I.

A

Marahaniae, seu Magnae Morauiae partem effecit. Huic conterminas meridiem versus, ac subinde Carpato, Danubio, et Tibisco interceptas Hungariae plagas, Iazyges Metanastae coluere. Quod ultra orientale Tibisci litus porrigitur, partesque vna Transsiluanas, seu, ut olim audiebant, *Ultrasiluanas* complectitur, a vetere Dacia auulsum fuit, quae longe, lateque diffusa, Tyram flumen, pontumque Euxinum pro limite habuit. Regnorum horum proximi, ante Scythurum adventum, incolae fere omnes Slauicae fuere et originis, et idiomatis, qui priusquam ad constituendum sub Hungaris regnum coalescerent; ut varios dominos, ita multiplices vna vicissitudines sunt perpepsi. Has omnes recensere non est nostri instituti; illa nihilo minus paucis meminisse, non erit iniucundum, quae ad clarus, pleniusque intelligendam Hungariae Christianae historiam viam sternunt.

## §. II.

### *Hunnorum, et Auarum in Europa imperii fata.*

**V**t alia igitur omnia silentio praetereamus, iuuat repetitas semel, iterum ac tertio Scythurum irruptiones compendio enarrare: Primi omnium fuere Hunni, qui *Balamberis* regis auspiciis in Europam delati, circa A. C. 377. Pannonias Romanis vna cum 387. Dacia eripuere. *Balamberi* successit A. C. 387.

rex Charaton: hunc tertio decimo post anno, qui fuit a Christo nato 400. excepit *Vdinus*, cui *Mundfuchus*, quem domestici scriptores *Bendekutzum* appellant, A. C. 411. suffectus est. Apud hunc *Aetius* praecipuus postea Romanarum copiarum ductor, obisdis loco pluribus annis in adolescentia commoratus, scientiam militarem condidicisse fertur. Denique A. C. 434. *Bendekutzi* filius *Atila* solium Hunnicum conscendit. Sub hoc fines imperii quaquamersum feliciter sunt prolati. Non nihil gloriae magni huius principis detraxit celeberrima illa in Catalau-nicis (*Chalons*) Galliae campis, commissa cum *Aetio* Romanorum duce pugna, ex qua victo similior, quam viatori excessit; neque parum illius nomen obscurauit barbara crudelitas A. C. 451. ad Coloniam exercita, cum undecim millia imbellis turbae, quae eo securitatis caussa se receperant, seu iubente, seu conniuente *Atila*, ab eius copiis sunt imperfecta. Etsi autem *Atila* imperium Hunnicum ad summum humanae potentiae apicem adduxerit, ut nemo de illius stabilitate posset dubitare, prohibere tamen non valuit; quominus mox a morte sua, post A. C. 454. penitus interiret, quodque dolendum magis, non tam hostium vi, quam trium *Atilae* filiorum dissidiis in ruinam impulsum fuit. Prouide, sapienterque cauerat pater, ut maximus natu solium consenseret, solusque populis omnibus imperaret; obstatere voluntati huic fratres reliqui, imperiumque Hunnicum tres in partes ex aequo

diuidi contendebant; qua in partitione, cum conuenire non possent, ad arma conuolarunt, quibus postquam se se attriuissent, subiecti populi excusso iugo, pariter arma corripue-  
re, litigantibusque dominis folio, et vita exturbatis, se se in libertatem vindicarunt: ex quo intelligas verissimum esse illud ada-  
gium: *Concordia res parvas crescere; discordia maximas dilabi.* Nihilo Hunnis felicio-  
res fuere Auares e Scythia pariter oriundi, qui Pannonias a Longobardis per *Narseten* ducem in Italiam euocatis desertas, circa

568. A. C. 568. ingressi, adeo quidem breui tem-  
pore creuerant, vt orientis non minus, quam occidentis caesares tributarios haberent; ve-  
791. rum post A. C. 791. repetitis a *Carolo* ma-  
gno cladibus attriti, eo demum sunt reda-  
cti, vt Auarici deinceps imperii, aut nomi-  
nis ne fama quidem supereffet; qua e ser-  
uitute id vnum Auares commodum sunt ad-  
epti, quod potior eorum pars ad Christiana  
sacra transierint.

### §. III.

*Hungarorum, seu Magyarorum e Scythia  
egressus, et itineris ratio.*

Feliciore his omnibus usi sunt fortuna ii,  
qui patro nominis se *Magoros*, *Mogeros*,  
seu *Magyaros* appellarunt, quiique apud Grae-  
cos scriptores *Turci*, aut *Mazari* audiunt.  
Hi etenim postquam IX. seculo exeunte,  
ditiones has, de quibus agimus, non fine

sanguinis effusione, sui iuris fecerant, easdem inuicta fortitudine, et constantia, aduersus innumeros, potentissimosque hostes, ad hunc vsque diem sunt tutati; quod, qua ratione euenerit, toto hoc opere persequemur; vbi prius eorum e Scythia egressum, itinerisque, quo has in oras delati sunt, rationem descripserimus. In ea Scythiae parte, vbi *Baskiria* hodierna sita est, adeo sub id tempus aucta erat populi frequentia, ut solum non adeo fertile tantae multitudini alendae vix sufficeret. Itaque VII. praecipui gentis dynastae, videlicet: *Almus*, *Vgeki filius*, *Eleud*, *Kund*, *Ound*, *Tbosu*, *Huba*, ac denique *Tubutum* (*a*) collatis inter se consiliis, patrios deferere lares, nouasse sibi sedes alibi quaerere decreuerunt. Consilii huius fama consulto in vulgus sparsa, quam plurimos alias melioris fortunae cupiditate illectos, in eamdem pertraxit societatem. Ut adeo vniuersa emigrantium *Magyarorum* multitudo cum vxoribus, liberis, atque propinquis, non connumeratis eo lixis, et calonibus, e centum decem et octo familiis conflaretur, vicenisque plura capitum millia numeraret. (*b*) Decreto iam e

(*a*) Nomina VII. ducum, seu capitaneorum ex anonymo Belæ regis notario cap. VI. excerepsimus, quæ M. Turotzius paullo aliter recentet Cap. IV. quem certum est capitaneorum filios cum capitaneis ipsis perperam confudisse.

(*b*) Chronicon M. Turotzii Cap. II.

patria discessu, placuit quamdam regiminis formam describere, qua populus, vna ac primores toto expeditionis tempore in officio continerentur, praecipuumque illud rei communis bene gerendae fundamentum, concordia constabiliretur. Quapropter, qui ceteris aetate, ac ipsa generis antiquitate anteibat *Almus* communibus suffragiis supremus dux electus fuit, a cuius deinceps nutu, et imperio tota gens *Magyarica* bello, paceque penderet. Ne autem post eius obitum in noui ducis electione, aemulationi aliquando, et, quae hinc oriri necesse est, domesticis dissidiis locus esset, iam tum virili *Almi* stirpi hereditarium fecere principatum, id quod solennibus iuramentis, et fusfo gentili ritu, in vnum vas singulorum sanguine roboratum fuit: quo id significatum voluere, illius sanguinem effusum iri, qui summo principi obedientiam detrectare, aut illum inter, et gentem discordias ferere ausurus esset. Ne porro siue dux *Almus*, siue illius in principatu successores summa potestate abuti possent, illud quoque cautum, ut reliquis capitaneis *Almum* secutis, et eorum posteris praecipuuus semper, cum in ciuilibus, tum in militaribus dignitatibus homines haberetur, neue quisquam e *Magyaris* solius ducis arbitrio, aut vita priuari, aut in seruitutem possit redigi; nisi de perfidia, et perduellione propalam prius conuictus esset. Quia vero eo consilio e patria discedebant, vt nouas sibi terras aquirerent, solennis cum *Almo* duce pacchio inita, vt non

ipse modo , et ceteri capitanei ; verum reliqui etiam expeditionis milites , tam in spoliis bello obtinendis ; quam in terris virtute sua expugnandis , pro dignitatis , meritorumue ratione ratam singuli partem conquerentur , siveque commune fieret omnibus , quod communibus viribus suum fecissent (a). His domi prouide , sapienterque constitutis , vniuersus *Magyarorum* populus e CXVIII. familiis conflatus , pro capitaneorum VII. numero , in totidem turmas diuisus fuit , ingentique pecorum , alteriusue generis alimentorum vi secum accepta , A. C. 984. 334. arduum , ac difficile iter iniit. Post multos per ignotas , ac fere desertas regiones , errores , ad Volgae ripas primum peruentum est , quo lintribus superato , per Susudalem sem Russiæ prouinciam iter Kiouiam vsque continuatum , in cuius arcis vicinia secundum Boristenem noui hospites anno demum insequente confederunt.

## §. IV.

*Russorum prudentia in remouendis e ditione sua Magyaris*

Tam diurno itinere vix dubium est , *Magyaris* cum alia vitae alimenta , cum vero Pecora , quae secum e Scythia eduxerant ,

(a) *Anonymous* cap. V. et VI. *Chronicon M. Turotrij* P. I. cap. I.

sensim defecisse: vt adeo res ad quotidianum victum necessarias aut a Russis petere, aut si negabantur, easdem armata manu extorquere cogerentur. Kiouiensis dux subditorum calamitate paullo vehementius commotus, clareque perspiciens, si nouus hic populus diutius in agro suo hospitaretur, egenae aliquin plebis facultates omnes exhaustum iri, vicinos Susudensem, ac Nouogradensem duces, cum conterminis sibi Cumanis euocauit, sperans fore; vt eorum suppeditis adiutus, *Magyaros* e ditione sua exigeret: at secus, quam optarat, res accidit; commisso enim praelio *Magyari* summa fortitudine, & constantia pro communi salute sua dimicantes, insigni victoria sunt potiti: qua mirum quantum animati, non modo stationem suam porro tueri; verum etiam totam Kiouensem regionem sub iugum mittere decreuerunt. Vrgentibus itaque arcis Kiouensis oppugnationem *Magyaros*, dux Kiouiae, ceterique primores illic obseSSI, tum primum discriminis, in quod conjecti erant, magnitudinem sentire coeperunt. Quare, cum neque insuis, neque in foederatorum viribus se confidere posse cernerent, consilium sane prudens, ac non modo rebus suis opportunum, verum etiam Hungaris vtilissimum iniere: Missis quippe communi nomine ad *Magyarorum* castra legatis, suppliciter primum *Alnum* orauerunt, ne exigua eam Russiae plagam legitimo principi erectum iret, progredetur potius meridiem versus, atque illas regiones occuparet, in quibus olim *Atila* Scy-

thico pariter sanguine ortus , non sine immortali nominis sui gloria dominatus fuerat, quaeque & amplitudine , & soli vbertate Russicis terris longe antecellerent : Victoriam facilem illic , certamque fore , quod magni *Atilae* imperium in multas partes disceptum, ab idmodi populis coleretur , qui armorum rudes , vni rei pecuariae vacarent , pastores potius , quam milites. Ne vero fraude , ac dolo secum agi existimaret *Almus* , obsides , viae duces , iumenta oneribus deuehendis necessaria , alimenta item , ac pecudes magno numero datum iri pollicebantur legati. Inopinata haec Kiouienfium legatio , vbi in ple- no ducum consilio recitata fuit, incredibilis omnes ardor inuasit subditas olim *Atilae* regi prouincias vindicandi ; atque ex eo die *Almus* magni *Atilae* se nepotem iactare , iusque sibi in omnia eius regna arrogare coepit. Quapropter datis , acceptisque obsidibus , pax sine mora data Kiouiensibus , curaeque omnes eo translatae , vt , quae ad nouam expeditio- nem aggrediendam opportuna erant , tempe- stive apparentur (a).

## §. V.

*Cumanorum VII. capitanei suis cum agmi-  
nibus , multique Russorum se iungunt  
Magyaris.*

**D**um haec cum Russis aguntur , Cumani , qui ex infelice , cuius meminimus , pugna super-

---

(a) Anonymus cap. VIII. & IX.

stites Kiouiae restiterant , postquam familia-  
rius cum *Magyaris* versari cooperant , non  
sine stupore animaduerterunt , eos affini sibi ,  
nec nisi diale<sup>c</sup>to diuersa lingua vti ; itaque  
non sine gudio aborigines suos consalutant ,  
prostratique ad *Almi* pedes orant , vt quo-  
niam ipsi eadem cum *Magyaris* essent origi-  
ne , pateretur se iisdem consociari . *Almus*  
probe gnarus , quam vtilis sibi futura esset  
ad inuadendas nouas regiones Cumanicae gen-  
tis accesio , continuo eos *Magyaris* suis ad-  
scripsit , paribus deinceps & legibus , & iu-  
ribus fruituros . Cumani tanto beneficio laeti  
celerrimo cursu domum reuolarunt , atque iis ,  
quae cum *Almo* transegerant , ex ordine nar-  
ratis , magnam popularium partem ad ineun-  
dam cum *Magyaris* societatem pertraxerunt ,  
qui omnes cum coniugibus , liberis , atque  
propinquis festinato itinere Kiouiam conces-  
fere , adducti a VII. capitaneis , quorum haec  
fuere nomina : *Edu* , *Edumer* , *Etu* , *Bunger* ,  
*Ousad* , *Boyta* , & *Retel* . Atque hi sunt Cu-  
mani illi , quos Constantinus Porphyrogenita  
Cabares appellat , Turcisque auxilio venisse  
affirmat : Et copiosam , & bellicosam fuisse  
gentem hanc oportuit , quod in expugnanda  
Hungaria Cumanorum virtus non mediocri-  
ter eluxerit . Cumanorum exemplum multi  
e Russiae nobilibus fecuti , ab Almo duce  
pariter beneuole accepti , *Magyaris* adnume-  
rati sunt , qui postea sub *Arpado* duce Mo-  
soniensem agrum infedere .

## §. VI.

*Magyari superatis alpibus pedem in Hungaria figunt.*

**H**is anni, & amplius spatio ad Kiouiam gestis, *Almus* nouis equorum, pecorumue supplementis per Russos instructus, toti populo e *Magyaris*, *Cumanis*, & *Russis* conflato A. C. 886. profectionem meridiem versus indixit. Praeeuntibus ex pacto, viamque comonstrantibus Russis, iter per Lodomeriam, & Galliciam continuatum; quarum prouinciarum duces ante iam a Kiouiensibus admoniti, honorificentissime acceptos nouos hospites, & alimentis refecere, & muneribus amplissimis liberaliter excoluere. (a) Superatis demum alpibus, vt erant in plura agmina diuisi, ita hodiernae Hungariae fines pluribus locis subiere; vt eodem prope tempore, Marmarosiensem, Beregiensem, & Vngensem prouinciam inundauerint. *Almus* dux suo cum agmine in Vngi fluminis ripa prope castrum consedit. Tantae multitudinis aduentus incredibile quantum pauorem earum terrarum incolis attulerit, praesertim vbi audiere, *Almum* ducem e magni *Atilae* familia ortum ducere. Posita igitur semet armis defendendi cura; quo nouorum dominorum gratiam aucuparentur, cuncta victui, & amictui necessaria affatim ad castra defe-

886.

---

(a) *Anonymous* cap. XI.

rebant, nil nisi salutem sibi, suisque depre-  
cantes. *Almus* insigne clementiae, & huma-  
nitatis exemplum ad vicinos etiam populos  
genti suae conciliandos, valituru m tum edi-  
dit, cum ruricolas fidem, seruitutemque sibi  
professos, vitae, rerumque suarum securos  
porro etiam viuere iussit.

### S. VII.

*Arpadus Almo patri in principatu succedit,*  
*ac belli deinceps gerendi rationem insigni*  
*prudentia definit.*

Prima hostilitatem experta est arx Vngen-  
fis, cuius dominus *Laborcius* oblatam sibi ab  
*Almo* duce gratiam obstinate respuit; at ubi  
se oppugnari vidit, terrore correptus, clam  
se cum suis ex arce eiecit, verum in fuga  
interceptus, quod *Magyarorum* antea amici-  
tiam respuerat, laqueo enectus fuit. Va-  
cuam igitur a custodibus arcem ingressus  
*Almus*, Diis immortalibus pagano ritu qua-  
triduum gratias habuit. Quia vero deficien-  
tibus jam viribus, vicinam, quae reapse ibi-  
dem mox consecuta est, mortem persentis-  
bat, ex pacto adhuc in Scythia inito, he-  
reditarium familiae suae principatum, in *Ar-*  
*padum* filium transtulit: quo tempore pactis  
prioribus per *Magyarorum*, *Cumanorum*, &  
*Russorum* primores solenni ritu renouatis *Ar-*  
*pado* duci omnes fidelitatis sacramentum di-  
xere, ac clypeis in altum sublato, vitam fe-  
licitatemque sunt precati. Multa hic per-

multos dies acta sunt. Ante omnia *Arpadus Russis*, quorum consilio, & opera, noua expeditio adeo prospere suscepta erat, gratiam relaturus, eosdemque sibi perpetuo foedere copulaturus, cuiusdam e vicinis Russiae duabus filiam coniugem accepit. Atque ex eo tempore *Magyari* intimam, constantemque cum Russis coluerunt amicitiam, quam eorumdem duces, ac subinde reges, acceptis non raro e Russia coniugibus, filiabusque suis vicissim eo in matrimonium collocatis renouare, stabilireque studuerunt. Deliberatum postea cum *Magyaris*, & Cumanis capitaneis de belli administrandi ratione; quae vt eo securius describi, definiriique posset, diligenter prius receptos in fidem incolas examinare placuit, de vario prouinciarum, quas inuasuri erant, situ, & dominis; de fluminibus, quibus eae discriminantur; de incolarum indole, viribus, atque ad sustinendum bellum apparatu. Quae postquam omnia *Arpadus* didicisset, ea, quam mox explicabimus, ratione bellum geri voluit, cui rerum postea gestarum historia, vt eam siue *anonymus*, siue *chronica nostra* referunt, ad amissim consentit. Si igitur ab euentu arbitrari licet, communi consilio constitutum erat, vt universus populus in plures partes diuideretur, singulis agminibus praeficerentur e capitaneis illi, qui virtute, ingenio, & scientia militari prae ceteris excellerent: praevidenti per destinatas sibi vias, atque crebro per celestes nuncios *Arpadum* cum exercitus robore lentius a tergo consequentem, cunctis de

rebus accurate edocerent; quo, si opus foret, laborantibus suis consilio, & ope praefato esse posset. Speciatim autem haec ducibus mandata sunt: vt quocumque venirent, de industria spargerent, *Arpadum magni Atilae* nepotem adesse, eo consilio, vt terras olim ad *Atilae* imperium spectantes vindicaret, incolas ab iniquorum dominorum tyrannide liberaret, sicque fato collapsum Scytharum in Europa imperium restitueret. Quapropter feuere vetuerat *Arpadus*, ne sui maleficio aliquo ruricolas afficerent, quin potius & hos, & eorum dominos, qui se vltro eius sceptro submisissent, in fidem reciperent, (a) in eos denique solum, qui subesse detrectarent, arma stringerent. Postquam ditione aliqua, seu pace, seu bello potiti essent, arcibus opportuno loco fitis, atque communitis, suos cum coniugibus, & liberis praefidio imponerent, qui circumiacentis regionis securitati inuigilarent. Haec fere fuit summa *Arpadi* ducis mandatorum; quibus quid humanius, quid item ad amplissima etiam regna breui tempore occupanda accommodatius cogitari poterat? Ex quo merito iam refellas omnes illos, qui Arpadianos Scythes caedibus, & incendiis vbique graffatos, maximam veterum incolarum partem barbarum in modum trucidasse existimarunt. Certe, cum gens haec nobilissima solum nouarum terrarum dominium affectaret, ac ad easdem ad-

---

(a) Huc facit Anonymi cap. XXIII.

uersus quosuis hostes tuendas crebro se in  
armis fore praeuideret, ignorare vtique non  
poterat, ruricolis, seruisque sibi opus esse,  
quorum industria, & labore ipsa viueret, at-  
que ditesceret. Refert anonymus *Belae* re-  
gis notarius, cuius potissimum fide in tota  
hac narratione nitimur, *Magyaros* ab *Vngo*  
*castro*, seu *Vnguár* vocari coepisse *Vngua-*  
*ros*, ac demum *Vngaros*. Verum ego ma-  
lim appellationem hanc inde esse deriuandam,  
quod postquam adsitas *Vngo* flumini plagas  
cum castro cognomine occupassent, hoc qua-  
si futurorum successuum praeludio exultantes,  
*Arpadum* ducem, dominum *Vngi*, patria  
lingua *Vng - Vr* acclamauerint, cuius rei fa-  
ma vt fit ad vicinos populos propagata, oc-  
casionem praebuerit *Arpadianos* Scythas, *Vn-*  
*guros*, *Vngros*, & *Vngaros* appellandi.  
Quamuis porro Constantinus Porphyrogenita  
eos constanter Turcos vocet, apud ceteros  
tamen scriptores Graecos passim Ὑγγροι Ὑγκροι  
ac addita interdum aspiratione Ὑγγροι, seu  
Hungari audiunt. Ipsi nihilominus Hungari,  
patrium suum nomen *Magyar* deinceps etiam  
retinuere: quod cum Graeci efferre non pos-  
sent, Μαζαρος id est *Mazaros* scripsere, quo  
nomine hodie dum a Turcis *Hungaros* appel-  
lari audies.

## S. VIII.

*Laetissimi Hungarorum successus in nouis ditio-  
nibus subiugandis.*

Expeditioni tam prouide, sapienterque de-  
scriptae, nil mirum est, optatos respondisse  
successus. Primi delecta cum militum manu  
praeire, fortunamque periclitari iussi *Ound*,  
seu *Ond*, & *Retel* capitanei: hic e Cumanis;  
ex Magyaris ille *Arpadi* iudicio ad id desti-  
nati: qui Bodrogo, & Tibisco fluminibus su-  
peratis, Vgotsiensi, & Szatmariensi ditione  
subiugata, opportunam id temporis ad Samu-  
sium arcem Szatmár vno impetu captam,  
suorum praesidio communiuere. Alterum  
agmen duxit *Borso*, Cumani capitanei *Bunger*  
filius, cuius auspiciis ea prouincia, quae ab  
illius nomine Borsodienfis postea dicta est,  
occupata fuit, omnis item regio ad montes  
vsque Carpaticos, qui Poloniā ab Hungaria  
seiuungunt. Laetis his initii recreatus *Arpa-  
dus*, promotis Vnguarino castris, ad Sze-  
rentsum confedit. Hinc rursus nouo cum  
militum supplemento dimissi *Thosu* pater *Le-  
belis*, & *Szabolts Eleudi* filius, quidquid Ti-  
bisco, Crisio, & alpibus Transsiluanis conclu-  
ditur terrarum, *Menumorótho* Bihariensi duci-  
eripuere. *Tubutum* denique pater *Horcae* ex-  
peditum per fauces Meszesienses in Transsil-  
uaniam nactus iter, *Geloo* gentis duce victo,  
atque interemto, pulcherrimam eam, ditissi-  
mamue prouinciam *Arpadi* imperio subiecit.  
Consimili successu Grano, Vagoque flumi-  
bus

bus circumfitae plagae ad Morauam usque, partim admota vi, partim spontanea incolarum ditione in Hungarorum potestatem concessere; id quod *Hubae* capitanei, et duorum *Arpadi* agnatorum *Zuardi*, ac *Kudichae* ductu perfectum fuit. Haec inter *Arpadus* expeditiore jam passu pone Tibisci littora meridiem versus progrediens, postquam *Salanum* Bulgarum, regionis Danubio, et Tibisco conclusae dominum, memorabili praelio victum, non inde modo, verum etiam e Sirmio eieciisset, dominationem suam ad Sauum usque protulit. Vnde cum parte exercitus viam relegens, traecto Danubio, ad veterem Budam consedit, futuram deinceps ducum Hungarorum sedem. Hinc rursus promoto meridiem, et occidentem versus bello, tota qua late patet transdanubiana regio cum magna interamnenis Pannoniae parte, nouorum dominorum iugum subiit. Secundos ubique victiarum cursus aliquanto tempore *Menumoribus* Bihariensis dux retardauit. Castris enim Bihar, paludibus circumdati, firmitati confisus, diu induc non potuit, ut oblatam sibi ab *Arpado* gratiam, atque amicitiam amplecteretur: at postquam deriuatis improbo labore aquis, Bihario potitos vidit Hungaros, desperata iam Victoria, pacem per legatos ab *Arpado* petiit; quam ut eo certius conquereretur, filiam vnicam auitarum ditiorum heredem *Zoltano*, *Arpadi* filio, vxorem obtulit. Mirifice ea legatio placuit Hungaris, quod videbant amplissimis regionibus

fese citra bellum potituros. Nec sua eos spes fecellit; mortuo quippe non multo post *Menumorotbo*, tota filiae hereditas, quae ad Marusium usque pertinebat, Hungarici imperii finibus accessit. Postquam denique regio illa, quae a Marusii ripis ad Danubium protenditur, Graecis, Bulgarisque edomitis Hungaris se subdidit, *Arpadus* omnium, quas uno Hungariae vocabulo compellamus, terrarum sese dominum circumspexit: id quod  
 897. circa A. C. 897. euenit. Haec plurimum annorum spatio, et labore gesta sunt, quae nos compendio hic loci recensuimus; quorum vberior cognitio aliunde repetenda (*a*).

### §. IX.

*Arpadus regnum Hungariae suos inter partitum.*

*Arpadus* amplissimo regno hunc in modum potitus, promissa, quae seu Pater *Almus* in Scythia; seu ipse Vnguarini suis fecerat, quam cumulatissime expleuit, cum regnum eos inter, quorum virtute, et sanguine aquifitum erat, partitus fuit. Ante omnia summi principis necessitati, et dignitati prospectu-

(*a*) Cöpiale haec explicantur in anonymo Belae regis notario. In chronico M. Turotzii, apud Innocentium Desericium de Initiosis, et Maioribus Hungar. apud Georgium Pray in Annal. Veter. Hung. ac denique apud Stephanum Katona in historia critica primor. Hung. ducum.

rus, ducali suae domui paulo plus, quam dimidiam, eamdemque superiorem transdanubianaे Hungariae partem addixit, adiecit huic insulam Tsepeliam, equis, et armentis ducalibus alendis, propagandisque deseruituram. In diuidenda reliqua Hungaria id fere ab *Arpado* obseruatum fuisse, colligitur ex anonymo Belae regis notario, vt in ea quisque parte bona obtineret, in qua subiuganda desudauerat. Non erit taediosum lectoribus vno intueri obtutu, quas circiter plagas primi capitanei tam Magyari, quam Cumani ex *Arpadi* munificentia sint consecuti. *Eleud* pater Szabolts vnde Csakiana domus ortum dicit, Szaboltsensem prouinciam (a), *Kund* terram Nyir vltra Tibiscum (b), *Ond* pater Ethae Tsongradinum (c), *Thosu* pater Lehelis Bodrogensem prouinciam adalueum vsque Vajias dictum, qui ad Foktū prope Colotzam e Danubio erumpens prope Sükösdinum in eumdem reuoluitur (d), *Huba* ditionem Zituae flumini circumiacentem (e), *Tubutum* pater Horcae, auus autem Gyulae, et Zombor Transsiluanas partes (f), *Ed* regionem circum Szerents sitam (g), *Edumer* Saione, et Tibisco in-

(a) *Anonymus* cap. XXI.

(b) *Chronicon M. Turotzli* cap. VI.

(c) *Anonymus* cap. XL.

(d) *Idem* cap. XLI.

(e) *Idem* cap. XXXVII.

(f) *Idem* cap. XXIV. et XXVII.

(g) *Idem* cap. XVII, et XXVII.

terceptam (*a*), *Etu* castrum Szegtsö cum Baranyiensi terra (*b*), *Borsó*, filius *Bungeri*, Borsodiensem (*c*), Osád pater *Vrsuúr* circa Caffouiam (*d*), *Boyta* Tolnensem regionem (*e*), ac denique *Retel*, pater *Oluptulmae*, primo plagas Bodrogo, et Oltua fluminibus; tum vero alias *Vago*, vbi Danubio miscetur, adfitas, in fidei, virtutisque praeium aquisiuere (*f*). Post capitaneos, gentisque primores reliqui etiam expeditionis socii, tam Magyari, quam Cumani, Russique milites, opimos exantlati laboris profusique sanguinis fructus retulere: horum quippe singuli, in illius capitanei, cuius signa sequebantur, prouincia amplissimis terris, praediis ac possessionibus, pro honoris, quem quisque in militia tenuit, gradu, sunt potiti. Veteres denique Hungariae incolae Slawi, Rutheni, Bulgari, Valachi, et Pannones porro etiam rus colere, ac illi, quem quisque dominum forte obtinuerat, seruire iussi (*g*):

(*a*) Idem Ibidem, et cap. XXXII.

(*b*) Idem cap. XXXVII, et XLVII.

(*c*) Idem cap. XVIII, et XXXI.

(*d*) Idem cap. XXXII.

(*e*) Idem cap. XLVII.

(*f*) Idem cap. XV.

(*g*) Idem cap. XL.

## §. X.

*Rerpublicam Hungaricam sapienter ordinat.*

Potiore iam Hungariae parte subiugata, Arpadus circa A. C. 893. a profligato Salanno reuersus, haud procul Tibisco, prope lacum Curtueltuo, Kiirtultó, cum suis confedit, atque dies quatuor supra triginta, ordinande, legumque sanctionibus constabilienda reipublicae impendit. Hic loci, ut verbis anonymi vtar (a), Dux, et sui nobis, les ordinauerunt omnes consuetudinarias leges regni, et omnia iura eius: qualiter seruirent duci, et primatibus suis, vel qualiter iudicium facerent pro qualibet criminis commisso. Ibi etiam dux condonauit suis nobilibus secum venientibus diuersa loca, cum omnibus habitatoribus suis, et locum illum, ubi haec omnia fuerunt ordinata, Hungari secundum suum idioma nominauerunt Scerii, id est Szer (b), eo quod ibi ordinatum fuit totum negotium regni. Haec anonymous generaliter, quin tamen leges ibidem perlatas, formamque regiminis tum introductam vberius explicet. Dabimus itaque operam, ut hoc ex iis, quae siue in legibus nostris, siue apud

(a) Cap. XL.

(b) Szer Hungaris ordinem significat: condito subinde ibidem monasterio locus ille Zeer Monastraq dictus est. Hodie Puszta-szer audit. Vide Cl. Katona Histor. critic. Ducum pag. 151.

scriptores sparsim memorantur, suppleamus. Descripta imprimis, stabilitaque supremi ducis in omnes auctoritas, et iurisdictio: illi vni foedera cum vicinis fisciendi; indicendi bella; bene merentes praemiis, poenis ex aduerso reos afficiendi potestas attributa. Vniuersum regnum, quo commodius regi, defendique posset, in certas partes, ac provincias, ut eas ab se inuicem seu flumina, seu montium iuga secernebant, diuisum fuit. Prouincia quaelibet a praecipuo castro illic fito suam sortiebatur appellationem, non abs re Hungaris *Vár-megye*, siue castri tractus, aut ditio dicta. Castra haec suo cum territorio ad summi ducis ius pertinebant. Prouinciis singulis capitanei, qui adhuc superstites fuere, eorumdem filii, atque propinqui; quin etiam alii ob insignia bello merita e militum numero ad capitaneorum dignitatem evecti, vicaria supremi ducis potestate sunt praefecti, qui cum collocatis in eadem prouincia militibus Hungaros, et arcis, et prouinciae totius securitati inuigilarent. Capitanei hi prouinciarum fuere gentis primores, quos *anonymus* primates appellat, ac non modo plebi, verum etiam Hungaros nobilibus iura dabant. Porro cum regni non sine multo labore, et sanguine aquisiti defensio Hungaros incumberet, ita fiscitum, ac deinceps obseruatum fuit, ut bello ingruente singuli capitanei, prouinciarum suarum Hungaros milites sub signacogerent, pro patria tuenda suismet sumtibus militaturos. Quodsi quis aut indictae

semel expeditioni semet subduxit, aut insalutato duce ex castris clam discessit, sine mora e militiae, quae sola tum nobilitas fuit, honore ad plebeiam conditionem redactus, seuera sane poena ignauiam, aut inobedientiam expiauit (a). Quo loco monendi sunt lectores non ita haec accipi oportere, quasi soli milites, seu nobiles Hungari exclusis penitus ignobilibus ad bellum proficiscerentur: trahebant illi ingentem secum armigerorum, calonum, et seruorum cateruam: qui non modo dominis suis praefto erant, verum etiam cum iisdem arma in hostes expediebant. Quin etiam si horum aliquis capitaneorum, militumque testimonio, insigne quodpiam fortitudinis specimen edidisse compertus fuit, a domino prius manumissus, terris donari, atque sic in militum numerum referri consuevit. Ex his, quae compendio mox retulimus, non forma sola regiminis Hungarici per *Arpadum* introducti; verum vna primorum regni a milibus, horum item a plebe discrimen satis superque intelligitur. Inter *Primates* scilicet ac *Primates* censebantur: capitanei, prouinciarumque praefecti: Milites: *Magyari*, *Cumani*, et *Russi*, quos in vnam quasi gentem Kiouiae coaluisse diximus, quin etiam non pauci ex regionum harum dominis, qui vltro *Arpadi* imperio se subiecerant, verorum gentis nobilium coetum efficiebant, ter-

---

(a) *Tripartiti*. Parte I. Tit. III. §. 4. et 5.

*restresque*, vt iura nostra loquuntur, erant domini: non item promiscua illa seruorum, calonumque turba, quae cum *Magyaris*, *Cumanis*, et *Russis* aduenerat, ciuilibus non minus, quam militaribus dominorum suorum obsequiis dedita. Plebs denique, quam Hungari his in terris offenderant, saluamque reliquerant, seruilem rusticorum conditionem induit. Haec si ita sunt, quaeret fortasse aliquis, vnde tanta postea rusticorum Hungarorum multitudo propagata fuerit, vt non aliud fere, quam Hungarianum idioma vbiuis dominaretur. Verum id nemini profecto aut mirum, aut incredibile videbitur, qui cogitauerit, Pannones, Marahanos, Slauos, Ruthenos, Beffos, Rascios, et Valachos ruricolas, in nouorum dominorum, per omnes regni partes dispersorum gratiam, Hungarianum idioma condidicisse, ita vt sui pene obliuiscerentur. Ediscere autem illud facile poterant, ex quotidiana cum dominis, aut eorumdem seruis, atque calonibus consuetudine. Vnde non immerito iam reiicienda videatur illorum opinio, qui plebeios Hungaros e solis illis militibus deriuandos putant, qui, quod expeditioni militari se subtraxerant, ad rusticam conditionem sunt damnati. Quis enim credit in tanta poenae severitate, tot ex nobilibus Hungaris ignauos reperiri potuisse, vt ab his solis tanta agrestis populi multitudo propagaretur (a).

(a) Confer haec cum Verbötzii P. I. Tit. III. §. 3.

## S. XI.

*Ducum Hungariae series ad Geisam usque  
ducem.*

Hunc in modum Scythicum in Europa imperium feliciter iterum restitutum fuit. Successus tam prosperi laus praecipua ad *Arpadum* ducem pertinet, qui expeditionem totam insigni prudentia moderatus, populos tot lingua, moribusque diuersos, non modo sibi subiicere, verum etiam in officio continere nouerat. Morti vicinus *Zoltanum* filium, ex Russa coniuge suscepsum, regni haeredem, et successorem instituit, atque A. C. 907. diem suum obiit. Tres supra decem annos natus erat *Zoltanus*, cum regnum adiit: quapropter reipublicae administratio curatoribus commissa fuit. Constituti item supremi gentis iudices, quorum alteri *Gyliae*; *Calchae* alteri nomen inditum: lites hi domi forte enatas dirimebant, ac facinorosos ex legum praescripto plectebant. Denique cum puer dux bello gerendo per aetatem impar esset, tres non fortitudine minus, quam scientia militari insignes viri: *Lebel*, *Bulsu*, seu *Bulchu*, et *Botond* imperatoria cum potestate rei militari sunt prefecti. Postquam autem ad maturam aetatem *Zoltanus* peruenit, illud ad communem regni salutem, ac securitatem instituisse memoratur, quod regni limites omni ex parte definuerit, ut et vicini principes, ac ipse etiam id, quod cuique proprium erat, noscent, atque que-

907

rentur. In his designandis nonnihil differunt Constantinus Porphyrogenita, et anonymous Belae regis notarius : Nos in re implexa id, quod his inter se collatis verosimilius nobis visum est, trademus. Clau-debatur igitur id temporis Hungaria *ab oriente* montibus illis, qui Transsiluaniam a Moldavia, Pacinacitis, siue Cumanis tum habitata separant, ac ad pontem vsque Traiani procurrunt. *A meridie* Danubio, Sauo-que fluminibus, *ab occidente* Styriae montibus ad Cetium vsque. *A septentrione* de-nique fluuo Moraua, longoque Carpatica-rum alpium tractu (*a*). Illud item inter Zoltani res gestas recensetur, quod nouam Russorum coloniam, ad Mosoniensem agrum deduxerit, fines regni contra Germanorum irruptiones tuituram, his porro praefecit veteranos iam Russos eorum, qui cum *Ar-pado* aduenerant, posteros : eos Hungari ad nouorum hospitum distinctionem *O-Ruszok* *O-Roszok*, id est antiquos Russos appellant, atque idecirco castro illi, quod ab his conditum memoratur (*b*), *O-Roszuár*, siue *anti-quorum Russorum castrum* nomen adhaesit.

931. Haec inter A. C. 931. natus fuit *Zoltano* filius *Toxus*, cui subinde nuptiis iam maturo coniugem adduci curauit de terra Cum-

(*a*) *Anonymous* cap. LVII. consue Cl. Katona Hist. Ducum pag. 321.

(*b*) *Anonymous* cap. cit. castrum hoc ad Danubium situm Hungaris *Oroszuár*, Germanis *Carlburg* au-dit.

nerum (*a*), haud dubie Pacinacitarum, qui deinceps in chronicis nostris sub Cumano-  
rum, et Chunorum nomine veniunt. Con-  
iugium hoc eo fine et dux, et regni pri-  
mores contrahi voluere, ut potens illa, cog-  
nataque Hungaris gens arctiore foedere eis-  
dem copularetur. Triennio denique ante  
mortem suam A. C. 947. Zoltanus regni gu-  
bernacula in filium *Toxum* transtulit, per-  
fecitque, ut omnes gentis primores, ac no-  
biles eidem fidelitatis sacramentum nuncu-  
pauerint (*b*). *Toxum* scriptores exteri fe-  
roce admodum indole praeditum tradunt;  
anonymus ex aduerso mansuetum, huma-  
numque facit: eiusdemque clementiae illud  
imprimis argumentum profert, quod eo im-  
perante multi exteri in Hungariam immigra-  
uerint (*c*). Horum in numero fuere *Ismae-  
litae* Billa, et Botsu ducibus ex oriente al-  
lapsi, quos *Toxus* in castri Pestinensis ter-  
ritorio collocauit (*d*). Bessorum pariter no-  
ua supplementa adduxerat dux Tomizoba,  
quibus terra Remei ad Tibiscum vsque, ac  
locum Obád dictum assignata fuit. *Tomizo-  
ba*, regnante iam D. Stephano, ut gentilis  
obiit; at filius eius *Vrkun* christianam reli-  
gionem amplexus, nobili familiae de Tho-

(*a*) Idem Ibidem:

(*b*) Cl. Katona Hist. Ducum pag. 353. et 389.

(*c*) Anonymus cap. cit.

(*d*) Ismaelitae e Persia oriundi, ac Mahometanis ri-  
tibus addicti, e vicino Graecorum imperio in  
Hungariam aduenere, Graecis Chalisi appellati.

moy originem dedit. Ceterum vt vt ea se habeant, quae *anonymus de Toxi* man-  
fuetudine scribit, illud certum est, eum sae-  
pius per duces suos, infesta signa in Ger-

955. maniam intulisse; at postquam A. C. 955.  
tristissima ad Augustam Vindelicorum clade  
ab Ottone affecti sunt Hungari, ternosque  
duces ibidem in furca enectos amisere, *To-  
xus* aliquanto mitior factus, pacis consilia  
agitare coepit. Desit autem viuere A. C.  
972. 972. *Geisa* filio haerede, ac successore iam  
ante instituto. Duo hic ex transitu notari  
velim a lectoribus, primum: et si heredita-  
ria stirpi Arpadianae fuerit in principatu  
successio, duces nihilominus omnes, ea sem-  
per vlos fuisse prouidentia, vt primogeni-  
tum filium suum ante obitum in aucto folio  
collocatum cernerent: alterum est: nec ab  
*anonymo*, nec ab aliis scriptoribus ulli du-  
cum plures, quam vnam vxorem tribui, ex  
quo recte inferas, vniuersam Hungarorum  
gentem tum, cum gentilis erat, a polyga-  
mia abstinuisse.

## §. XII.

*Religionis Christianae inter Hungaros initia.*

*Geisa* Hungaris imperante, laetiora iam  
fuere omnia. Is enim perpetuorum cum vi-  
ciinis bellorum, quae plus longe damni,  
quam utilitatis genti suae attulisse viderat,  
pertaesus, initam a patre suo cum Ottone  
II. caesare pacem in ipso regni aditu confir-

mauit, et quemadmodum pacis tabulis diserte cautum erat, tam quaestoribus, quam officibus exteris liberam concessit in Hungariam commeandi facultatem, qua indulgentia, vix dictu est, quantum breui tempore ad se attraxerit vicinorum populorum frequentiam, qui iam tum Hungarici et coeli, et soli felicitatem p[re]a Hungaris ipsis aestimare nouerant. Creuit non mediocriter exterorum concursus, postquam Geisa, et *Savoltae* coniugis christiana, *Gyulae* Transiluanorum capitanei filiae precibus, et *Ottonis* II. hortatu adductus, Romano catholicis sacerdotibus potestatem fecit, christiana sacra propalam ministrandi cum aduenis, tum vero sparsis inter Pannones, et Morauos veteribus christianis: quo tempore verbi diuini praecones occasionem nacti sunt, Euangelii placita Hungaris ipsis explicandi. Incubuere in pium hoc opus praeter sanctos *Wolfgangum*, *Brunonem*, et *Piligrinum* Laureacensem archi-episcopum, multi insuper clerici, monachique ordinis S. Benedicti, e vicinis Germaniae prouinciis magno numero huc conuolantes. Messem labori apostolico respondisse vel inde colligitur, quod S. *Piligrinus* Laureacensis, datis circa A. C. 973. ad *Benedictum* VII. papam litteris, testatus fit, quinque ex nobilioribus Hungar[is] millia Christi fidem fuisse amplexa; quare in iisdem litteris oravit pontificem, ut VII. episcopos ordinaret, qui ad pristinas ecclesiarum Pannonicarum sedes tot iam annis pastore suo viduatas redirent, auidis

verbi diuini ouibus pabulum praebituri (*a*).  
Produxit porro vitam *Piligrinus* vsque ad  
992. A. C. 992.

## S. XIII.

*Quid a Graecis sacerdotibus pro religione christiana actum in Hungaria? quid item a Latinis?*

Ex his fatis, vt opinor, liquet, vt progressum postea religionis inter Hungaros, ita etiam initia Latinis deberi sacerdotibus. At enim laudem hanc eis inuidit Schuartz, vir a conscriptis magna eruditione compluribus de re patria lucubrationibus celebris. Primus, inquam, hic Latinis diem dixit, totamque conuersae ad Christum Hungariae gloriam Graecis asserere connisus fuit (*b*). Quo in argumento ita versatus est, vt maius longe Romano Catholicos acerbius insectandi, quam veritatem illustrandi studium prodiderit. Multos nihilominus, qui nouas opiniones absque delectu captant, ac de scriptoribus ex auditu potius, quam e propria lectione iudicium ferunt, sententiae suae patronos nactus fuit: qui hodie dum imperite iactant, Hungaros christianitatem a Graecis

(*a*) Consule Cl. Katona pag. 514, et sequent.

(*b*) In dissertatione, in qua initia religionis christianae inter Hungaros ecclesiae orientali adseruntur. Halae Magdeburgicae A, 1740.

edoctos, ac ecclesiam Hungaricam principio  
fuisse *acephalam*. Nos ab ea, quam hacte-  
nus in operibus nostris constanter non sine  
laude sectati sumus, scribendi moderatione  
neque nunc recedendum arbitrantes, ab o-  
mni acerbitate abstinebimus; satisque habe-  
mus intemerata fide, et candida narratione  
recensere omne id, quod pro re christiana  
apud nos a Graecis, quod item a Latinis  
actum fuit. Illius, qui haec animo a par-  
tium studio libero ipse legerit, erit, apud  
se deinde constituere, cuinam religionis  
christianae inter Hungaros initia, et qua ra-  
tione debeantur. Narrant igitur *Curopala-  
tes*, *Cedrenus*, et *Zonaras* scriptores Graeci,  
*Turcorum*, quo nomine Hungari intelligendi  
sunt, duces *Bolosudem*, siue *Bulchum*, et *Gyu-  
lam* circa A. C. 943. baptismum Constanti- 943.  
nopolis suscepisse; illum quidem sanctae fi-  
dei nuncium misisse, ac in praelio ad Au-  
gustum captum in furca vitam finiisse; *Gyu-  
lam* vero, erat hic *Tubuti* Trauffiluanarum  
partium capitanei ex *Horca* filio nepos, con-  
stantem perseuerasse; nec vñquam deinceps  
Byzantini imperii fines inuasisse. Narrant  
insuper eadem occasione *Hierotheum* mona-  
chum a *Theophilacto* Constantinopolitano pa-  
triarcha in Turciam, eam scilicet, quae *Gyu-  
lae* parebat, missum, multos a barbarico er-  
rore ad christianam religionem traduxisse.  
Narrationem hanc, non est prorsus, cur in  
quaestione vocemus, ex qua tamen haud  
satis perspicue colligi posse videtur, religio-  
nis christianae inter Hungaros initia seu

*Theophylacto*, seu *Hierotheo* deberi. Certe monachi huius praedicatio intra limites Transsiluaniae constitit, neque ad vicinam Hungariam, cui *Zoltanus*, ac *Toxus* subinde praeyerant, propagata fuit; quod altum de hoc apud Graecos non minus, quam Latinos scriptores sit silentium. Idem hoc silentium argumento est, haud magna fuisse religionis sacrosanctae apud Transsiluanos incrementa. Secus enim plures eo dimissi fuisse verbi Dei praecones, quorum laudati scriptores Graeci suis locis meminissent. Quid quod D. *Stephani* regis aetate quinquaginta, et amplius annis a *Gyulae* baptismo, et *Hierothei* praedicatione elapsis, adeo a Christi lege Transsiluani suo cum capitaneo *Gyula* iuniore abhorruerint, ut excusso iugo, arma in D. *Stephanum* ea vnice de causa mouere non dubitauerint. Illud itaque solum insigni rei christiana commodo ab *Hierotheo* praestitum fuisse credi potest, quod *Gyulae* filiam *Saroltam* christiana religionis placitis imbutam, sacro fonte abluerit, quam, cum *Geisae* duci in matrimonium collocata erat, constat fuisse christianam (a). Eadem enim Ottonis caesaris conatus egregie adiuit, virumque eo adduxit, ut faueret christianis. At enim sacerdotes illos, qui ea tempestate laetissimo cum successu christianitatis apud Hungaros fundamenta iecerant,

Lati-

---

(a) Colligitur id ex vita S. Adalberti in Actis SS. Aprilis Tom. III.

Latinos, atque ex Occidente accitos fuisse coaeua monumenta omnia testantur, nulliusque omnino Graeci sacerdotis meminerunt, qui *Geisae* aetate suam in Hungaria nauasset operam. Quamquam spectatis vtriusque ecclesiae, nondum ea aetate plene ab se inuicem dissidentis, limitibus, certum est, id neque accidere potuisse: Pannonicae enim ecclesiae inde a primis Christianitatis seculis, inter occidentales censemebantur, partim Salisburgensi, partim Laureacensi metropolitano subiectae; neque, obseruata tum vtriusque ecclesiae disciplina, alterius ministri in messem alterius inuolabant, quo sic et rectus ordo, et ecclesiarum iurisdictio salua manerent (*a*). Locus ipse me admonet, vt hic ex transitu refellam illos, qui falso existimarunt, post medium seculi IX. a SS. Cyrillo, et Methodio orientalem ritum in Morauiam introductum, stabilitumque fuisse. Gemini hi Morauorum apostoli ab *Hadriano* II. papa Roma dimissi erant, ad praedicandum Slavicis populis Euangeliū, Slavicaque lingua, quae Cyrilliana audit, in sacris peragendis vtebantur; quin tamen Graecum ritum sequerentur, id quod Lythurgiam Cyrillianam examinanti clarum est. Atque haec sunt, quae de religionis Christianae in Hungaria initiis hic loci commemoranda erant.

(*a*) Vtiliter de hoc arguento consules Cl. Salagii eruditissimum sane opus de statu Ecclesiae Pannonicae. Edit. Quinque-Ecclesiis.

Quodsi quis Gyulae, Transsiluanorum capitanei, eiusdemque filiae Saroltae baptismum pro Christianitatis apud nos initiis accipienda esse contendat, haec profecto Graecis deberi grati confitemur. Geisam nihilominus cum Stephano filio, totaque gente Hungara per Latinos sacerdotes in noua lege instructos, baptizatosque fuisse, id est, quod nunquam nobis eripiet Schuartzius. Qua in sententia tuenda solo veritatis studio; non item orientalis ritus, quem ut Catholicum veneramur, odio, agimur (*a*).

#### §. XIV.

*Propagata vtcumque re Christiana, Geisa filium suum Stephanum regni successorem constituit.*

Laborabant igitur indefesso conatu Latini ministri, quos Otto II. caesar Geisae duci impennis commendare non desinebat, ea etiam spē ductus fore: ut nobilissima gente Christianae legi autorata, diu exoptata pax, et tranquillitas Germaniae procuretur. Neque operariorum conatus fuere irriti: Copiosa enim quotidie messis in horrea Domini colliebatur. Id vnum, et Ottoni caesari, et Saroltae dole-

(*a*) Qui plura de hoc arguento volet: adeat Peterfium in S. conciliis Hungariae. Stiltingum in vita S. Stephani. Cl. Pray in Annal. veteribus. Ill. Kollar in Histor. Diplom. de Iure Patronatus Reg. Hung. ac denique Cl. Katona in Hist. Crit. Primum Hung. Ducum.

bat, quod *Geisa* dux a suscipienda lege Euangelica diu alienus erat, qui si victas dedisset manus; spes fuit multos e gentis primoribus principis sui exemplum secuturos. Verum et hic obex demum superatus est. Postquam enim *Geisa* coniugis hortatu eos, quos populo moderatores concesserat, beneuole primum ad se admittere, tum vero de facro sanctae fidei mysteriis differentes cupidius audire coepit, Deo suauissima, et efficacissima gratiae suae vi mentem illius collustrante, voluntatemque accendente, sanctitatem, veritatemque legis Euangelicae ipse pariter agnouit. Quapropter facile se induci passus est, ut filium, *Vaic* dictum, qui sibi A. C. 979. ex *Sarolta* natus erat, puerum adhuc non modo Latinæ grammaticæ praeceptis; verum etiam fidei, morumque disciplinis per Latinos moderatores *Strigonii* erudiri curaret (a): quo quidem ad fidei Christianæ incrementum nil opportunius euenire poterat. Ceterum dux ipse *Geisa* etsi agnitæ legis placitis vitam, moresque suos conformare studebat, per plures tamen annos baptismum distulit, ob metum potentiorum gentis suae dynastarum, quos a Christianis sacris vehementer adhuc abhorrere nouerat. Verebatur scilicet, ne, si ipse vna cum filio Christi fidem propalam profiteretur, gentiles regni primores, sumta inde rerum nouandarum occa-

---

(a) Chartuitius in vita S. Stephani §. IV. Cl. Katorna Histor. cit. pag. 611.

fione, redacta in ordinem *Arpadi* stirpe, alia e domo sibi principem constituerent; quod si eueniret, coeptam hactenus Christianitatis plantationem penitus interituram praeuidebat. Periculum eo grauius apparebat, quod non eo adhuc numero erant Christiani, ut ceterae gentilium multitudini possent resistere. Quapropter baptismo in opportunius tempus dilato, id sibi ante omnia agendum putauit *Geisa*, ut certam filio faceret in regno successionem, eumdemque postea et foederibus, et auxiliis Christianorum principum in solio communiret. Hunc in finem

992. circa A. C. 992. primores, et nobiles regni ad comitia euocauit, atque maiorum suorum: *Almi*, *Arpadi*, *Zoltani*, et *Toxi* imitatione, filium suum *Vaic* pueritiam nondum egresum, auti regni heredem, et successorem pleno in concilio constituit: qua in re adeo et veterum pactorum memores, et sibi obsequentes habuit omnes, vt nemo esset, qui nouo duci sacramentum dicere abnueret (*a*), quod tamen paucis post annis *Cupa*, duce Simigensi autore, solius fidei Christianae odio, violatum suo loco narrabimus.

### §. XV.

*Geisae*, et *Stephani* filii baptismus, huius item, et *Giselae* *Bauarae* nuptiae.

Praecipua hac cura solutus prouidus pater,  
992. *Ottonis III.* caesaris, qui A. C. 992 impe-

(*a*) Chartuitius in vita S. Stephani.

rium adierat, cognatam principem *Giselam*, *Henrici* Bauariae ducis filiam, ac alterius *Henrici* Pii, postea imperatoris sororem, filio suo sponsam depoposcit: at enim, si Bauaris scriptoribus fides, repulsam principio pati debuit, ea de causa, quod Christiana sponsa gentilis sponsi manus fastidiret. Ea res *Geisae* stimulos addidit ad accelerandam baptismi susceptionem: qua quoniam popularium suorum plurimos offendit iri non ignorabat, cuncta ad vim, si ea pararetur, sustinendam prouide sapienterque sibi prius disponenda putauit. Hac igitur tempestate, quam plurimos exteros, non sanguine minus, quam scientia, et virtute cum primis militari conspicuos, numero quoque fortium virorum agmine stipatos, variis e regnis ad se euocauit, amplissimisque terris, ac latifundiis instruxit. Horum e numero fuere: Comes *Deodatus* Tatensis arcis conditor, et dominus, *Wolgerus*, et *Hedericus* fratres comites de Homburg, quorum posterior, et castro, et familiae de *Hederuar* originem dedit: *Wencellinus*, siue quod idem est Wenceslaus Bauarus, comes de Waiczenburg, cuius potissimum virtute *Cupae* Simegiensis sedatio compressa fuit; cuius posteri primum a castro Iako; subinde vero a Nagy-Mihály, et Sztara nomen sunt fortiti: *Hund* denique, et Paznan florentium postea in Hungaria familiarum parentes (a). Neque dubium est *Ottонem* III.

---

(a) M. Turotzii Chronicon cap. IX. et sequent.  
Cl. Katona pag. 667.

caesarem, certa auxiliorum aduersus gentiles in tempore mittendorum spe anxium adhuc, fluctuantemque *Geisae* animum confirmasse. Haec dum aguntur, S. *Adalbertus*, Pragenium antistes, tum forte Roma redux

994. Hungariam A. C. 994 subiit, cuius paternis allocutionibus permotus demum *Geisa*,posito metu, fiduciaque in Deum collocata, gentilismo nuncium misit, baptismumque *Strigoni* suscepit. Eodem et loco, et tempore *Geisae* filius vnicus *Vaic*, quintum supra decimum aetatis annum agens, per eumdem S. *Adalbertum* sacro regenerationis lauacro absolutus fuit, *Deodato* comite patrini partes ob-eunte. Nomen illi *Stephani* imponi voluit *Sarolta* mater propterea, quod meminerat, sibi olim per somnium apparuisse S. *Stephanum* Protomartyrem, qui futuram filii natuitatem, regnum, et coronam vaticinatus, suo illum nomine insigniri iusserat (*a*): quod quidem somnium nescio cur, vt ridiculum, ac a monacho quodam sua in cellula otioso excogitatum traducant nonnulli. Certe piae mulieri, vt *Sarolta* fuit, de masculo herede, et re Christiana in Hungaria stabilienda crebro sollicitae, ac fortasse S. *Stephani* Protomartyris cultui deditae, idmodi somnium citra prodigium omne oboriri poterat; licet euentu postea completum sit. Sed neque aut maiestati, aut sapientiae Diuinae repugnat homines per somnia de rebus,

---

(*a*) Chartuitius in vita S. *Stephani*.

quae futurae sunt, admonere: id, quod Iacobii patriarchae, et Iosephi Aegyptii exemplis satis superque demonstratur. Verisimile quoque videtur eadem occasione *Geisae* ducis filias Iuditham, Giselam et Saroltam, eiusdemque germanum sacro fonte ablūtum, quem *Michaëlem* appellatum fuisse chronica nostra testantur (*a*). Hoc patre, ac fortasse *Adelhaidē* Polona matre editi sunt *Ladislaus*, dictus *Caluus*, et *Basilius* vulgo *Vazul*. Ducalis aulae exemplum num aliquos, et quos nominatim ex Hungaris ad baptismum pertraxerit, a nemine adnotatum est. Ut autem gentis suae conuersionem acceleraret *Geisa*, hortatu S. Adalberti, multos e Bohemia acciuit monachos ordinis S. Benedicti: his hodie dum et a numero, et ab obseruantia regulari celeberrimum struere coepit in monte Panniae coenobium: ex quo, velut e seminario quodam, quavis aetate operarii Apostolici, et plurimi ecclesiarum Hungaricarum anti-stites prodiere, quibus potissimum sua debet religio Christiana incrementa. Hunc in modum remotis, quae et fidei sacrosanctae progressum, et calentia *Geisae* ducis vota ad eum diem morabantur, impedimentis, sponsio nuptialis inter *Stephanum* ducem, et *Giselam* Bauaram A. C. 995 peracta fuit. An sponsa 995. illico in Hungariam aduecta sit; vel nuptiae ob teneram fortasse sponsae aetatem aliquamdiu dilatae sint; nondum satis exploratum

(*a*) *Chronicon M. Turotzii cap. XXVII.*

est. (a) Illud tamen extra dubium videtur, *Giselam* iam A. C. 1000. sponsa suo cohabitasse, quod eodem anno in reginam inaugura memoretur. Cum porro Hungariam subiit, comitati eam sunt et honoris, et securitatis causa multi illustres viri, quos interfuit *Hermannus* Norimbergensis (b): Plurimae insuper Germanorum militum, quaestorum, et opificum familiae eadem tempestate in Hungariam intrarunt, quibus D. Stephanus opportuniis per regnum locis suas assignauit sedes. Nominatim autem primos Szathmariensis ciuitatis conditores cum *Gisela* aduenisse, fidem facit *Andreae* II. diploma ei ciuitati A.C. 1231. datum. (c).

## §. XVI.

*Geisae ducis obitus, coniux, liberi, et propinquai.*

Votorum demum omnium compos *Geisa*, ubi filium *Stephanum* iam Christianum, nobilissimae virginis sponsum, ac suum denique in principatu successorem laetus vidiit, viuere 997. desit A. C. 997. quo Sanctus *Adalbertus* gloriosam pro Christo mortem apud Prussos oppetiit. Coniux *Geisae* scriptorum domesti-

(a) Consule Cl. Katona Histor. cit. pag. 651.

(b) Chronicon cap. XVIII.

(c) Cl. Schier in Reginis Hung. Primae stirpis pag. 41.

corum testimonio, vnica fuit Sarolta, Gyulae senioris Transsiluanarum partium capitanei filia, ex hac natus est A. C. 979. Stephanus, cuius baptismus, si eum, vt reapse certum, ac indubitatum est, a S. Adalberto suscepit, non alteri, quam A. C. 994 congruit, quo diuus hic Antistes Roma redux, Hungariam inuisit. Sed neque illorum sustineri potest opinio, qui Stephanum mox, vt natus est, sacro latice hoc eodem anno ablutum existimant: qua enim ratione tum, cum patri suo in regno A. C. 997 succesfit, adolescentis iam 997. dici (a), et ea, quae mox gessit, agere poterat, si non prius, quam A. C. 994. in lucem editus fuisset (b). Praeter D. Stephanum filium, tres insuper filias Geisam e Sarolta coniuge progenuisse constat: Iuditbam Boleslao Polonorum duci A. 984. nuptam, 984. posteaque repudiatam: Giselam Ottoni Virseolo Venetiarum duci A. 1010. elocatam, Pe- 1010. tri regis Hungariae matrem, et Saroltam Samuels Abae palatini prius; dein regis conjugem (c). Quodsi quid perturbatae admodum M. Turotzii narrationi deferendum est (d), his addi potest quarta filia Anonyma, quae Ottoni Wilhelmo Burgundiae duci nu-

(a) Chartuit. vit. S. Steph. §. V.

(b) Consule Cl. Katona Hist. crit. duc. p. 577. 584.  
et 625.

(c) De Geisae dueis prolibus solide ac erudite disserit Cl. Cornides Geneal. Reg. Hung. cap. XI, a pag. 322. item a pag. 167.

(d) Chronicon Turotzii XXXIV.

pserit; cui coniugio et si locum daremus, as-  
sentiri tamen non possumus Cl. Autori histo-  
riae Crit. Reg. Hungariae, vt ex eodem,  
*Petrum* regem proguatum afferamus, (a).  
Quid porro de *Adelhaide*, *Miecislaui* Polo-  
niae ducis filia, quam Poloni scriptores *Gei-  
sae* Hungarorum ducis coniugem, quin etiam  
sancti *Stephani* matrem vno quasi ore affirmant,  
sentiendum? Evidem domestici scriptores  
omnes, vnius solum *Geisae* coniugis *Saroltae*  
Transsiluanae meminerunt, ex qua etiam D.  
*Stephanum* non sine somniis prodigio simili-  
bus in lucem editum vnanimi consensu affue-  
rant (b). Eadem haec *Sarolta* Transsiluana


994 circa A. 994. in viuis adhuc fuisse colligitur  
inde, quod S. *Adalbertus* legationem miserit  
ad eam *Geisae* ducis coniugem, *quae totum  
regnum viri manu tenuit, et, quae erant viri,  
ipsa regebat, qua duce erat Christianitas coe-  
pta.* (c) Quae encomia non alteri certe,  
quam *Saroltae* Transsiluanae conueniunt,  
quam constat et fuisse Christianam et Hunga-  
rorum conuersioni dedisse initium. Quod si  
igitur S. *Adalberti*, Hungariam praedicatione  
sua excoletis, temporibus superstes adhuc  
fuit *Sarolta* ducissa, *Adelhaidi* Polonae in  
*Geisae* ducis thoro locus esse non potest. Ut

(a) Opinionem hanc multis propugnatam rationum  
momentis vide Hist. crit. Tom. I. pag. 476.

(b) De hoc argumento lege Cl. Cornides cit. operis  
pag. 313.

(c) Autor vitae S. Adalberti M. cap. V.

tamen aliquid Polonis scriptoribus tribuamus, verosimile est, *Adelhaidem* Hungarorum duci, non quidem *Geisae*; sed huius germano *Michaeli* in manus conuenisse; atque ex hac genitum fuisse *Ladislauum* Caluum, et *Basilium*. Coniecturae huic si locum demus, non erit iam difficile, causam dare, cur *Andreas*, *Bela*, et *Leuenta* duces, *Ladislai* Calui filii, exortam in caput suum, sub exitum vitae S. Stephani tempestatem declinaturi, ad Poloniae ducem tamquam cognatum suum se reperirent. Error itaque in solo nomine cubat: vt adeo si *Geisae* substituas *Michaelem* germanum, Hungarorum ducem; vera fit Polonorum de *Adelhaide*, Hungarorum duci collocata, narratio. Connubium hoc et Hungaris auspicatum; et Polonis perhonorificum fuit. Hac enim matre orti sunt omnes Hungariae reges, qui inde ab *Andrea I.* usque ad *Andream III.* apud nos imperarunt.



# TABELLA GENEALOGICA,

*Exhibens paternum genus S. Stephani ad fidem anonymi Belae regis notarii et Constantini Porphyrogenitae.*

44

## H V N G A R I A

<i>Coniux</i> Emeſu filia Eunedubeliani ducis	<i>Almus</i> expeditionis in Pannoniam dux obiit	A. C. 889.		
<i>Coniux</i> Anonyma Magyara.				
	Arpadus dux Hungariae obiit A. C. 907.			
	<i>Coniux</i> Anonyma Russa Galliciae ducis filia.			
Zoltan dux Hung. ob. A. C. 949	Tarkatz	Ilech	Iutotzas	
<i>Coniux</i> Anonyma filia Menuhorothi Bihariensis ducis	Tebelles	Ezelech	Phalizim	
	Termatz	Thase	Phale	
	Toxus dux Hung. ob. A. C. 972.			
<i>Coniux</i> Anonyma Cumara				
Geſa dux Hung. Christianus † A. C. 997.				Michael dux Hungar.
<i>Coniux</i> Sarolta Gyulae Transſili, filia				<i>Coniux</i> Adelhais Polona
S. Stephanus I. rex Hung.				Ladislans Calius, Basilius Vazut.
<i>Coniux</i> Gifela Bauara				<i>Coniux</i> Anonyma Russa.

T A B E L L A G E N E A L O G I C A,

*Exhibens maternum genus S. Stephani ad fidem anonymi Belae regis notarii.*

V E T V S.

<u>Senior</u> Gyula capit. Transfilu. Christiaaus	<u>Horca</u> capit. Transfilu.	<u>Tuhutum</u> capitanus Transfiluaniae
<u>Carolda</u>	<u>Sarolta</u> nupia Geisae duci	<u>Zombor</u> capit. Transfilu.
<u>S. Stephanus I.</u> rex Hung.	<u>Bue.</u>	<u>Junior</u> Gyula capit. Transfilu. <u>Bukné.</u>

---

N O T I T I A  
R E R V M  
H V N G A R I C A R V M.

---

I N T R O D V C T I O  
IN NOVAE HVNGARIAE HISTORIAM.

§. I.

*Status regni Hungarici generatim*

**G**entilium Hungarorum rebus , quantum cum nouae , Christianaeque Hungariae historia connexae sunt , compendio explicatis , narrationem nostram ordiemur a fundato per D. Stephanum regno , qui abolitis summa cum pietatis , et constantiae laude Ethnicis superstitionibus , Euangelica lege introducta , tanta sapientiae , et consilii vi monarchiam suam constabiliuit , vt illius instituta in hodiernum vsque diem non sine conditoris gloria perseuerent. Regnum , quod satis amplum suis ille reliquerat successoribus (a) per VII. et amplius secula varias sustinuit fortunae vices : quorumdam regum foscordia , aut , qui hac abusi sunt , hominum improbitate ,

---

(a) Recole hic constitutos a Zoltano duce Hung. limites §. XI. pag. 25.

non raro concussum , ae in ruinam impulsu[m], non multum distabat ab interitu ; aliorum ex aduerso regum , puta : *S. Ladislai* , *Colomanni* , *Belae III. et IV. Caroli Roberti* , *Ludouici M. Mathiae Coruini* , et *Leopoldi M.* prudentia , atque fortitudine , suis e ruinis extractum , ad pristinum iterum florem coepit reduci . Quod si ad temporum nostrorum felicitatem oculos , et animum intendamus , hanc maternae sollicitudini , et constanti per annos XL. *Mariae Theresiae Augustae* in gentem nostram amori debemus , quam XXIX. Nouembris A. 1780. 1780. e viuis sublatam communi omnium populo[r]um luctu , et comploratione etiamnum deflemus . Reges , qui Hungar[ia]is hactenus imperarunt , quorum hodie primum supra quadragesimum veneramur *Iosephum II. Rom. Imp. Augustum* , e diuersis fuere domibus . Primis tribus regni Hungarici seculis , hereditaria fuit masculis , et quidem primogenititis stirpis regiae Arpadianae successio : hac in *Andrea III. Veneto* penitus extincta , per ducentos fere annos libera obtinuit electio . Seculo autem XV. exeunte per pacta solennia , Hungaros inter , et *Maximilianum I. caesarem* inita Hungariae corona hereditaria fieri coepit Habsburgo-Austriacae domui ; ea tamen cum cautione , vt genti Hungaricae liberum esset , nulla habita primogeniturae ratione , quem vellet ex Habsburgicis principibus ad solium euehere . Quamquam ab anno 1526. quo *Ferdinandus I. rerum in Hungaria potitus est* , primogeniti semper ceterarumque Austriacae domus prouineiarum 1526.

domini apud Hungaros dominati sunt: attritis quippe regni Hungarici viribus, vtilius fore existimabant maiores nostri, idmodi reges in folio collocare, qui proprio etiam aere, ac milite rempublicam aduersus haerentes iam in visceribus Ottomannos possint defendere. Restrictum hoc electionis ius perdurauit usque ad *Leopoldum M. caesarem*: qui post

**1687.** electos ex Hungaria Turcas, id A. 1687.

in Posoniensibus comitiis obtinuit, vt hereditaria primogenitorum domus Habsburgicae successio introduceretur, (*a*), quae subinde in perenne grati animi monumentum A.

**1723.** 1723. sub *Carolo VI. caesare ad Mariam Theresiam filiam*, eiusdemque vtriusque sexus heredes extensa fuit, definito tamen ad mentem *sancionis pragmaticae* succedendi ordine (*b*). Haec omnia, qua ratione, quibus ue temporibus euenerint: quid item a singulis regibus actum sit, succincta, et fideli narratione prosequemur, postquam nonnulla non leuis momenti capita ipso in vestibulo explanauerimus.

## §. II.

*Reges, reginae, et duces Hungariae.*

Inde a S. Stephani regis inauguratione, summi apud nos imperantes *reges* appellati sunt.

*Quid*

(*a*) Leopoldi M. Decret. IV. art. I. II. III. et IV.

(*b*) Caroli VI, Decret. II, art. II, et III.

Quid autem sacrosancto hoc nomine intelligendum sit; vox ipsa indicat. Suprema regum nostrorum maiestas, atque potestas certis legibus, regiminis Hungarici formae accommodatis, iam inde a primis regni initiis temperari solebat. Fiebat id in ipso regni aditu, inaugurationis tempore. Tum enim ordines regni suam nouo principi, iuramento interposito, obstringebant fidem: ac hic vicissim suam illis cautionem dabat, ad eum fere modum, quem in imperio Romano Germanico hodie dum obseruari videmus. Caebat porro generatim: praelatis, baronibus, magnatibus, nobilibus, castri iobbagionibus, aduenis, qui *hospites* dicebantur, ac ipsi adeo ultimae plebi concessas olim a primo rege D. Stephano immunitates, saluas fore. Tanta scilicet fuit de sancti huius regis prudentia, et aequitate in gubernando apud Hungaros existimatio, ut tum demum felices se crederent, si illius legibus, et institutis regerentur. Generalis haec curatio primum omnium A. 1222. sub *Andrea II. Ierosolymitan* 1222. in triginta capita redacta fuit (*a*), de quorum obseruatione, qui deinceps consecuti sunt, reges fidem dabant. Interdum Hungari ultra id, quod in bulla aurea *Andreae II.* expressum erat, reges suos obstringere solebant, ad ea vel antiquanda; vel

(*a*) Vide bullam auream *Andreae II.* in codice juris patrii, cuius clausula antiquata est in comitiis A. 1687. art. IV.

faltem corrigenda, quae a decessore principe in reipublicae Hungaricae damnum acta, institutaque fuisse meminerant. Vidimus istud nominatim exactum ab *Alberto caesare* (*a*), tum vero ab *Vladislao II.* rege; quorum posterior multa, quae *Mathias Corvinus* instituerat, se rescissurum, aut emendaturum in ipso regni aditu polliceri debuit (*b*). Ceterum et si maiores nostri veteris moris, et instituti tenaces, idmodi cautionibus reges suos obstringi voluere; summa tamen in eos semper fuere fide, ac in rebus maxime arduis, seu aggrediendis, seu perferendis promptitudine, atque constantia: ut adeo amor, et fides in principes, propria genti Hungaricae virtus, dici possit. Quapropter si veterum temporum res gestas diligentius excutiamus, facile pronunciabimus, per principes ipsos stetisse; ut feliciter, aut secus imperarent. Exemplo fit nunquam Hungarorum memoriae eripiendus *Ludouicus M.* rex, qui, et si per annos XL. continuis fere bellis in Italia, Germania, Dalmatia, Bulgaria, Valachia, Tartaria, Polonia, et Lithuania gestis, gentem Hungaram exercuerit, semper tamen sui amantem, obsequentemque habuit: callebat ille prae, quam alii subditorum animos regendi artem, cumque diuturnis bellis opu-

(*a*) Decret. Alberti regis A. 1439. in codice juris patrii.

(*b*) In pice conditiones suscepiti regiminis Vladislai II; Farkashidae, A. 1490. signatas ibidem.

lenta etiam imperia exhauriri soleant, id sub Ludouico M. rara sane felicitate euenerat, vt Hungaria e bellis ipsis ditesceret. Praeter regem, summum omnium imperantem, habebat interdum Hungaria *regem iuniorem*, cum scilicet viuo patre, filius in regem inauguratus fuit, huius tanta fuit potestas, quantam pater voluit: unde grauissimae non raro lites patrem inter, et *regem iuniorem* filium, seu iurisdictionis, seu reddituum causa sunt exortae, vt suis locis videbimus. *Regina senior* mater; *iunior* autem coniux regis audiebant. Illius, tametsi vidua erat, potior et proxima post regem fuit autoritas, vt adeo mirum non sit, reges nonnullos suis in diplomatis, et priuilegialibus literis, *matris suae consensus* meminisse (a). Reginis sponsionis nuptialis tempore, pro regum sponorum arbitrio, et liberalitate, quaedam bona vita comite possidenda donari consueverunt. Primis duobus regni Hungarici seculis, et vltra, usque ad *Mariam Laskaris Graecam*, *Belae IV.* coniugem, praeter alia nobis hactenus incognita bona, tenebant reginae hoc iure *Bisztritzium*, seu *Neosolium* cum pluribus arcibus, villis, ac possessionibus prouinciae *Zoliensis* (b). *Elisabetha Cumana Stephani V.*

(a) Ludouicus M. in priuilegio, quo bullam atream Andreae II. A. 1351. confirmat, hac phrasι utitur: *de beneplacita voluntate serenissimae principissae, dominae Elisabeth, eadem gracia reginae Hungariae, genitricis nostrae carissimae.* In codice iuris patrii.

(b) Vrbanus IV. P. in literis A. 1264. ad Stephanum V. *juniorem regem datis monet*, vt *Bisztritzium*,

coniux, ducatum *Bosniae Matschouiam*, dominium *Veröcze* in *Sclauonia*, ac terram *Scepusiensem* (a). *Agnes* *Austriaca Andreae III.* arcem, ac dominium *Posoniense* cum insula *Tsaloközia* (b). *Maria* denique pariter *Austriaca Ludouici II.* coniux *Marmarosiense*, *Husztense*, *Vetcrobudense*, et *Zoliense* dominia, cum pluribus montanis ciuitatibus (c). Aula reginarum splendida, et frequens fuit: praeter *cancellarium*, quo munere *Weszprimenses* episcopi fungebantur, suos illae habebant aulae barones, puta: *comitem curiae*, tum vero *tauernicorum*, *dapiferorum*, *agazorum*, *pineernarum*, *ianitorum*, *cubiculariorumque* magistros (d). Etsi porro reginae Hungariae in regiae potestatis communionem admissae fuisse videantur, minime tamen eis licebat, citra regis consensum, bonorum largitiones facere, aliaque summo imperanti propria exercere: neque defunt exempla, queis probetur, eas ad testamenta condenda

et alia quaedam loca, quae matri suae *Mariae eripuerat*, in quorum possessione omnes ante eam reginae fuissent, restitueret, in annal. reg. Hung. ad hunc annum.

(a) Cl. Wagner *Scepusii sacri*, et prof. part. I. pag. 81. 274. 299. Cl. Kerchelich *histor. eccles. Zagrab.* pag. 91. Cl. Schier in *reginis Hung.* pag. 228.

(b) Hafelbach col. 765 apud cit. Schier pag. 243.

(c) In auctario diplomatico ad *Vrsinum Velium* pag. 296.

(d) Si alia desint, inspice clausulam diplomatis *Ludowici M. A. 1351.* in cod. iuriis pat.

regum maritorum consensu opus habuisse (*a*). *Ducum Hungariae* titulo insigniebantur regum filii, fratres, et agnati regiae stirpis principes; quibus, ut pro dignitate possent viuere, aut certa bona, aut stipendia conce-debantur. *S. Emericum*, *D. Stephani* filium, hoc titulo Sclauoniam possedisse, traditio est ec-clesiae Zagrabiensis (*b*). *Andreas I.* rex pau-lo liberalior fuit in germanum suum *Belam* ducem. Cum enim mascula sobole ad eum diem caereret, e Polonia euocatum in regimi-nis communionem adscivit, suumque in folio successorem nominavit: ut autem dignitati pares etiam essent redditus, tertiam totius Hungarici regni partem, quae tum Transfil-uanas, et Transtibiscanas ditiones comple-ctebatur, pleno iure possidendam tradidit: quae tertia regni pars ex eo tempore *ducatus* appellari coepit (*c*). Verum inconsulta haec liberalitas, regnique partitio caro postea et *Andreae I.* regi, et successoribus stetit. Id enim, quod e peculiari in fratrem vnicum amore *Andreas I.* egerat, reliqui post *Belam* regii duces in exemplum trahentes, tertiam regni partem, ut iure sibi debitum, ac quem-

(*a*) Tenemus Apographum literarum Urbani IV. P. A. 1263. XII. cal. Ianuarii datarum, in quibus praeter alia, recenseretur facultas, quam Bela IV. coniugi suae Mariae dederat, de rebus suis libere cui vellet e pro'ibus, testandi.

(*b*) Cl. Kerchelich in notit. praelimin. Dalm. et Croatiae. pag. 103.

(*c*) Chronicon M. Turotzii cap. XLII.

admodum iura vocant, *allodiale* bonum de-  
poscebant: cum autem reges nonnulli eam  
monarchiae partitionem, vt securitati suae,  
ac tranquillitati publicae aduersantem nollent  
admittere, eosque odia, litesque creuerunt  
interdum, vt ad arma vtrinque conuolatum  
sit, quibus domus regia non sine innocentum  
ciuium sanguine, regnique deuastatione sese  
matuo atterebat. Ceterum illud fere obser-  
uatum fuisse comperi, vt si plures erant re-  
giae stirpis duces, primogenito Tranffilua-  
nia; reliquis Sclauonia, Bosnia, Chulmensis  
ducatus, aut etiam Dalmatiae, atque Croa-  
tiae praefectura obtingeret. Primus omnium  
*Mathias Coruinus* in *Ioannis* filii gratiam,  
*Liptouensem* comitatum ad ducatus honorem  
euexit (a) quae tamen appellatio suo cum du-  
ce conseputa interiit. Nonnulli e regii san-  
guinis principibus egregiam, bello praefer-  
tim, regibus nauarunt operam; alii regni am-  
bitu abrepti, factionibus suis vniuersam mo-  
narchiam perturbarunt, vt postea visuri  
sumus,

### §. III.

*Inter quatuor regni Hungarici status ordo  
praelatorum primus.*

**C**orpus regni Hungarici e IV. statibus, tan-  
quam partibus, confurgit, videlicet: e *prae-  
latis*, e *baronibus* et *magnatibus*, e *nobili-*

(a) Cl. Kerchelich loc. cit. pag. 299. Vladislai II.  
Decret. V, A. 1500. in codice iuris patrii.

*bus, ac denique e liberis regiisque ciuitatibus.*  
 Ultra quas statuum classes alium statum, ac ordinem in Hungaria non agnoscimus (*a*), omnibus his communia sunt iura, priuilegia, atque onera. Quamuis enim praelati, ecclesiastarum rectores, seu personae spirituales, quarum medio salutem humanam Dominus, et salvator noster administrari voluit, personis secularibus digniores habeantur; quamuis item barones regni respectu officii, quo funguntur, regi propiores in stando, vel sedendo, et primi in consilio voces emitendo, atque priores rempublicam augmentando, et defensionem patriae peragendo, ceteris nobilibus virtute dignitatis, et officii merito praef'erantur, nihilominus tamen hi omnes et ratione nobilitatis, et honorum temporalium, una eademque libertatis, exemptionis, et immunitatis praerogativa gaudent; nec habet dominorum aliquis plus, nec nobilis quisquam minus de libertate (*b*).  
 Hos inter quatuor regni status ex D. Stephani primi regis sanctione (*c*), multiplicibus item legibus, et continua denique consuetudine, primum semper locum tenuere praelati. Porro hoc nomine veniunt: Regni primas Strigoniensis, et Colocensis archi-episcopi, tum vtriusque suffraganei episcopi: Agriensis, Albenensis in Transsilvania, Tsanadiensis, Iau-rinensis, Nitriensis, Quinque-ecclesiensis, M. Varadinensis, Wesprimiensis, Zagrabien-

(*a*) Mathiae II. Decret. I. post coronat. art. I.

(*b*) Verbötzius tripart. part. I. tit. II.

(*c*) S. Stephani decret. hb. I. cap. III.

sis, Sirmiensis, dictus hodie Diacouariensis, Segnienensis, Nandor Albensis, seu Belgradensis a *Carolo*, I. Roberto fundatus, ac per *Carolum VI.* imp. restitutus. His nostra iam aetate, augustae *Mariae Theresiae* in religiosi sacrosanctae incrementum cura, et sollicitudo adiecit: Albaregalensem, Neosoliensem, Rosnauensem, Sabariensem, et Scepusiensem Latinos; Graeci autem ritus Catholicos: Crisiensem, Munkatfiensem, et Varadinensem. Quamdiu Dalmatia tota regibus nostris paruit, inter S. coronaे praelatos fuere pariter Iadrensis, Spalatenensis, et Ragusinus archi-episcopi suis cum suffraganeis, quarum ecclesiarum nunc sub Ottomannorum, aut Venetorum dominio sitarum titulos in hodiernum usque diem Hungaris ecclesiasticis reges nostri conferre solent, ut hac etiam ratione vetera sua in Dalmatiam iura sustentent. Atque huius generis episcopi apud nos electi, ac titulares appellantur. Episcopos consequuntur archiabbas montis Pannoniae, et

**1625.** qui in prioris Auranae locum A. 1625. successit cathedralis ecclesiae Zagrabiensis praepositus maior. His adde metropolitanarum, cathedralium, et collegiatarum ecclesiarum praepositos uno dumtaxat voto suis cum capitulis in publico regni conuentu gaudentes, ac denique conuentuum abbates, atque praepositos, siue seculares, siue regulares. Quorum omnium ordo sedendi in comitiis non vna lege definitus est (*a*).

---

(*a*) Mathiae II. decret. I. post coronationem art. I. §. IV. et sequ. Leopoldi I. decret. IV. art. 10. Tyrocinium iuris Hung. P. I. tit. II.

## §. IV.

*Quinam olim barones regni, et magnates?  
qui bodie his accensendi?*

Alter a praelatis status, ac ordo est *baronum*, atque *magnatum*, quorum institutio D. Stephano regi debetur. *Barones regni*, qui olim *iobbagiones* regis erant, siue *iobbakiones*, quod idem ac *potiores* seu *optimates* significat, (a), quos pro temporum ratione auctos, aut diminutos fuisse, diplomatum si de certum est. Hos inter primum semper tenuit locum *comes palatii*, seu *palatinus*: quae dignitas, quoniam apud exterios non ita, vt oportet, cognita est, operae pretium fore putauimus, eius officia, vt publicis regni decretis definita sunt, paucis hic loci explicare. *Palatinus* igitur pupilli regis, ac per aetatem adhuc regno imparis tutor fuit. Idem et tum, et interregni tempore, ordines Hungariae ad comitia euocabat. Antequam hereditaria successio introducta fuisset, in noui regis electione, primum illius votum fuit; si quando accidit, vt hoste limitibus regni imminentे, generalis toti regno insurrectio imperaretur, palatinus vniuersis copiis supremi, ac generalis capitanei titulo, ac potestate praefuit: ne tamen imperio hoc

(a) Bullae aureae Andreae II. art. XXX. Appellatio haec inde ortum traxerit, quod *potiores*, et *meliores* e seruientibus, seu nobilibus inter barones adscribi consueverint.

in perniciem reipublicae abuti posset, ea cautio adjecta fuit, vt non minus palatinus ipse, quam exercitus regi subesset, nec quidquam eo inuito, aut inconsulto aggrederetur. Palatini fuit, seditiones domi coortas prudentia, et autoritate sua componere: querimonias totius gentis candide, ac sine fuso regi explicare, sicque opportunum malis remedium impetrare. Quodsi rex siue ob hebetudinem, siue ob supinam negligentiam negotia cum exterorum principum legatis tractare non posset, aut non vellet; ne monarchia Hungarica aliquod inde detrimentum caperet, palatinus legatos audire, et, quae e re communi erant, responsa reddere debuit. Quando rex longiore tempore, procul a regno, aberat, is cum delectis e regno assessoribus, vicaria interim *locumtenentis* potestate rempublicam procurabat: quo tempore eius autoritas ita circumscripta fuit, vt nec *bonorum donationes* facere, nec ea, quae ad summi imperantis maiestatem pertinent, iura exercere potuerit. Domi supremus omnium iudex, decretoria sententia litibus omnibus finem imponebat, quam tamen regi integrum fuit, *absoluta potentia et autoritate* relaxare, atque corrigere. Qua Cumanorum iudex e *Ludouici M.* constitutione, ter mille aureos accipiebat: et quoniam Dalmatiae pariter iudiciis praeerat, aliquot littoris Dalmatini insulae palatini dignitati fuere adnexae. Ex quibus clarum fit palatini apud Hungaros iura non fuisse regum maiestati iniimi-

ca (a). Alter a palatino dignitate, et autoritate, praesertim in iudiciis, est, semperque fuit *iudex curiae regiae* (b) : tum vero ceteri, quos ordine recensebimus: *Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae banus*: qui baronatus interdum diuidi solebat, vt alter *Dalmatiae, et Croatiae*; alter *Sclauoniae superiori*, cuius caput Zagrabia est, iura daret (c). *Vaiuenda Transsiluaniae* (d), *magister tauernicorum regalium*, qui omnia omnino bona, et prouentus regios administrabat (e). *Magister curiae*, cuius iurisdictioni *vduarnici*, siue *aulici*, et *curiales regis* suberant. His adde *agazonum, cubiculariorum, dapifero- rum, ianitorum, et pincernarum regalium magistros*: quorum quae in aula fuerint munia, ex ipsa eorum appellatione non obscurae colligitur. (f) Porro inter barones regni,

(a) Vide articulos de officio palatini sub Mathia Coruino A. 1485. pronunciatos, item Alberti decret. A. 1439. art. II. Mariae Theresiae decreti A. 1741. art. IX. et XX.

(b) Decret. Mathiae II. ante coronat. art. III. Caroli VI. decreti A. 1723. art. XXIV. et XXVI.

(c) In diplomate Ludouici M. A. 1382. lego *Emericum Bubek Dalmat. et Croat. Stephanum au- tem de Lindua torius Sclauoniae banum*.

(d) Ultimus hoc titulo, et dignitate usus fuit Stephanus Báthori de Somlyo, a Maximiliano imp. A. 1571 confirmatus, postea rex Poloniae.

(e) Verbötz tripart. part. III. tit. X. Sigismundi decret. II. art. XII. Decret. III. art. XI. M. Theresiae decret. I. art. XII.

(f) De baronum regni officiis, consule cl. Mathiam Bel in apparatu Docum. I. et huius filium cl. Carolum Bel in dissert. de archi-officiis regni,

qui magistrum tauernicorum consequuntur, nullum omnino dignitatis est discrimen, soliusque temporis, quo quis baronatum adeptus fuit, habetur ratio. Horum caetui A.

1764. adscriptus fuit praetorianae nobilium Hungarorum turmae capitaneus. (a) Baronibus, quos mox nominaui, subiunguntur in diplomatibus, *comes Posoniensis*, et gemini *sacrae coronae nostrae conseruatores*. Olim, praesertim tertiodecimo post Christum natum seculo, paulo plures censebantur regni barones. Sic nominatim sub Ladislao IV. Cu-
1273. mano cum alias, tum vero A. 1273. (b), leguntur sequentes: *Erneus banus de Boszna*. *Henricus banus de Sóo*, et *Wozora* (c); *Ioannes banus de Machov*, seu *Matschov* (d); Ste-

(a) Mariae Theresiae decret. III, art. VI,

(b) Plura anni huius diplomata reperies in episcop: Agriensis Tom. I. p. 165. ac in imagine nouae Hung. pag. 43.

(c) *Sóo*, et *Wossora* arces cum ditione cognomine in *Bossina* fuisse certum est ex Lucio, apud quem legitur Stephani ducis *Bosniae* sequens titulus: *magni, et potenti domino Stephano libero principi Boffnae, Vfforae, et Salae*, haec arx apud salinam; illa apud flumen *Vfforam* sita erat. Ex instrumento A. 1412. colligitur arces has: *Zolnik*, et *Ossora* fuisse appellatas. Vide Timon. in imag. nou. Hung. p. 45. et 50.

(d) *Matschouensis* ditio, et *banatus* illic situs erat, ubi *Ramiae* regnum collocamus: diuidebatur a *Sirmio*, flumine *Sauo*, ac hodie dum in certis geographicis *Mascua* scribitur: sub bani *Matschouensis* iurisdictione fuit *Belgradum*, cum adiacente ditione, ut videre est in literis *F. Taliacatii* in annal. reg. Hung. ad A. 1456. recitatis.

phanus banus de *Rusznya* (a); *Gregorius* banus de *Boranch Bronch* et de *Kukow* (b), et *Paulus* banus de *Zeurinio*, seu *Seuerino* (c). Postremo hoc banatu per Ottomannos euerso, *Mathias Coruinus* rex suffecit *banum Temesiensem*, qui etiam *comes Temesiensis* audiebat, hic non modo comitis *parochiani* magistratum in prouincia Temesiensi obibat; verum etiam partium regni inferiorum capitanei munere fungebatur, inter barones regni diplomaticis regiis subscribi solitus (d). Amissa subinde Temesia, nomen etiam comitis Temesiensis desierat, nostra demum aetate per *M. Theresiam Aug.* postliminio restitutum: quo honore primus omnium *Christophorus C. Nitzki* exornatus fuit. Ceterum non baronibus solis definiebatur primorum regni ordo: erat ultra hos longa *magnatum* series. Hoc porro nomine non alii olim veniebant, quam prouinciarum,

(a) *Rusznyae* vocabulo quid aliud, quam *Ruthenia*, aut *Russia Hungariae* contermina intelligi debet; non video.

(b) Vbi loca haec quaerenda, *Oedipo* opus est: in *Bossnia* tamen quaerenda esse probabile est.

(c) Arx *Seuerinensis*, Hung. *Szörény*, vnde suam banatus traxit appellationem, locata fuit in *Valachia*, infra pontem *Traiani*. Vide topograph. Hung. edit. A. 1718. p. 186. *Marsilius* item tom. II. part. I. num. XXIX.

(d) *Vladislai II.* decret. IV. A. 1500. legimus inter barones regni *Iosam de Som* comitem *Temesiensem*, et generalem capitaneum partium regni inferiorum in cod. iuris patrii.

sive comitatuum, in quos Hungaria tota divisata fuit, moderatores, ex *D. Stephani* institutione *comites parochiani* dicti, quod nempe in suo quisque comitatu tamquam in parochia residere cogerentur. (a) Ex his alii vita solum comite magistratum gerebant; alii eundem hereditario ad posteros iure tenebant: horum munus fuit, non modo rem politicam, atque oeconomicam; verum etiam militarem in credita sibi prouincia procurare. Posteriorae aevo non medicriter augeri coepit magnatum numerus, per *liberos barones* et *comites* vulgo *Grof* dictos, quibus honorum titulis primi omnium Austriaci principes nonnullas illustres equestris ordinis familias exornare coeperunt. Eidem augustae domui debemus sacri Romani imperii principum dignitatem cum Hungaris communicatam. Primus

1517. hanc A. 1517. a *Maximiliano I.* caesare obtinuit *Emericus de Pereny R.* Hung. palatinus, (b) tum a *Leopoldo M.* A. 1687. *Paulus Eszterházi de Galantha* perpetuus comes

(a) Parochianus ortum habet e Graeco Παροχίας, *juxta habitō*, Παροχίας *incolatus*, *accolatus*, Παροχίος, *incola*, *accola*. Ut adeo comitem parochianum recte definiueris, comitem, qui prouinciam, aut comitatum moderationi sua creditum, incolit. Hinc recte concludes *comites parochianos* ex ipsa vocis ethymologia ad residendum in suo comitatu esse obstrictos.

(b) Diploma principatus collati lege in *analectis* Sec. pusii sacri, et profani parte II, pag. 135.

an Frakno (a). Denique nostra iam aetate  
**A. 1764.** hoc honore a *Francisco I.* impera-  
tore auctus fuit *Carolus comes de Battyan*  
perpetuus in Nemet Viuár, supremus campi  
*Mareschallus*, atque illius, quem hodie vene-  
ramur *Iosephum II.* Aug. inde a prima pue-  
ritia institutor. Haec de magnatibus hic lo-  
ci dicta sufficient.

## §. V.

*Peculiaris olim maiorum, liberorum, ac per-*  
*petuorum comitum in Hungaria dignitas ex-*  
*plicatur, et exemplis illustratur.*

Praeter duo illa magnatum genera, *baronum*  
*scilicet regni, et comitum parochianorum,*  
reperimus iam inde a XIII. Christi seculo  
floruisse apud nos, peculiarem quamdam *ma-*  
*iorum, perpetuorum, et liberorum comitum di-*  
*gnitatem, cui libertates quaedam, ac praero-*  
*gatiuae non vulgares fuere adnexae.* *Comi-*  
*tis perpetui titulus, atque appellatio heredi-*  
*tario ad posteros utriusque sexus iure transi-*  
*bat, nec quidquam cum *comitis supremi*, ac*  
*parochiani titulo commune habuit: hic quip-*  
*pe minime ad filium pertinebat; nisi cum*  
*ipse pariter *comitis parochiani* honore fungie-*  
*batur.* *Comites perpetui* denominationem  
*suam fortiebantur ab arce, et dominio, quod*

(a) Diploma Leopoldinum editum reperies ad calcem  
operis, quod inscribitur *Tropbaeum Esterasianum.*

cum *perpetui*, *liberique comitis iure*, ac titulo ex regum munificentia obtinuerant; aut quod antea iam possessum, placuit principi, ad *perpetui*, *liberique comitatus honorem euehere*; ut adeo propria idmodi *comitis ditione*, *liber*, atque *perpetuus comitatus diceretur*. Vnde nouum rursus inter *perpetuos*, *liberos comites*, et *parochianos eruitur discrimen*: illi quippe *liberi comitatus* sui domini; hi autem prouinciae, seu *comitatus* sibi a rege crediti, solum fuere praefides, ac moderatores. Praerogatiuae porro *maiorum perpetuorum*, ac *liberorum comitum* hae fere in iure nostro recensentur: erant ditionis seu *liberi comitatus* sui populorum non domini solummodo, verum etiam iudices: quapropter in facinorosos quoquis, suo in territorio apprehensos, ius gladii exercebant; cum ex aduerso reliqui terrestres domini, seu magnates, seu nobiles, malefactores omnes publicis regni magistratibus confignare cogerentur (a). Idem propriis sub sigillis procuratores constituebant (b). Cera item rubea quoad *sigillum in signum excellentiae comitatus* vtebantur (c), ac vt alia praeteream, *a banorum, vauodarum, comitum item parochianorum, ac vice-comitum iurisdictione exempti*, ex *vetustissima diuorum regum ordinatione*,

fo-

(a) Vladislai II. decret. art. XIX. §. III. et IV.

(b) Tripartiti p. II. tit. XIII. §. VI.

(c) Ex diplomate Ladislai posthumo hic recitando.

*soliis regiae maiestatis iudicio reseruati sunt*  
 (a). Clariora haec fient ex illustri sane diplomate, *Ladislai posthumus regis*, qui postquam A. 1452. Viennae, publico in foro, <sup>1452.</sup> aurato in folio sedens, *Ioannem de Hunyad Hungariae gubernatorem*, ob insignia in rem publicam bello, pacisque merita, ciuitate, ac districtu Bisztricensi in Transsiluania donasset, *perpetuumque comitem Bisztricensem creasset* (b); quod viua tum voce decreuerat, biennio post, Budae, in generali regni conuentu, solenni diplomate roborauit (c). Nos id solum, quod ad praesens argumentum facit, *huc transferemus*; sic autem habet:  
 „ *Ipsum Ioannem de Hunyad*, ac filios, he-  
 „ redesque eorum vniuersos, super ciuitate  
 „ Bisztricensi, et districtu, ac eius pertinen-  
 „ tiis, in partibus Transsiluanicis habitis,  
 „ *in perpetuos, liberos comites maiores*, di-  
 „ ctum vero districtum *in comitatum perpe-*  
 „ *tuum --- de plenitudine nostrae regiae*  
 „ *potestatis nominamus, praeficimus, et*  
 „ *creamus. Eundemque comitem Ioannem*,  
 „ ac filios, et heredes suos, sed et *comita-*  
 „ *tum praedictum ab vnuodarum, et quo-*  
 „ *rumlibet iudicum, et iustitiariorum illa-*  
 „ *rum partium iudicatu, et a iurisdictione*

(a) Mathiae Coruini decret. VI. art. XXI. in cod. juris patrii.

(b) Chronicon M. Turotzii part. IV. cap. LI.

(c) Primus diploma hoc edidit cl. Pray in annal. reg. part. III. pag. 125.

„ eximendo , solius nostrae praesentiae ; aut  
 „ palatinali , et iudicis curiae nostrae iudi-  
 „ cio reseruamus , decernentes , vt ipse co-  
 „ mes *Ioannes* , et heredes vniuersi , cera ru-  
 „ bea , quoad sigillum , in signum excellen-  
 „ tiae *comitatus* , ac aliis omnibus illis gra-  
 „ tiis , honoribus , praerogatiuis , et priui-  
 „ legiis , quibus ceteri *maiores comites libe-*  
 „ *ri* , et *perpetui* de iure vel consuetudine  
 „ vtuntur , gaudeant , vtantur , et fruantur ,  
 „ perpetuis semper temporibus vniuersis :  
 „ recepto ab eodem comite *Ioanne* in per-  
 „ sona sua , et heredum suorum firmissimo ,  
 „ in talibus praestari solito , nobis , et suc-  
 „ cessoribus nostris regibus Hungariae fide-  
 „ litatis , et obedientiae iuramento (a) . E  
 fragmento hoc perspicuum fit , qua forma ,  
 quibus item conditionibus , *maiores perpetui* ,  
 ac *liberi comites* creari consueuerint , quaeue  
 peculiari huic dignitati praerogatiuae fuerint  
 adnexae . Diploma istud eo pluris faciendum  
 est , quod huius generis nullum aliud , quod  
 sciam , ad posteriorum memoriam sit transmis-  
 sum ; quamuis singulari hoc titulo complures

---

(a) Bisztricum , cuius diploma meminit , Mathias Corvinus A. 1458. cum perpetui comitis Bisztri-  
 censis titulo , in Michaelem Szilagyi auunculum suum transtulit , quo sine herede e viuis sublato ,  
 rursus regis iuribus restitutum est . Vide cl. ac  
 doctissimi viri Stephani Kaprinai Hungariam diplo-  
 maticam parte II. pag. 195. Item dissertatio-  
 nem Germanice conscriptam de Bisztricio A. 1781.  
 editam Posonii in collectione , cui titulus *Vngrän-  
 sches Magazin* pag. 54.

olim in Hungaria fulfisse certum, exploratumque sit. Quantum ex editis hactenus in lucem monumentis, et lucubrationibus colligitur, primus e sacro cleri ordine arcis, et dominii Strigonensis *perpetuus comes* creatus fuit a Bela IV. rege *Philippus*, Strigonensis archiepiscopus, idque circa A. 1270. Qui 1270 enim hunc in prima illa ecclesiae Hungaricae sede excepit *Nicolaus*, cum adhuc *electi* solum titulo vteretur, *perpetuum ie loci Strigonensis comitem* scripsit (a). Qua appellatione ceteri post eum Strigonienses archiepiscopi constanter deinceps usi sunt (b), neque vaquam, vt ex eorumdem titulis liquet, vti desierunt (c). Non absimiliter *Stephanus* de Varda Colocensis, et Batiensis ecclesiarum canonice vnitarum archi-episcopus, ac subinde S. R. E. cardinalis *Ladislai* posthumus regis gratia, *perpetui comitis Colocensis* dignitatem obtinuit circa A. 1457 (d), 1457 quo tempore arx, et dominium Colocense,

(a) In diplomate *Ladislai* IV. A. 1273. III. calendaris Aprilis dato, eius clausulam vide in episcopis Agriensis parte I. pag. 135.

(b) Vide clausulam diplomatis *Ludouici* M. A. 1351. in codice juris patrii.

(c) Ut alios praeteream, *Nicolaus Olahus* ad obitum usque hoc titulo usus legitur: *eiusdem loci Strigonensis perpetuus, comitatus autem Hontensis supremus comes*: adiit ecclesiam Strigonensem A. 1553 denatus 1568. Vide cl. Schmitt in archiepiscopis Strigoniensibus parte II. pag. 60.

(d) *Stephanus de Varda* a Colocensi, et Batiensi capitulis postulatus per *Ladislauum* posthumum no-

quod iam a *D. Stephani* fundatoris aetate, iuris fuit archi-episcoporum Colocensium, ad perpetui, liberique comitatus honorem est euentum. Nemini igitur mirum videri debet, si in *Stephani de Varda*, et successorum eius titulo legerit, *eiusdemque loci Colocensis comes perpetuus* (a). Ut ceteros de clero praeteream, Nitrienses etiam episcopi perpetuos se *loci Nitriensis* scripsere *comites* (b). In seculari magnatum ordine non pauci hac praerogatiua fulgebant. Sub *Ladislao IV.* Cumano floruerunt comites de *Gissing*, seu Német-Viuár; sub *Sigismundo* imperatore comites *Ciliae*; sub *Ladislao* posthumo *Koro-*

minatus fuit *Colocensis archi-episcopus* die 25. Februarii A. 1457. quo tempore una perpetui comitis dignitate exornari debuit, cum eodem anno IX. calendas Decembris rex obierit. In instrumento concordiae, cum Friderico caesare initae Sopronii A. 1463. die 19. Iulii signato hoc titulo usus legitur: *Nos Stephanus Dei, et Apostolicae sedis gratia Colocensis, et Batsiensis ecclesiarum archiepiscopus, locique eiusdem Colocensis, comes perpetuus.* In auctario diplom. ad Vrsinum Velium pag. 240. Item in decreti Mathiae I. A. 1464. clausula in cod. iur. pat.

(a) Nonnulli mendum in titulum irrepsisse credebant, ac ideo proly. *Colocensis, Batsiensis* substituendum esse putabant: sed perperam, ut ex iis, quae attulimus, clarum fit.

(b) In clausula decreti Mathiae II. A. 1608. item 1609 legitur datum per manus R Valentini Lépes episcopi eccl. Nitriensis, locique eiusdem comitis *perpetuus*.

*ghiani* perpetui comites de Kastellis (a); sub *Mathia* Coruino comites de *Bozin*, et *S. Georgio*, ac denique *Zapoliani*, perpetui comites *terrae Scepusiensis*, quem titulum primus omnium in familiam suam A. 1465 1465. intulit *Emericus* de Zapolya, regni Hungariae palatinus (b). A pluribus, seu veterum, seu recentiorum comitum perpetuorum exemplis huc congerendis breuitatis causa abstinemus: haec autem eo potissimum consilio delegimus, vt eo clarius pateat, quanta sit inter *miores perpetuos*, et *liberos comites*, ac hereditatios comitatuum quorumdam *supremos comites distinctio*; quantum item *perpetuus liber comitatus* a regni *comitatu* differat. Quis enim ignorat: *Bisztricum*, *Colotzam*, *Gissingam*, *S. Georgium*, et *Castella*, aliaque his similia, dominia solum fuisse; neque vñquam inter regni comitatus locum habuisse. Ne quid tamen ad illuſtrandum hoc argumentum praetereamus; fateendum est, fuisse veteri etiam aequo non paucos, qui non modo arcis, ciuitatis, ac dominii

(a) Ioannem Koroghi A. 1456. fuisse *comitem perpetuum de Kastel*, banum Matschouensem, comitatum item de Possega, et Orban supremum co-mitem, disce ex epistola E. Taliacatii in annal. reg. Hung. ad h. a. vbi autem locus Kastel quaerendus? nisi quis idem existimet esse, cum eo, quod Kesztel, aut Gesztel appellant in ripa Balatonis situm, iuris comitum Festetics de Tolna.

(b) Cl. Wagner analector. *Scepusi* part. IV. pag.

alicuius *perpetui liberi comites*; verum etiam cognominis comitatus, et prouinciae hereditarii, ac idecirco *perpetui supremi*, seu *parochiani comites* sunt creati. Sic Strigonienses archi-episcopi, et loci Strigonensis, et qui nomen inde sortitur, comitatus se *perpetuos*, et *supremos comites* hodiedum scribunt. Nitrienses episcopi pariter posteriore iam aevo loci eiusdem, ac *comitatus Nitriensis perpetui*, et *supremi comites* fuere (a). Zapoliani *perpetui terrae Scepusiensis*, vna etiam hereditarium tenuere eiusdem comitatus supremi comitis honorem (b). Ex recentioribus coronidis loco vnicum eius generis, sane quam illustre, exemplum adferemus. In comitiis

1599. A. 1599 Posonii celebratis, status, et ordines regni communi nomine orauere *Rudolphum II. caesarem*, vt *Nicolao Palfi ab Erdöd immortalis memoriae viro*, ob insignia in rempublicam merita *cum sanguinis sui effusione praestita*, et *quotidie praestari solita*, *cum titulo comitis perpetui arcem*, et *bona Posoniensia conferret* (c). Et habuit sane tam eximiae commendationis rationem caesar, *Palfiosque et arcis Posoniensis*, et cognominis comitatus *perpetuos et supremos comites* pronunciauit. Atque haec de *maioribus per-*

(a) Vide clausulam decret. II. Leopoldi A. 1662: item decret. IV. A. 1687.

(b) Cl. Wagner analect. Scepusii part. III, pag. 219.

(c) Rudolphi II. decret. XI. art. XLVIII.

*petuis*, atque *liberis comitibus* dicta sufficient,  
quibus peculiarem hanc dignitatem vteumque  
per nos in luce positam existimamus.

## §. VI.

*Tertius regni ordo nobilium.*

**V**ariis magnatum classibus compendio expli-  
catis, tertius regni nostri ordo nobilium  
paucis attingendus. *Nobiles Hungari olim*  
*milites* dici consueuerunt (*a*), qua quidem  
appellatione, sane quam honorifica, non quae-  
uis arma gerentium turba, sed veri, ac pri-  
mi ordinis nobiles, castrorum, oppidorum,  
ac villarum terrestres domini intelligebantur.  
Erant hi illorum Hungarorum, qui *Arpado*  
duce regnum hoc non sine sanguine adepti  
sunt, posteri heredes, et successores. Idem  
in vetustis diplomatis, *regis seruientes* (*b*),  
et *exercituantes* vocantur, idque propterea,  
quod, vt diplomata loquuntur, *sub regiae ma-*  
*iestatis vexillo seruire, militare, ac exercitua-*  
*re tenebantur* (*c*). Id quod praecipuum sem-

(*a*) S. Stephani regis decretor. lib. I. cap. IV.

(*b*) Hodieum nobilium iudices, Hung. Szolga-bírá  
id est seruentium iudices audiunt.

(*c*) Ladislaus IV. in diplomate Petro filio Beten A.  
1278. dato hac phraſi vtitur, te in caetum, ac  
conſortium regni nostri nobilium, nobiscum ſub  
vexillo noſtro more exercituantis fanfulantium, de  
noſtra benignitate regia duximus adſcribendo con-  
iungendum. Editum eſt in ſpecimine Herald.

per fuit nobilitatis Hungaricae munus, et officium, ac vnica fere via, qua gloriam, et opes consequerentur. Iam inde ab *Arpadi* ducis temporibus, militiae robur omne in *nobilibus* situm fuit. Militabant autem, quin quidquam seu a rege, seu ex aerario publico stipendii acciperent. Donec nobilibus facultates suppeditabant; donec in virtutis praemium, liberalius per reges donabantur; donec intereuntium familiarum bona bene meritis diuidebantur; illustre hoc, citra stipendia, militandi onus cum gaudio tolerabant *nobiles*; at postquam propagato familiarum numero, redditus, ac possessiones eorum, per continuas filios inter, ac nepotes partitiones, vltra modum diminuta sunt; postquam ex bonis, seu per *notam*; seu per *defectum* ad manus regias deuolutis, nil in *nobilium* ordinem deriuari coepit; postquam haec non tam pro merito, quam pro beneplacito principis fere inter potentiores diuidi consueuerunt: tum enim vero pulchrum illud propriis stipendiis militandi officium, multis paulo grauius; pauperioribus autem *nobilibus* etiam impossibile euasit. Quare cum bellum extra patriam, et longiore tempore protrahebatur; quibus copiosiora dominerant latifundia, immenso aere alieno se, familiamque suam onerare; alii autem, qui-

bus angustior res domestica fuit, omni iam sumtu deficiente, ne fame in castris enecarentur, non sine reipublicae damno, desertis signis, domum ante tempus reuerti cogebantur. Sensit Hungaria p[re]e ceteris celebrem illam Ierosolymitanam expeditionem cum *Andrea II.* rege A. 1217. suscep[t]am, in qua 1217. regis, regni, priuatorum, cum magnatum, tum vero imprimis *nobilium* facultates omnes sunt exhaustae. Malo huic sane quam grauisimo obuiam itum est in comitiis sub eodem rege A. 1222. celebratis: vbi lege publica 1222. sancitum fuit, vt nobiles deinceps non nisi intra fines regni proprio sumtu militiam facerent; quamprimum hos excessissent, a rege stipendia acciperent, atque insuper eorum, qui bello occubuerint, filii debitam parentum virtuti mercedem acciperent (*a*). Atque haec militandi ratio per plura deinceps secula obtinuit, non sine immortali nobilitatis Hungaricae gloria. Pulcherrimus hic *nobilium* ordo, et autoritate, et opibus floruit usque ad *Mathiae Coruini* tempora: quo imperante, continua siue contra *Fridericum imperatorem*, siue contra *Bohemos*, et *Polonos* bellis, ita paucorum annorum spatio nobilitas exhausta fuit, vt eadem egestatis subleuandae causa, ab adeundis generalibus comitatum congregationibus, publica regni constitutio, pro quinquennio absoluenda

(*a*) Bulla aurea *Andreae II.* regis art. VII. et X. Alberti decret. art. III.

fuerit (*a*). Verum iniquissima omnium nobilitati fui*m* tempora *Vladislai II.* et *Ludouici II.* Tum enim potentiores quidam puta *Zapoliani* et *Bathorii*, ac plures alii, opprime*r*e *nobiles*, eorum possessiones violenta manu inuadere, ac diripere, egentiores denique sub iugum mittere non sibi vel pudori, vel religioni ducebant, legesque sanctissimas aduersus hanc licentiam latas nihili pendebant: quia vero ab utroque rege, et ignauo, et viribus destituto, nullum inueterato iam malo remedium adferebatur, funestissima omnium magnates inter, et *nobiles* discordia exarsit; quae nouis in dies fomentis animata, non prius, quam cum communis illo patriae

*1526.* excidio A. 1526. ad Mohatsium extincta desuit: qua de re plura suo loco candide, vt sollemus, narraturi sumus. De nobilium Hungarorum seu officiis, seu praerogatiis nil attinet dicere: quod haec, vt superius minimus, cum praelatis, et baronibus, atque magnatibus regni eis sint communia. Sunt insuper omnium omnino regni magistratum, et dignitatum capaces, ac illud nominatim iterata regni constitutione sancitum habemus, vt *personalis praesentiae regiae in iudiciis locumtenens*, ex equestri semper nobilium ordine crearetur (*b*). Haec fere sunt, quae de vetere nobilium, quos *possessionatos*

(*a*) Mathiae Corvini decret. IV. A. 1478. art. VII.

(*b*) M. Theresiae decret. II. art. VI. decret III. art. V.

dicimus, statu hic loci insinuanda videbantur: huic subinde, praesertim sub Sigismundo imperatore, aliud nobilium genus adiungi coepit, quos armalistas vocant, quod hic contra bonorum, et iurum possessionariorum collationem, regum gratia inter nobiles relati, armorum insignibus exornari soleant: cuius generis literae regiae *armales* appellantur (a).

### §. VII.

#### *Quartus status liberae, ac regiae ciuitates.*

Postremo regni ordine comprehenduntur liberae, regiaeque ciuitates, quarum singulæ *in concreto*, ut aiunt, acceptæ, iisdem, quibus nobiles, gaudent prerogatiis, iisdemque subsunt oneribus. Quare nobilium instar suos ad castra mittebant equites, peditesque, speciatim autem machinas bellicas, hominesque illis dirigendis idoneos (b). Ciuitates regiae proprium sunt regis nostri peculium, atque ea inter bona censentur, quae S. coronae bona appellamus (c). Earum origo haud dubie ad D. Stephanum monarchiae Hungaricae patrem referenda est, quem constat Albae-regalis fuisse conditorem. Primi ciuitatum incolae potissimum Germani, et Itali fuere, ad opicia cuiusvis generis, et

(a) Verbötzius tripart. part. I. tit. VI.

(b) Vide Cl. Kaprhai Hung. diplom. part. II. pag. 160. 492. et sequ.

(c) Vladislai II. decret VII. anni 1504. art. III.

mercimonia exercenda, quauis aetate in Hungariam euocati (*a*). Collocabantur hi ad principem cuiusuis comitatus arcem, aut, si haec angustior fuit, haud procul inde, vbi opportunior situs videbatur. Crescente aedium, et incolarum numero, quae prius villae, oppidaque fuerant, liberarum regiarumque ciuitatum syllabo adscribebantur. Ante *Belae* IV. aetatem, et pauciores, et negligenter communitae fuere ciuitates Hungaricae; atque haec fere causa fuit, quod, si Albam-regalem demas, vniuersae prope ciuitates

1241. A. 1241. per Tartaros solo aquatae fuerint. Quapropter his e regno digressis, *Bela* IV. et veteres ciuitates, et quas ipse nouas condi fecerat, muris, et turribus circumdari procurauit. Plurimae nihilominus natales suos, aut incrementa debent *Sigismundo* imperatori; is, vt erat publici commodi studiosus princeps, nil siue ad utilitatem, siue ad securitatem regni opportunius existimabat, quam si plurimae ciuitates regiae moenibus cinctae erigerentur, in quibus artes, et mercimonia vigerent, ad quas belli tempore plebs circumfita se posset recipere (*b*). Princeps adhuc sub ducibus Hungariae ciuitas fuit Strigonium, vbi D. *Stephanus* et primam lucem

(*a*) Cl. Kaprinai cit. loc. pag. 155. Apud Cl. Wagner in analectis Scepusii saeri, et profani passim idemodi exempla reperies.

(*b*) Sigismundi decret. A. 1405. in praefat. Item eiusdem diploma Cibinensi ciuitati concessum in diplomatico Sarosiensi pag. 174.

aspexit, et sacrum suscepit diadema, atque  
idecirco etiam metropolitanam sedem colloca-  
uit. Condita subinde Alba-regalis, a con-  
stante regum incolatu, inauguratione, ac se-  
pultura celebris euasit, primatumque tenuit  
per tria, et amplius secula: at postquam  
*Ludouicus M.* stabilem in monte Budensi se-  
dem defixit, Noua Buda deinceps totius re-  
gni metropolis esse coepit. Creuit illa maxi-  
mis breui tempore incrementis. Primum  
enim antistites, et illustriores regni familiae  
splendidas illic fibi aedes exerant, vt regi  
suo eo commodius praefecto essent. Collocata  
mox ibi camera regia, et officina monetaria:  
ciuitates regni omnes Budensium mensuris,  
et ponderibus vti iussae: erectum illic mer-  
cium cum domesticarum, tum exterarum  
monopolium: id quippe *Ludouicus M.* Bu-  
densi vrbi priuilegium dederat, vt exteri  
quaestores: Itali, Germani, Poloni, Bohe-  
mi, et Graeci merces suas omnes Budam de-  
ueherent, hinc subinde per sparsos in Hun-  
garia quaestores redimendas; ex aduerso  
Hungari merces domesticas Budensibus cede-  
rent, quas exteri deinde ab his acciperent.  
Sic cum commercium omne Budae, tamquam  
in centro situm esset, facile quisque perspi-  
ciet, quantum vrbem hanc lucrifacere, quan-  
tum item, et incolarum numero, et opibus,  
et aedibus crescere oportuerit. *Sigismundus*  
imperator ceterarum regni ciuitatum com-  
modo prospecturus; priuilegium hoc A. 1405. 1405,  
ita temperauit, vt prima quidem eius pars  
de exterorum mercibus porro etiam obtine-

ret, domesticas autem quoquis in loco licet venundare (*a*). Illud quoque olim obseruatum reperio, vt cuilibet prope ciuitati proprium esset quaestus genus, climati, et soli indoli accommodatum: aliae ex his elegantiori telae conficienda (*b*); aliae curribus construendis (*c*), aliae denique aliis peculiari studio non sine lucro vacabant. Argumentum hoc de vetere ciuitatum Hungaricarum commercio insigniter illustrari posset; si vetustiora singularum priuilegia in publicum ederentur: ex quibus vna ea, quae olim apud Hungaros obtinuit, commercii ratio in luce poneretur: cuius quidem vim praecipuam in ciuitatibus regiis sitam fuisse in confessu est. Ceterum fatalis illa clades Mohatsiana, et quae hanc consecuta est per centum sexaginta et amplius annos seruitus Ottomannica, vt toti Hungariae, ita speciatim ciuitatibus regiis exitium attulit. Quae-dam ex his, vt Buda, Pestinum, Strigonium, et Albaregalis, aedibus multiplici incendio absuntis, caesis, aut dilapsis veteribus incolis, propemodum euersae nil nisi inane pristini splendoris sui nomen retinuerent: vt adeo post electos *Leopoldi* M. auspiciis e regno Ottomannos, nouas eo colonias e vici-

(*a*) Sigismundi decret. minus art. XI.

(*b*) De Bartfensiū sindone vide Cl. Kaprinai. Hung. diplomat. part. II. pag. 390.

(*c*) De Kefmarkiensium curribus *mázás szekér*, et aliis. Vide Cl. Wagner analectorum Scopulii part. I. pag. 55. 219. 223.

na Germania deduci oportuerit : aucta deinde per diuturnam cum oriente pacem populi frequentia , sensim suis e ruinis caput efferre coeperunt. Non paucae praesertim in superiori Hungaria sitae ciuitates , et si Turcarum iugum minime subierint , intercluso nihilominus per bella domestica omni pene cum exteris commercio , adeo et incolis , et opibus exhaustae sunt , ut hodie dum et solitudine squalent , et cum egestate collectentur. Sed enim inueteratis his , aliisque id genus querimoniis breui finem imponet nouum , quod Hungariae exortum est , fidus , Iosephus II. aug. rom. imperator , communis subditorum rex , et pater .

### §. VIII.

*Quinam olim iobbagiones castrī ? qui Vduarnici ? qui denique regum populi ?*

Hactenus de IV. regni Hungarici statibus actum , nunc alia quaedam hominum olim in Hungaria nominatorum genera paucis explananda sunt. Qui remotioris aetatis regum diplomata peruvuerit , saepius illuc nominari reperiet *iobbagiones* , fortasse *iobbakiones* , *castrī* , quod potiores ex populis ad castrum spectantibus significat : neque confundendi hi sunt cum regum , ac dominorum terrestrium *seruis* , *subditis* , quos ius nostrum *iobbagyiones* appellat (a). Quamuis autem ab agresti hac

---

(a) Clarum id fit ex literis Matthaei totius Selauiae bani A. 1270. datis , quas vide in notitiis prae- limin. Dalmat. Croat. et Selau. pag. 202,

plebe distincti fuerint, quos diximus, *castrum iobbagiones*; *nobilibus* tamen *militibus*, ac *seruientibus* gradu, honore, ac praerogatiis inferiores erant, fere non absimiles illis, quos hodieum *praediales* vocamus. Verum id esse, vel inde euincitur, quod fide diplomatum constet, nonnullos e *iobbagionibus castrum* in verorum regni *nobilium*, *militum*, ac *seruientium* caetum fuisse translatos (*a*). Quod profecto minime fieri poterat, si *iobbagiones castrum* vera iam ante, ac *militibus regisque seruientibus* aequali gauisi fuissent nobilitate. Illud igitur a nobis hic loci praestandum venit, vt, quod reapse hominum genus, quibusue obnoxium officiis, hac appellatione olim intellectum fuerit, aperta in luce ponamus. Quod suo vt ordine exequamur, illud ante omnia pro certo tenendum est, *castra*, et *arces* eas omnes, quae singulis regni comitatibus nomen indidere, cum territorio circumiacente, eodemque satis ampio, ad summi in Hungaria imperantis proprietatem, ac utilitatem principio pertinuisse: profecto in promptu habemus diplomata, quibus ad liquidum demonstretur, plurimas eius generis *arces comitatenes*, quae postiore aevo ad priuatorum dominorum manus deuenerant, adhuc tertio decimo Christi seculo, in regiorum bonorum fuisse numero: in prima videlicet, vt iam alibi meminimus, regni

---

(*a*) Diploma Stephani V. A. 1269. quo id illustratur, habes in specim. herald. Hung. pag. 86.

regni *Arpado* duce sub iugum missi, capitaneos inter, atque nobiles partitione, quauis in prouincia, seu comitatu placuit quasdam terras, ac praedia pro supremi Hungarorum ducis vtilitate referuare, atque ad principem comitatus arcem regiam assignare (*a*), quae castris regii feuda appellata sunt. Huius generis terrarum, et praediorum pars pro situ, ac opportunitate locorum armantis regiis, pecoribus, ac pecudibus cuiusuis generis alendis deseruiebat (*b*): pars ruricolis, regiis subditis ad colendum data fuit; vnde hi principi aequae ac terrestri suo domino, non tributa solum cunctis communia; verum etiam censum, ac decimas omnes pendere confueuerunt (*c*). Pars denique castris

(*a*) Apposite prorsus in rem nostram *M. Rogerius* sub medium seculi XIII. sub Bela IV. rege scribens in carmine miserabili cap. X *Eft*, inquit, *non ignorum, quod Septuaginta duos habet Hungaria comitatus, hos, id est gubernationem eorumdem, reges Hungariae benemeritis conferebant, sine iniuria possidentis, id est saluo tam priuatorum dominorum, quam regis ipsius ibidem, ut aiunt possessorio, ex his comitatibus, seu bonis comitatensibus, habebant delicias, diuitias, et honores; potentiam, altitudinem, et munimen, sed per prodigalitatem etc.*

(*b*) Bullae aureae Andreae II. A. 1222. cap. XXII. et XXIX. in codice iuris patrii.

(*c*) Colomanni regis decret. lib. I. cap. XXV. et LXXVIII. Bullae aureae cap. XXIX. Item decreto Andreae II. A. 1234. edito in Annal. reg. Hung. tom. I. pag. 234. quod nos in capita XXIII. di-

terrarum inter viros ad arma gerenda idoneos ea lege, et conditione distributa erat, ut ab omni alia seu rustica, seu ciuili seruitute liberi, militaribus solummodo obsequiis occuparentur: castra regia cum feudis eo spectantibus aduersus quosvis hostes defendenter (a), ac bello forte exorto sub comitis parochiani vexillo tam intra, quam extra regni fines non fecus atque ceteri stipendio conducti militarent (b). Vnde et illud patet, banderium *comitis parochiani e iobakionibus castri* olim fuisse conflatum; veri enim regni *nobiles, milites, atque seruientes sub solius regiae maiestatis vexillo* ab bellum proficisciabantur. Ex hoc militum genere e singulis comitatibus collecto indubium est, iustum exerci-

gestum, paulo inferius in rebus Andreae II. §. XIII. editari sumus cap. XVII. et XXI.

(a) Testem huius omni exceptione maiorem professorius *Simonem Kezam* clericum, scriptorem seculi XIII. sub Ladislao IV. rege in appendice II. pag. 120. *Iabagine castri sunt pauperes nobiles, qui ad regem vcnientes, terram eis tribuit, de castri terris, ut feuda castri, et castrum guerrae tempore custodirent.* Auctoris huius manuscriptum quoniam primus omnium publici iuris fecit Cl. vir Alexius Horanyi e scholis piis, publicas ei eapropter gratias hoc loco agimus.

(b) Bullae aureae cap. VII. Clarius adhuc decreti Andreae II. A. 1234. cap. VII. quod sic habet: *Nobis facientibus exercitum extra regnum, nobiles nobiscum ire non tenentur: nisi comites parochiani, stipendiarii, et iabagines castri, et qui ex officio debito senentur, quibus amplas concessimus possessiones.*

tum potuisse conflari: iidem hi *iobakiones castri* comiti suo *parochiano* praefto erant, ad ceteros comitatus incolas in officio continendos, ad tranquillitatem denique, ac securitatem publicam domi conseruandam. Cum igitur tanta esset e *iobakionibus castri* utilitas, D. Stephanus, monarchiae Hungaricae conditor, peculiari eos, ac prope pari nobilibus ceteris libertate donauit (*a*). Quapropter *comitibus parochianis* sub dignitatis suae amissione vetitum fuit, eximium hunc castri populum opprimere, aut spoliare (*b*): quin etiam ne praedia illis locari solita aliquando deficerent, sicque ipsi *castri iobakiones* definerent, is sub *Andrea II.* regum munificentiae limes positus fuit, ne castra comitatus, seu daque eidem assignata, instar aliorum praediolorum, atque terrarum alienare, ac in perpetuum aliis donare liceret (*c*). Manifesto id est indicio, *Andream II.* regem, ut erat rerum suarum incurius, atque prodigus, utile illud regum singulis in comitatibus dominium parum prouide inter clientes suos dis-

(*a*) Bullae aureae cap. XIX. *iobagiones castrorum reneantur secundum libertatem a sancto rege Stephano institutam.* Idem renouatur decreti A. 1234. cap. XV.

(*b*) Bullae aureae cap. XIV. *siquis comes - - - destruxerit populos castri sui, conuictus super hoc, coram omni regno dignitate sua turpiter spolietur, cum restituzione ablatorum.*

(*c*) Bullae aureae cap. XVI. ac decreti A. 1234. cap. XIV.

tribuisse, qua de re etiam *M. Rogerius* indubitatum perhibet testimonium (*a*). Porro *castris iobakiones* conditionarii solum fuere praediorum sibi a rege datorum possessores; non item domini; eademque, si lagum exuerant, amittebant: ac idcirco *conditionarii* appellabantur: at postquam multiplicibus bellis multo pro rege, et patria fuso sanguine aemula nobilibus edidere virtutis specimina, reges vicissim non otiosi meritorum spectatores, quoties occasio se obtulit, *iobakiones* hos cum regalis praedii, *conditionate* ad id tempus possessi, portione, a militari castri seruitute exemptos in verorum regni nobilium militum, atque seruientium suorum caetum translatos, eisdem libertate, et praerogatiis exaequatos voluere (*b*). Quae liberalitas

(*a*) Miserabilis carminis cap. X. *Per prodigalitatem quorundam progenitorum suorum, iura comitatuum, intellige possessionaria, erant adeo diminuta, ut meritis, et demeritis personarum non discussis, eisdem possessiones, villas, et praedia ad comitatus, seu ad castrum regium comitatense pertinentia, in perpetuum contulissent: ex quo viros militares comites parochiani non haberent, ad banderium nempe suum iusto numero collendum, et cum incederent, simplices milites propter diminutionem comitatuum putarentur: adeo scilicet per feudorum castri regii alienationem, diminutus erat iobakionum castri numerus, ut ne ad comitandum quidem pro more, et decoro comitem parochianum sufficerent.*

(*a*) Sic Bela IV. viuente adhuc patre suo A. 1224. querendam Radus nomine, et numerosam eius

cum a pluribus successiue regibus continuata fuisset, ita sensim *iobakiones castri* nobilium ceterorum syllabo sunt inserti, ut quarto decimo Christi seculo ipsa eorumdem appellatio desierit. Atque ex his non incongrue deduxeris nobiles illos, quos decreta regum *vnius sessionis nobiles* vocant (*a*). Hi enim non castrorum, villarum, atque possessionum; sed *vnius solum sessionis e regali praedio sibi donatae domini euasere*. *Iobakionibus castri* affinis fuit conditio *Vduarnicorum*: quorum origo potissimum D. Stephano regi debetur. Is enim a Christianae legis mansuetudine alienum existimans, ut exteri saepe cum coniugibus, et liberis bello capti, nullo discrimine seruilem mancipiorum subirent conditionem; eos, qui honesto domi suae loco nati erant, partim deposito litro, partim pro

*cognatorum turbam*, qui ex constitutis iam sub D. Stephano rege, *iobakionibus castri Goritzæ* ortum ducebant, ab eiusdem castri seruitute exemptos, ac eo spectantis terræ *Klokoche* proprietate donatos, nobiles creauit. Literas ipsas vide apud Cl. Kerchelich in Notitiis præliminaribus pag. 190. Stephanus item V. A. 1269. Nicolaum, et Michaelem de Gofszun *iobakiones castri ferrei* una cum terra eorum, in numerum seruentium nobilium transtulit. In specimine heraldicae Hung. pag. 87.

(*a*) Meminit huius generis nobilium Sigismundi decret. V. A. 1435. art. III. Vladislai II. decret. IV. A. 1500. art. XXIX. Ludouici II. decreti Budensis An. 1523. art. XX. ac passim deinceps posteriorum regum constitutiones.

suprema principis potestate, e priuatorum dominorum manibus vindicatos, in libertatem afferuit, ac vt amissae patriae iacturam aequius ferrent, aulae, Hungaris *Vduar*, obsequiis addixit (*a*). Idem etiam, quod pro aulicorum munere, regem vbiuis *comitarentur*, comites *Vduarnici* dici consueuerunt (*b*). *Conditionarii* quoque audiebant, propterea, quod sub onere, ac conditione obsequii aulici, regalia praedia possiderent. Degebant hi sparsi per celebriores regni comitatus, vt regi, pro vfitato tum more, crebro regnum obeunti, vbiuis praefecto essent. *Ludouicus M.* rex, vt erat aulae suae splendoris prae ceteris studiosus, plerosque *Vduarnicos* in obsequii sibi fideliter nauati praemium, praediorum, quae ante conditionate solum tenuerant, dominio, ac perpetuitate donatos

(*a*) Discimus id ex *Simonis Kezae* appendice II. quae tota de *Vduarnicis* tractat, a pag. 117. quo lectorem relegamus. Ceterum *Vduornici* iam D. Stephani tempore inter *liberos homines* censembarunt: vt patet e S. regis decret. lib. II. cap. LV.

(*b*) *Ladislauis IV. A. 1278. Petrum, filium Beten, e numero COMITVM VDVORNICORVM in caetum, et consortium regni nobilium sub vexillo suo famulanum aggregauit, in specimine Heraldicae pag. 89.* *Ludouicus M. A. 1356. M. Mathiam literatum, et Nicolaum pugilem filios Vermes, e numero COMITVM VDVARNICORVM comitatus Posoniensis exemptos, in caetum verorum seruientium, et nobilium regni purorum, et naturalium transtulit.* Ibidem pag. 93.

veris regni nobilibus adscripsit (*a*), siveque effecit, ut nemo deinceps nisi nobilis ab auxiliis esset obsequiis: per hos quoque vnius sessionis nobilium numerus non mediocriter auctus fuit. Praeter hos plura adhuc hominum genera inter peculiares regum populos censebantur, ut sunt: *dapiferi*, *pincerne*, *venatores*, *spiculatores*, siue satellites, *agazones*, *caniferi*, *falconarii*, et *curriferi* (*b*), quorum in aula munia vel nomen ipsum indicat. His quoque stipendii loco olim regales terrae certa mensura assignatae erant, praesertim in transdanubiana Hungaria, quae peculiare fuit Arpadianae domus patrimonium. Populorum horum numerus adeo subinde auctus fuit, ut in plures villas, ac possessiones diuisi, iustum efficerent prouinciam, quae Szolgagyöriensis comitatus appellationem habuit; quapropter etiam, qui eis *comitis parochiani* titulo, ac potestate praeerat, comes *Szolgagyöriensis* audiit (*c*). Ex hoc quoque populorum regiorum aulae

(*a*) *Multi*, inquit chronicon Turotzii cap. LI. ex *Vduarnicis*, et aliis conditionariis curiae, ad diversas seruitutes adstricti, sunt exempti, et in caetum regni Hungariae nobilium aggregati.

(*b*) De his meminit bullae aureae cap. XV. et decreti Andreæ II. A. 1234 cap. V.

(*c*) In diplomatis Ladislai IV. anni 1273. et 1274. legitur *Raynoldus* magister dapiferorum, comes *Szolgagyöriensis* apud Timon. in *Imagine novae Hungariae* pag. 25. edit. Cassouiensis apud Schmitt in episcopis Agriensis tom. I. pag. 165.

obsequiis addictorum genere, quamplurimi quauis aetate pro regum beneplacito, praefertim autem sub *Ludouico M.* nobilitatis praerogatiuam sunt consecuti (a). Vnde facile iam ratio reddi peterit, cur in Hungaria nostra etiam aetate, non paucae villae, ac possessiones integrae e solis constent nobilibus: earum nempe incolae ortum ducunt e veterum regum populis, qui in seruitii sui praemium, nobilitate fuere donati. Hoc in numero censendi sunt superstites hodie dum *nobiles de szent Gáal*, qui ad venatores regios suam referunt originem (b). Illud denique coronidis loco iam nunc lectori notandum venit: per continuas, inter *iobakiones castri, vduornicos comites*, seruitiis aulicis deputatos populos, ac alios etiam regni nobiles, terrarum, praediorum, ac possessionum regalium partitiones, atque donationes, sensim utile illud veterum regum singulis in comitatibus dominium ita fuisse diminutum,

**1514.** vt A. 1514. in generalibus regni comitiis alia rursus bona regum nostrorum usui addici, decernique oportuerit, quae ex eo die *bona coronae* appellantur (c).

(a) Huc facit locus, quem superiore nota (a) retulimus ex chronicis cap. LI, de *conditionariis curiae* sub Ludouico M. rege nobilium caetu adscriptis.

(b) De nobilibus de *szent Gáal* agit Mathiae II. decreto A. 1618. art. XXIV. Ferdinandi II. decret. A. 1622. art. LII.

(c) Vladislai II. decret. VII. art. I. II. et III.

## S. IX.

*Nobiles praediales.*

**C**onsulto hic subiungimus *nobiles*, quos *praediales* vocamus, quod hi non multum dissimiles sint veteribus *castris iobagionibus*. Regum quippe imitatione non praelati solummodo; verum etiam potentiores regni dynastae, ac praesertim *perpetui*, liberique *comites* partem praediorum suorum quibusdam *liberis* hominibus locare sunt soliti, ea lege; ut primum dominorum suorum arces tuerentur, tum vero indicto per regem bello, sub eorumdem signis ad castra proficiscerentur. Ex hoc *praedialium* hominum genere et praelati, et seculares dynastae suas colligebant copias, quas ius nostrum *banderia* vocat (a). Atque haec *banderia* priuatorum dominorum distincta fuere ab illis, quae per *parochianos* *comites* ex *iobagionibus castris* legi, atque e singulis comitatibus sub eorum vexillo educi solebant. Archi-episcoporum, episcoporum, et abbatum *praediales*, quod ad earum ecclesiarum, e quarum praediis vivebant, defensionem speciatim obstricti fuerant, peculiaria, et a praelatis, et a regibus, propeque nobilibus paria accepere privilegia; ut adeo *praedialium* *nobilium* appell-

(a) Sigismundi decret. V. art. I. Vladislai II. decret. III. art. XX. et sequ.

latio eis propterea adhaeserit (a). Multum nihilominus eorumdem conditio differebat a nobilibus, nisi cum quis iam regni nobilis, idmodi praedialis conditionem est amplexus (b). Ditio, quam praediales incolebant, sedes dici consueuit. Huius generis sunt hodieum Strigoniensis ecclesiae sedes: *Verebely*, *Szentgyörgy*, *Vayka*, *Ersekélel*. Talis olim fuit Colocensi archiepiscopo obnoxia sedes *Sólth*, quae olim in Albensis comitatus per vtramque Danubii ripam diffusi ambitu continebatur (c). Post cladem Mohatsianam diu pastore suo viduata ecclesia Colocensi, cum vna Albam regalem, omnemque viciniam tenerent Ottomanni, ne praediales sedis *Sólth* moderatore, iudicibus, tribunalibusque destituti viuerent, A. 1569 publica regni constitutione, Pestinenis comitatus iu-

1569.

---

(a) In diplomate Belae IV. ecclesiae Strigoniensi A. 1256 dato, dicuntur *nobiles exercituantes*. In specim. Hierarchiae part. I. pag. 137.

(b) De praedialibus consule cl. Kerchelich Histor. eccles. Zagrab. pag. 50. Maximiliani imper. decret. II. art. XIV.

(c) Praediales sedis *Sólth* ad archiepiscopum Colocensem pertinuisse cum aliunde patet; tum vero ex Petri de Varda archiepiscopi epistola CXV. pag. 218. quod autem sedes *Sólth* intra comitatus Albensis limites fuerit, euidens est ex documentis per doctissimum Pray citatis in *specimine Hierarchiae* parte II. pag. 30. not. (a) nominatim e litteris euocatoriis A. 1518, itaque ante cladem Mohatsianam datis, ibidemque adductis.

risdictioni fuere adiuncti (a). Atque ex eo tempore abolito pedenterim *sedis* nomine, comitatus *Solhenensis* vocari coepit, usque dum Pestinenfi, et Pilisensi articulariter unitus, in regni comitatuum syllabum relatus est (b). De ceterarum ecclesiarum praedialibus nil porro attinet dicere, quod nos eorum specimen solummodo hic loci dare; non item emblematum texere constituerimus.

### §. X.

#### *Cives castri, liberi, servi castri, et hospites.*

Praeter eas, quas hactenus recensuimus, hominum in Hungaria degentium classes super sunt adhuc nonnullae aliae, quas quoad licuerit illustrare aggredimur: unde obscuriora quaedam et iuris, et historiae loca non parum luminis accipient. Agmen ducant *cives castri*: quo nomine intellige populum, qui aut castrum regium, si opportunum erat; aut eius viciniam insedit, in unamque coaliuit societatem. Huic e castri territorio tan-

(a) Maximiliani imp. decret. III. art. LII. habetur, quoniam comitatus Szolnok exterior, et *Albensis sedes Solth* a Turcis occupati carent vice-comite: et iudicibus nobilium . . . decretum est, ut in posterum comitatui Szolnok exteriori per Heu-siensem; *Albensis* vero *sedi Solth* per Pestinensem, iudicia administrentur.

(b) Leopoldi M. decret. A. 1659. art. 76.

tum terrarum assignatum fuit, quantum eidem sustentando suffecturum credebatur. Ciues hi quaestui faciendo, opificiisque, non sine totius comitatus commodo, exercendis dediti, et a militia immunes, ciuilia solum censum, ac tributorum ferebant onera: quae quidem pro temporum, rerumque adiunctis augeri, minuiue solebant. Ab huiscemodi castris ciuibus plurium ciuitatum iacta sunt fundamenta. *Liberi* etiam fuere homines ad castrum spectantes, qui et a tributis, et a seruitute immunes alia principi praestabant seruitia: ex his legebantur curfores, et nuncii, qui litteras, et mandata vltro, citroque deferrent. Praelati pariter, magnates, ac nobiles idmodi *liberos* aluere, consimilibus addictos obsequiis. Serui castris non alii fuere, quam *rustici*, *subditi*, quos *iobbagiones* dixerunt, qui per villas ad castrum spectantes dispersi, rus colere, tributa, et fructuum suorum decimam, aut vicefimam partem terrae principi pendere, seruiles denique operas, quas *robottas* dicimus, cum in excolendis agris regalibus, tum vero in castro ipso locare cogebantur. Eodem seruorum nomine veniebant aliorum quoque terrestrium dominorum subditi, eademque erant obstricti seruitute. Erant hi partim posteri eius populi, quem *Arpado* duce his inditionibus per Hungaros subiugatum meminimus; partim autem bello capti, ac ex alienis regnis in seruitutem per Hungaros abtracti. *Hospites* in iure nostro intelliguntur illi, qui variis e prouinciis sponte, ac libe-

re in Hungariam aduenere. Quis enim est, qui ignoret, iam inde a D. Stephani temporibus (*a*) multas exterarum gentium, praesertim Germanorum, ac imprimis Saxonum colonias regum nostrorum inuitatu isthuc conuolasse, cum vt desertas maiori ex parte Hungariae plagas frequentes redderent; tum vero, vt Hungaros artibus ad usum vitae humanae necessariis imbuerent. Regum exemplo, ceteri etiam dynastae, ac nobiles ad praedia sua, villasque construendas certatim exteros euocabant (*b*). Quo autem hi eo libentius in Hungariam confluerent, humano sane, ac prouido consilio, eam et a D. Stephano, et a reliquis post eum regibus accipere cautionem, ne ullo unquam tempore inferuorum, subditorumque sortem deiici, ac in seruitutem redigi eosdem liceret (*c*): a seruilibus itaque operis immunes, solummodo a terra, quam non sine proprio utique lucro siue a rege, siue a priuatis dominis ex-

(*a*) Hospitum iam meminit D. Stephanus decret. Lib I. cap. VI.

(*b*) Plurima huius generis hospitum in Hungariam euocatorum exempla reperies apud cl. Wagner in analectis Scepusii sacri, et profani, nec non in diplomatario Sarosiensi.

(*c*) S. Stephani decret. Lib. II. cap. XX. et XXII. Colomanni decret. Lib. I. cap. LXXX. Andreae II. Bullae aureae art. XIX. ac denique in eiusdem literis, quas cl. Pray in Annal. reg. Hung. edidit pag. 233. ubi diserte statuitur: *Hospites cuiuscumque nationis secundum libertatem ab initio eis concessam perpetuo teneri.*

colendam acceperant, vectigal quoddam et principi, et fundi hero annis singulis dependere iubebantur. Portio illa terrae, quae determinata olim mensura *hospitibus* singulis distribuebatur, *sessio*, *curia*; in Sclauonia autem *mardurina* dicta fuit. Barbarum hoc vocabulum haud dubie ortum traxit ex Germanico *Maier*, *Mair*, quod villicum, et Slavico *Dmūr*, quod aream significat: ut adeo ex his composita vox *mardmūr*, *mardur*, ac *mardurina* non aliud sonet; quam *villici aream*, id est *curiam* (a). Quapropter *Andreas II.* rex in literis A. 1234 datis, recte idmodi *hospites* villicos *mardurinos* vocat (b). Hac explicatione, ut par est, admissa, patet iam suapte, famigeratum illud in decretis nostris *mardurinarum* tributum, nec pro *vectigali maritimo* (c) accipi posse; nec a *martium*, qui corrupto aeuo *marturo-*

(a) Euidens id fieri videtur ex privilegio Eberhardi episcopi Zagrab. A. 1406 suis concessiō, in quo: *a qualibet integra curia, seu mardurina XII. denarios sibi solui praecipit.* Histor. eccles. Zagrab. pag. 61. Idem in literis A. 1416. meminit, *currus foeni mardurinalis* exigi soliti. Plura, quae hoc argumentum illustrant, reperies ibidem pag. 154. 15. 46. 47. et 327.

(b) *Per singulos*, inquit, *mardurinos IV. pondera per soluantur.* In cit. annal. reg. pag. 335.

(c) Ita sensit Mosotzius in nota ad art. XII. decret. Ludouici M. A. 1351. quem fecutus fuit doctissimus Szegedi in libello, cui titulus *affector libertatis Hungaricae &c.* Et ad Bullae aureae art. XXVII.

*nes dicebantur, pellibus (a) repetendum esse; nil denique aliud hoc nomine venire, quam censum illum, quem hospites a singulis curiis, aut mardurinis suis, et fundi domino, et terrae principi numerare consueverunt. Quid autem quavis aetate hoc titulo accipi sit solitum, non usquequaque primum est definire. Andreas II. in bulla aurea eam rationem decreuit tenendam, quae sub Colomanno rege obtinebat (b). Tum in aliis literis A. 1234. datis iubet, per singulos villicos, seu mardurinos colligi IV. pondo, seu grossos (c), quod perinde obscurum est: aliquanto plus lucis adferunt Belae IV. literae A. 1224 editae, in quibus postquam 1224. terram Klokoche cuidam Radus, pluribusque*

(a) Opinionem hanc insinuauimus in specimine Heraldicae Hung. parte II. pag. 60. nota (s) quam nunc veriora edocti, pro eo, quo stamus in veritatem candore, deponimus.

(b) Bullae aureae art. XXVII. *Mardurinae iuxta consuetudinem a Colomanno rege constitutam soluantur.*

(c) In litteris Andreae II. saepius iam laudatis, Annal. reg. Hung. part. I. pag 235. Porro valorem ponderis, qui ea aetae obtinuit, arduum est accurate definire Tempore Caroli I. Roberti regis pondus aequualebat *grossum vni*, ut constat ex eiusdem decreto A. 1342. §. LIX, ubi diserte habetur: de qualibet marca pro lucro camerae, in quibuslibet comitatibus dicatis, *vnum grossum, seu vnum pondus homini D. archiepiscopi, alterum vero grossum, seu pondus homini magistri tannerorum soluere tenebitur comes camerarum praedictarum.* In codice iuris patrii.

aliis in perpetuum donasset, diserte addit: terrae illius hospites singulos, *mardurinarum* nomine, *decem denarios* quotannis soluturos (a). Porro cum constet ex bulla aurea *Andreae II.* biennio abhinc data, denarios Hungaricos ad pristinam *Belae I.* regis denario-ruin probitatem tum fuisse reuocatos (b), quorum XL. vnum *Bizantium* aureum exae-quabant (c), manifestum est censum a singulis *sessionibus*, *curiis*, aut *mardurinis* aeta-te illa solui solitum non plus, quam vnam quartam aurei *Bizantii* partem, quod vni-cum tum aureae in Europa monetae genus fuit (d), constituisse. Quamquam non to-tum hoc tributum, sed tertiam solummodo illius partem accipiebant fundi domini; duae vero tertiae summo cedebant principi (e). Porro cum omnis hospitum libertas,

at-

(a) *Hospites*, inquit, *quos praedicti liberi homines*, scilicet donatarii, *babuerint infra metas praescriptas*, *decem denarios debent persoluere annuatim pro mar-durinis* apud cl. Kerchelich in Notit. praeliminari pag. 190.

(b) Bullae aureae art. XXIII. *Denarii tales sunt*, *quales fuerunt tempore Belae regis.*

(c) Chronici Turotziani cap. XLV.

(d) Plura de hoc reperies in eruditissimo opere cl. Danielis Cornides, quo genealogiam primorum reg. Hung. copiose illustravit a pag. 81.

(e) Discimus id e toties laudatis *Andreae II.* litteris A. 1234 datis, quibus bullae aureae capita partim reno-vat, partim explicat. Diserte illic legitur, *quacumque inde*, id est *ex mardurinis*, *prouenerit*, *tertia pars de-*

atque immunitas e regum gratia profluxerit, hique peculiari semper cura in id inuigilaue-rint, ne contra datam initio fidem a quo- quam in seruitutem redigerentur: *hospites* vicissim summo imperanti, velut libertatis suae protectori, atque vindici, certum dena- riorum numerum, quos *liberos denarios* ap- pellare placuit, annis singulis dependebant (a). Verum cum id nobiles, qui fundos

*mino fundi, et duae partes domino, seu principi terra&persoluuntur, in Annal. reg. Hung. pag. 235.* Idem colligitur e citato iam superius Belae IV. diplomate A. 1224. in quo *duas partes mardurina- rum ad ius suum regium spectantes* e speciali gratia donat *Rado*, residua tertia ceteris donatariis re- lista. Apud cl. Kerchelich in Notit. praelimin. Dalmat. Croat. et Sclau. pag. 190. Verum ab his etiam duabus tertiiis regi soluendis praedia nobilium liberata sunt, postquam a Carolo I. eius loco lucrum camerae, a qualibet sessione pendendum, introductum fuit, ut videre est in Ludouici M. decret. art. IV. et XII.

(a) Clare id habet D. Stephanus in diplomate fundationis abbatiae Péch-Varadiensis A. 1015 edi- to, *insuper et liberorum denariorum tertiam par- tem, quam ex aduenis in terra ecclesiae habitandis, debentur, ad calceamenta Fratrum concessimus.* Apud cl. et reuerendissimum Iosephum Koller cath. ecclesiae Quinque ecclesiensis canonicum in egregio sane opere *Histor. episcoparus Quinque-ecclesiensis* edit. Poson. A. 1782 pag 78. Colomannus item decret. lib. I. cap. LXXX. *liber quoque hospes sicut Sclavi, vel ceteri extranei, qui in terris laborant aliorum, pro libertate tantum denarios dent.* Huc faciunt insuper cap. LXXXI XXXV. et XLV,

suos hospitibus locauerant, tamquam iuribus suis contrarium aegre ferrent, abolerique debere contenderent, vt querelis eorumdem fieret satis, *Andreas II.* in generali illa reformationis Hungaricae *bulla aurea* statuit, ne ab *hospitibus* praedia nobilium incolentibus, idmodi liberi denarii pro parte regis deinceps exigerentur (*a*). *Hospitibus* his suam debet Hungaria frequentiam: per eos enim praedia plurima, nemoraque densissima in pagos, oppida, ciuitatesque abidere. Is, qui nouam coloniam ad villam aliquam construendam conduxerat, *Sculteti* nomen habuit, cui praeter immunitates alias, illud speciatim gratiae loco a terrestri domino concedebatur, vt tum ipse, quam heredes sui perpetui essent villaे illius rectores, atque iudices: idem *Scultetus* ob libertates, quibus fruebatur, *szabados*, seu *liber* dici consuevit. Quin ipsi etiam primi villarum incolae, quo libentius ad terrae sibi assignatae culturam incumberent, eoque celerius, et viribus, et facultatibus crescerent, per continuos XVI. annos ab exactione quavis, aut munere dominis suis praestando immunes pronunciabantur (*b*). Ex quo intelligas, quantum po-

(*a*) *Bullae aureae* art. III. *nullam collectam, nec libras deniorum, corrige: liberos denarios, colligi faciemus supra praedia seruientium.* Vide cl. Ioannem Szegedi in libello: *Affertor libertatis Hungaricae ad hunc articulum.*

(*b*) Vide *Analecta Scepusii saec. et profani part. I. praefectum post pag. 442.*

puli in Hungaria olim esse oportuerit penuriam, quod eumdem maiores nostri tanta cura, nullo pene tum suo lucro ad se attrahe-re, congregareque debuerint, magis posterorum, quam sui studiosi. Haec de *hos-piti-bus* paulo diffusius explicata sunt, quod ad multarum legum nostrarum intelligentiam facere videbantur.

### S. XI.

#### *Variarum gentium populi Hungariae incolae.*

Ipfa notitiae, quam de rebus patriis praeui-  
daturos nos polliciti sumus, series exigit,  
ut variarum gentium populos, ex quibus  
Hungaria frequentior est reddita, paucis at-  
tingamus. De iis porro solis agemus, qui  
maiore numero ad nos commigrarunt, am-  
plioresque regni portiones aut tenuerunt  
aliquando, aut hodieum tenent. Primi sunt  
*Siculi Transsiluani*, Hungaris *Székely*; qui  
tertiam prope Transsiluaniae, qua Galliciam,  
Moldauiamque respicit, partem in septem  
diuisi sedes occupant (*a*). Si *Nicolao Olah-*  
*bo* (*b*), ac *Siculis* ipsis fides, post collapsum  
*Atilae* in Europa imperium, ter mille Hunni

(*a*) Sedium Siculicalium descriptio petenda ex *Imag.  
nou. Hung.* cap. X. et XI. ex *Topographia regni  
Hung.* segment. IV, et ceteris geographis

(*b*) In *Atila* editionis Viennensis cap. XVIII. pag.  
294.

in extremis Transsiluaniae finibus remansere, ex quibus *Siculi* nostri propagati sunt, Arpadianisque Hungaris postea semet coniunxerint (*a*). Verum negant id recentiores critici, existimantque *Siculos* Pacinacitarum, siue Chunorum fuisse tribum, quae ineunte seculo XII. in Transsiluaniam demigraverit (*b*). Nos nihil siue inueteratae traditioni gentis nobilissimae, siue recentiorum autoritati detractum cupientes, ita opinionem utramque conciliari posse arbitramur, vt reliquias Hunnorum Atilanorum non quidem in Transsiluaniae finibus, sed in extrema Daciae magnae, seu Moldauiae, pontum Euxinum versus, parte restitisse vltro concedamus. Hic illi multas inter et dominorum, et fatorum vicissitudines seculis aliquot sedes suas tutati sunt, ad Pacinacitarum usque aduentum, qui in octo tribus diuisi Moldauiam vniuersam insederant. Pars ex his Atilanorum reliquiis Hungaris Arpadianis vltro se se coniunxerunt, ac non secus, atque Chuni ad Kiouiam, in unam cum iis gentem abierunt, utilemque in expugnanda Hungaria operam nauauerunt, quorum anonymous Belae regis notarius non uno loco meminit (*c*): atque hos ego, vix inducar, vt cre-

(*a*) *Anonymous Belae regis notarius* cap. L. et LI. *Turotzius* cap. XXIV.

(*b*) *Cl. Pray Annal. veter. Hunnorum, Auar. et Hungarorum* pag. 179 et 386.

(*c*) Qua ratione Arpado se iunxerint *Siculi*; quid item ad debellandum Menumerothum egerint, deserit *it anonymous* cap. L. et LI. *Chronicon Turotzii* cap. XXIV

dam, steriliorem, montibusque horridam ho-  
diernae Siciliae regionem, fertilioribus Hun-  
gariae sua etiam virtute subiugatae plagis,  
praehabere voluisse. Itaque pars alia Atila-  
norum porro etiam suis in sedibus perstigit,  
Pacinacitis seu Chunis, atque Cumanis con-  
iuncta: dum denique cladium, quas siue a  
Graecis, siue a Bulgaris saepius perpetrati erant,  
pertaesit, bona *Stephani II.* gratia circa A.  
1121. in extremos Transsiluanarum partium 1121.  
ab incolis forte tunc desertarum fines trans-  
iere. Ab hoc igitur *Stephano* rege non re-  
gales modo terras, quas colerent, verum  
amplissima etiam ac ceteris regni nobilibus  
paria accepere priuilegia, ea tamen cum con-  
ditione: ut limites, quos insederant, aduer-  
sus quosuis hostes virtute sua tuerentur. At-  
que ab hac limitum custodia nouae huic co-  
loniae noua appellatio *Székely* indita fuit.  
Vox enim haec olim apud Hungaros montium  
custodes designabat (*a*). Cui muneri quo-  
niam praeclare semper respondere *Székelli*,  
seu *Siculi*, ac praeterea illustria bellicae for-  
titudinis non semel edidere specimina, cum  
ab aliis regibus, tum vero imprimis a *Bela*  
*IV.* eximia accepere priuilegia (*b*). Pecu-

(*a*) Primus id obseruauit cl. Timon. in Imag. nou. Hung pag. 98. Nos ipsi in autographo Belae IV. A. 1256, quo fundationales Tyrnauensium S. Clarae fororum A. 1247 datas confirmat, me-  
tisque auget, diserte legimus montium Morauiam  
versus custodes *Székellos* appellari.

(*b*) Cl. Timon in Imag. nou. Hung. pag. 98.

liaribus porro, ac a cetera Hungaria distinctis iuribus, legibusque et viuebant, et regebantur: id quod validum sane argumentum est, *Siculorum* nostrorum maiores non sub Arpado, sed posterius ad Hungaros transiisse. Tributum nemini: nec regi, nec aliis unquam pendebant *Siculi*, praeterquam quod, cum rex coronatus est, aut coniugem duxit, aut filius denique ei natus fuit, viritim singulos boues regi offerre consueuerint (*a*). Quam frequens ineunte seculo XVI. fuerit *Siculorum* gens, vel inde colligitur, quod *Nicolaus Olabus* afferat, quinquaginta armatorum millia ex eis aetate sua facile conscribi, educique potuisse (*b*). Singulae *Siculorum* sedes singulos habent iudices regios: toti autem genti *comitis Siculorum* titulo praeerat Wayuoda Transsiluaniae. Ex quo autem regnum hoc ad S. coronae obsequium postliminio rediit, reges ipsos suos venerantur *comites*. *Cumani*, qui terras, et praedia, quae regum olim iuris erant, cis, et ultra Tibiscum tenent hodie, posteri sunt *Pacincitarum*, quos *Chunos*, *Cumanosque* chronica nostra appellant; qui duobus, et amplius seculis in Moldauia dominantes, socii interdum, amicique fuere Hungarorum; interdum autem infestis signis in eorum fines incurribant. Scythica hos etiam origine satos, vel idem cum Hungaris idioma satis, super-

(*a*) *Olahus* in *Atila* cap. XVIII. pag. 196.

(*b*) *Idem* ibidem pag. 195.

que demonstrat (a). Nonnulli ex Pacinacitis Cumanis sub D. *Ladislao* rege A. 1086. victi, 1086. captique non vitae modo gratiam; verum opimas etiam, vnde viuerent terras accepere. Alii *Tataro* duce, maiore iam numero sub *Stephano* II. circa A. 1124. cum coniugibus, 1124 liberis, et vniuersis facultatibus suis appulsi, fertilissimos ultra Tibiscum campos, vbi hodie *Cumania maior*, infedere. Postrema denique Cumanorum in Hungariam transmigratio facta sub *Bela IV.* A. 1239. ductore eorumdem rege *Kutheno*, quibus per ampla circum Pestinum regio, quae *Cumania minor* audit, assignata fuit. Porro cum posteriores hi Cumani arcuum, et pharetrarum tractandarum peritia Hungaris antecellerent, hocque armorum genere non vna vice, maximum ad victoram de hostibus reportandam momenti attulerint, placuit regibus nostris, partem aliquam *Cumanorum* deligere, qui speciatim arcubus, et pharetris rem bello agerent: Hi Hungarica lingua *Iáz*, quod sagittarium significat, dicti sunt, vnde etiam

(a) *Constantinus Porphyrogenita* meminit tribum vnam Pacinacitarum ob insignem fortitudinem patria lingua *Kankar* appellatam fuisse. *Kankar* autem Hungaris etiam nil aliud, quam *masculum*, seu *virile brachium* denotat: loca ipsa, quae Cumani in Hungaria tenent, Hungaricis insigniuntur nominibus: nullius denique alterius, quam Hungaricae linguae apud Cumanos Pacinacitarum posteros vestigium reperitur. *Consule Notit.* rer. Hung. edit. secundae part. I. pag. 37.

eis *Iázonum*, et *Iázigum* appellatio adhaesit; non absimiliter a pharetrarum vsu, *pharetrarii*, a balistis, *balistarrii*, *balistei*, ac etiam *Philistei*, cum in regum diplomatibus, tum vero apud scriptores compellantur (a). Idem hi terram Zagyuam inter, ac Tibiscum flumen sitam, vbi hodie *Iazygia* est, regum gratia colendam obtinuere. Vnde nullo iam negotio refellas eos, qui *Iazyges* nostros a veteribus *Metanastis*, Slauiae originis populis, deriuare sunt conati. *Cumani*, et *Iazyges* peculiaribus semper legibus, et institutis apud nos vixere, ac inde a *Belae IV.* aetate regni Hungariae palatinum *sub titulo iudicis Cumanorum*, et *Iazygum* moderatorem habent. *Tartari* Cumani olim, cum adhuc in Moldauia degebant, contermini,  
 1241. quid Hungariae *Bela IV.* imperante A. 1241. et duobus sequentibus damni intulerint, notius est, quam vt explicari oporteat (b). Idem redeunte praedarum, quas tum egerant memoria, circa A. 1285. sub *Ladislao IV.* ad depopulandam Hungariam iterum redierant, verum alio longe, quam sperarant, euentu; peste enim, et fame diminuti, ac per Hungaros non vna clade attriti, cum de seculo domum reditu desperarent, suppli-

(a) Argumentum hoc multiplici eruditione, et diplomatum apparatu illustratum leges in Hung. diplom. doctissimi viri Stephani Kaprinai Part. II. pag. 313.

(b) Vide M. Rogerii carmen miserabile inter scriptores rer. Hung. Tom. I.

ces facti, id demum agentibus Cumanis, ab eodem rege impetrarunt, vt iis conterminas, incolisque vacuas plagas occuparent, serui deinceps Hungarorum futuri: quo etiam tempore abolito Tartarorum nomine, *Neugari*, seu *Neoungari* dici coeperunt (*a*). Industria omnis adhibita, vt ferox hic populus suauit Euangelicae legis iugo assueceret, verum sat diu pios regum nostrorum conatus lusit, dum denique *Ludouico M.* imperante gens vniuersa vna cum residuis adhuc *Cumanis* Christo adiuncta fuit (*b*). Quamdiu hospites hi gentiles erant, caedibus, et rapinis in Hungaros impune graffabantur, idque eo liberius, quod *Ladislaus IV.* rex non iam cum solis Cumanis, verum cum ipsis adeo *Neugaris* *Tartaris* familiarem coluerit consuetudinem: verum et hi demum cum agresti Hungarorum plebe in vnam gentem abeuntes, sensim nomen ipsum *Tartarorum*, et *Neugarorum* amisere. *Ismaelitae*, quos chronica nostra etiam *Saracenos* vocant, Graecis *Chalisi*, e Perside oriundi, genus suum ad *Ismaelem Abrahami* ex *Agar* ancilla filium referebant. Mahometanis ritibus addicti, circumcisione vtebantur, ac a suilla carne abstine-

(*a*) Neugarorum meminit diploma Andreae III.  
A. 1290. quod ex autographo edidit Cl. Wagner  
Analector. Scapusii part. I. pag. 303. literae item  
Honori IV. et Nicol. IV. PP. A. 1287. et A. 1288.  
in Annal. reg. Hung. ad hos annos.

(*b*) Chronicor Turczii cap. XLVI. Timon in Imag.  
nou. Hung. cap. XIV.

bant. Magnam *Ismaelitarum* multitudinem sub *Toxo* duce in Hungariam venisse, castrumque Pest cum vicina regione ad habitandum obtinuisse, iam alias ex anonymo *Belae* regis notario meminimus (*a*); potissimum autem in Tsepelia insula propagati sunt, ubi etiam patris sui *Abrabami* memoriae templum ab eis dedicatum fuisse didicimus. Quamuis multi ex *Ismaelitis* cura D. *Stephani*, baptismum suscepint, quosdam nihilominus ritus patrios etiam tum pertinaciter retinuerunt: ut adeo per *Colomannum* regem ad eos abiiciendos, ac nominatim carnem suillam manducandam, seueris poenis adigendi fuerint: quin etiam, quo efficacius ab auctoribus superstitionibus abstraherentur, ea tum lex lata fuit, ut *Ismaelitae* viri non alias, quam Christianas coniuges; feminae vero Christianos acciperent maritos (*b*). At enim quaecumque demum legum seueritas, et regum vigilantia sat diu inutilis fuit. *Andrea II.* imperante, *Ismaelitae* magno iterum numero quaestus causa, ex oriente in Hungariam penetrauerant, initaque cum *Iudaeis* societate, ad eam peruenere potentiam; ut bonis, ac prouentibus camerae administrandis, tributis item, ac vectigalibus per regnum colligendis illi soli praeficerentur (*c*).

(*a*) *Anonymous*, cap. LVII.

(*b*) *Colomanni decret.* lib. I. cap. XLVI. et sequ. S. *Ladislai decret.* lib. I. cap. IX.

(*c*) Huc pertinet bullae aureae art. XXIV. „ *Comites camerarii, monetarum, salinarii, et tributarii*

*Ladislai IV.* aetate nondum *Ismaelitas* omnes Christianos fuisse vel illud argumento est, quod *Myzen*, seu *Moysen* palatinum ex *Ismaelita Saraceno* Christianum factum chronica memorent (*a*). Ceterum exeunte seculo XIII. ipsa *Ismaelitarum* appellatio obliterata fuit. *Walachis* nomen indidere Slavi, a quibus hodie dum Itali *Wlach* vocantur. Ipsi se se *Rumunos*, seu Romanos appellant: neque immerito; progenies enim sunt earum coloniarum, quas Romani, cum Daciae magna imperarent, e variis Italiae locis eo deduxere. Ipsum idioma *Walachorum* affine est agresti Italico, depravatum scilicet per connubia, et quotidianam cum Slavicis populis Daciae olim incolis consuetudinem (*b*). Transsiluaniam iam tum, cum Arpadiani Hungari eo aduenere, Walachi coluere (*c*), ac in hodiernum usque diem magnam eius partem occupant agriculturae potissimum dediti: inde in vicinam Hungariam paulo serius per terrestres dominos euocati sunt, qui ut

nobiles regni nostri sint, *Ismaelitae* et *Iudei* fieri non possint. „ Consule item literas Roberti archi-episcopi Strigoniensis A. 1232. editas in Annal. reg. Hung. ad h. a.

(*a*) In Turotzii cap. LXXXI. supplet nota ex chronicō Budensi translata: *Myze palatinus olim Saracenus, tunc tamen gratiam baptismatis consecutus*.

(*b*) Vide Imag. nou. Hung. cap. XV. item editas haud ita pridem de lingua, moribus, et ritibus Walachorum epistolas Cl. Griffelini.

(*c*) Anonymus Belae notarius cap. XXIV. et XXV.

solitudinem, ditionibus suis per Ottomannos illatam, sarcirent, Walachos e Transsiluania accersere necesse habuerunt. *Armenos* quidem vetustiore iam aevo in Hungariam immigrasse, chronicon nostrum fidem facit (*a*), verum illi, qui non contemnendo numero, hodie Transsiluaniam inhabitant, serius iam, sub Transsiluaniae principibus superiore potissimum seculo appulere. *Illyrici* labii populos *Arpadi* tempore inferiores regni partes coluisse (*b*), variisque aetatis e vicina *Seruia*, *Bossnia*, *Rascia*, et *Bulgaria*, praesertim sub *Sigismundo* imperatore ad nos conuolasse, certum est, illorum nihilominus, quos hodie *Rascios*, aut *Rascianos* dicimus, pars potior nonnisi Turcis in Hungaria dominantibus, atque his regno exactis, sub *Leopoldo*, et *Carolo VI.* caesaribus domicilium istic fixisse, notius est, quam ut probari oporteat (*c*). Quantum autem virium a numerosa hac gente Hungaris acceperit, facile quisque arbitrabitur. De *Slavis* non est, cur pluribus hic disceptemus: quando constat, inde a mari Balthico usque Adriaticum, populos omnes *Slauici* fuisse idiomatici. Idem in aduentu Hungarorum Transdanubianam, quae Pannonia fuit, et Cisdanubianam, quae ad magnam Morauiam per-

(*a*) Chronicon Turotzii cap. XXII.

(*b*) Anonymus Belae notarius cap. XL,

(*c*) Inspice Cl. Kerchelich Notit. praelim. pag. 433.

tinebat, regiones coluere (*a*), vt adeo *Slaui* vetustissimi sint regni, quod nunc Hungariam dicimus, incolae. Qui hos inter nobilitate eminebant, iam sub *Arpado* duce in vnam cum Hungaris gentem, cooptati erant; plebs autem vt ante, rus colere, dominisque servire iussa. Quamquam iam inde a *Colomanii* regis temporibus nouae nonnumquam *Slauorum* coloniae Hungariam subiere (*b*); vnde ratio reddi potest, cur idioma Slavicum non modo non interierit; verum hodie etiam magna Hungariae parte obtineat. Ceterum omnium maxime memorabilis facta est accessione per repetitam aliquoties *Saxonum* et *Teutonum* partim ex Flandria, et Misnia, partim ex Thuringia et Rhenio in Hungariam immigrationem (*c*). Sub sancto rege *Stephano*, qui peculiari studio exterios et euocabat, et singulari souebat benignitate, multas Saxonum colonias, cum ad terras regales habitandas, tum vero ad excolendos montes metalliferos aduenisse dubitari nequit, per quos nominatim *Szathmár Némethi*, et *Beregszádzsum* condita fuisse constat. In Transsiluaniam A. 1141. per *Geisam* II. euocati, bienio post assignatas sibi, regii tum iuris, terras infederunt (*d*). Verum cum contra da-

(*a*) *Anonymous Belae notarius cap. XXXIII. XXXV. et sequ.*

(*b*) *Colomanni decret. lib. I. cap. LXXX. Analector. Scepusii part. I. pag. 80.*

(*c*) *Chronicon Turotzii cap. XXII.*

(*d*) *Fidem facit inscriptio templi Coronensis A. 1143. Geisa II. annus Andreae regis Saxones euocauit in*

tam sibi initio fidem , libertate hospitibus  
communi sensim spoliari , opprimique coe-  
pissent , *Andreas II. Saxones Transsiluanos* ,  
per septem sedes , quas *Sibenburg* appella-  
runt , diuifos , a regni magistratum iurisdi-  
ctione exemit , separatumque deinceps cor-  
pus constituere voluit : dato singulis sedibus  
*regio iudice* , et , qui toti genti praeeret ,  
*nationis comite* : restitutis denique pristinae  
libertati , militandi , tributa soli regi penden-  
di , ac viuendi leges praescripsit : quae omnia

**1224.** solenni diplomate A. 1224. edito complexus  
fuit (a). Noua rursus Teutonum supplemen-  
ta sub eodem fortasse *Geisa* II. aut *Bela* III.  
rege auxere Transsiluaniam , per quos Bis-  
triciensis , et Coronensis districtus habitari  
coepit (b). In Scapusum iisdem haud du-  
bie temporibus Teutones aduenere , potissi-  
mum tamen sub *Bela* IV. ingens eorumdem  
multitudo eodem deducta fuit , quibus pri-  
ilegia hospitibus propria *Stephanus* V. rex

*Transsiluaniam*. Timon affirmat eisdem A. 1142.  
privilegium a *Geisa* concessum. In Imag. nou.  
Hung. cap. X. pag. 85. sed hos non tam e Saxon-  
ia , quam ex Flandria ortos fuisse constat ex Cl.  
Pray. dissert. VII. pag. 165. et Cl. Katona  
ad h. a.

(a) Diploma hoc Saxonibus datum , notis iuridicis ,  
et criticis illustratum , reperies in libello cui titu-  
lus : *Andreas II. dietus Hierosolymitanus Saxonum*  
*in Transsiluania libertatis assertor. Iaurini* 1751.

(b). De his aliisque Saxonibus Transsiluanis consule  
histor. criticam regum Hung. Cl. Stephani Katona  
ad A. 1143. a pag. 552. et alios ibidem citatos.

A. 1271. elargitus fuit (a). Teutonum 1271.  
 hospitum, quos uno iam vocabulo Saxones  
 compellamus, siue industriam, siue opes fa-  
 tis, superque commendant elegantia oppida,  
 atque ciuitates, quibus Hungariam, Transsil-  
 uaniamque exornarunt. Quodsi quis tantam  
 gentium exterarum variis aetatibus in Hun-  
 gariam commigrantum multitudinem expen-  
 derit, facile de solitudine, qua regnum hoc  
 olim squalere debuit, arbitrabitur, atque  
 vna felicitatem Hungarorum demirabitur,  
 qui etsi minore fuere numero, tam copiosas  
 nihilominus lingua, moribusque a se diuer-  
 fas gentes in officio continere, ac in subiu-  
 gata semel regnatum dominatum suum tueri  
 nouerant.

### §. XII.

*Regna, quae olim Hungariae accessere.*

Iuuat nunc regna, et prouincias, variis tem-  
 poribus S. coronae assertas, recensere. *Trans-*  
*siluania*, inde ab ultimo Hungarorum Arpa-  
 dianorum aduentu, pars semper fuit regni  
 Hungarici, neque alio vnuquam, ac *partium*  
*Hungariae Transsiluanarum* nomine veniebat:

(a) Diploma hoc vide apud Cl. Carolum Wagner  
 in Analectis Scapusii sacri, et profan. part. I:  
 pag. 189. Porro de Saxonum Scapusiensium or-  
 tu, et progressu multa reperies apud eundem, ibi-  
 dem part. I. §. IV. V. et sequ.

eo itaque iure ditionem hanc *Tubuto* duci concesserat *Arpadus*, quo reliquas Hungariae partes inter duces ceteros diuiserat. Primus omnium *Gyula* iunior excusso legitimi principis iugo, separatum illic sibi, successoribusque suis regnum stabilire conatus fuit, atque idcirco non tam religionis Christianae, quam diuo *Stephano* regi cordi esse nouerat, propagationi; quam supremae maiestatis iuribus, quae is ibidem pro potestate exercere voluit, acriter, et pertinaciter obstitit (*a*): ut adeo piissimus rex refractarium hominem iure omni armis appetierit, quibus fractum, ac in potestatem suam redactum, auitis bonis exuit, ac in Hungariam vniuersa cum familia transtulit (*b*): quo tempore anno vi  
 1002. delicet 1002. Transsiluania non tam sacrae coronae Hungariae adiuncta, quam ad pristinum obsequium reuocata dici debet. Croatiam partim armorum ostentatione; partim inita postea cum regni ordinibus pactione,  
 1091. A. 1091. obtinuit S. *Ladislaus* rex. Dalmatia vltro se se *Colomanno* regi A. 1102. obnoxiam fecit. *Rama*, siue *Rascia*, quae etiam

(*a*) Non obscure id innuit *anonymus Belae regis notarius* cap. XXIV. Nam terram vltrosiluanam posteritas *Tubutum* - - - diutius habuissent, si minor *Gyula* cum duobus filiis suis *Biuia*, et *Buena* Christiani esse voluissent, et *semper contra-rarie sancto regi non fecissent*. Similia repetuntur cap. XXVII.

(*b*) *Chronicon Turotzii* part. II. cap. XXIX.

etiam *Bosnia* dici consueuit (*a*), spontanea primum *Beli*, qui eius prouinciae heres fuit, deditio[n]e; tum vero gesto aduersus aemulos bello sub *Bela II.* caeco rege A. 1135. in Hungarorum venit potestatem. Ser- 1135.  
*via* cuius metropolim Taurunum, siue Belgradum, iam A. 1073. *Geisa* dux expugna- 1073.  
uerat, nonnisi per *Emericum* regem A. 1202. 1202.  
penitus edomita, subactaque fuit. Russos Hungaris conterminos, iam olim *S. Ladislao* regi fidelitatis iuramentum nuncupasse, chro- nica nostra testantur (*b*), ea nihilominus Russiae regna, quae Galliciam, et Lodome- riam appellamus, A. 1213. in *Andreae II.* 1213.  
Hierosolymitani fidem pleno iure concesse- runt: quo tempore secundo genitus eius fi- lius *Colomanus* communi gentis consensio- ne, et applausu rex salutatus, in vrbe *Ha- litz* per Ioannem Strigonensem archiepisco- sum coronatus fuit. *Cumania*, quae hodier- nae Moldauiae, et Walachiae respondet, tum primum et iuribus, et titulis regum nostrorum accessit, cum A. 1239. residuum 1239.  
Cumanorum populus deserta ea regione in Hungariam immigravit. Qui Cumanis ibi successerant Walachi non alium terrae suae principem, quam Hungariae regem agnoue- runt, eidemque in signum subiectionis suae tributa pendebant (*c*). Bulgariae regnum,

(*a*) In part. IV. cap. LXV. sub finem.

(*b*) Idem part. II. cap. LVIII.

(*c*) Idem part. III. cap. XLIX.

- principe illius vrbe *Tarnouia* capta, Graecorum imperio A. 1182. eripuerat *Bela* III. verum non multo post amissum, victricibus iterum armis circa A. 1270. sibi subiugauit *Stephanus* V. a multiplicibus victoriis ibidem relatis *Bulgarici* cognomentum adeptus. Styriae ducatu non modo *Gertrudis* Austriae, heredis legitimae, cessione, verum etiam pace cum *Ottocaro* Bohemiae rege A. 1253. inita, potitus fuit *Bela* IV. filiumque suum *Stephanum* V. eidem ducem praefecit. *Austria* 1484. strium cum vrbe Vienna A. 1484. belli iure cepit *Mathias* Corvinus, eamdemque ad obitum usque in potestate habuit. Idem rex Morauiam, Silesiam, et Lusatiam et armorum vi, et communis prouincialium ordinum confensione A. 1479. sibi asseruit: a cuius morte in id imprimis incubuere Hungari, ut tria haec regna sacrae coronae Hungaricae iuribus in perpetuum vniarentur. Itaque postquam *Vladislao* II. Bohemiae regem ad vacans Hungariae solium anno 1490. libera electione euocarunt, in ipso regni aditu, fide regia cauere debuit, se regna haec, vt ad S. coronam Hungariae spectantia semper habiturum, neque unquam ab eadem alienaturum (*a*). Haec sunt omnia illa regna, quibus olim reges Hungariae dominati sunt, quorum titulis, et insignibus, etiam post-

(*a*) Vide conditiones suscepiti ab Vladislao II. regimini Farkashidae pridie caendas Augusti A. 1490. signatas in codice iuris patrii.

quam iniuria temporum a nobis auulsa sunt, numquam vti desierunt, vt sic antiqua sua iura aduersus praescriptionem sustentent (*a*). Quin etiam ad eadem haec regna, quoad per vires licuerit, recuperanda, se industriam omnem adhibituros, ipso solemnis inaugurationis die, solemni ritu polliceri solent. Ceterum, si *Ludouicum* M. regem deimas, nullus vnquam regum Hungariae ditiones has uno, eodemque tempore simpl posse: facilius nempe est, noua regna parere, quam parta tueri.

### §. XIII.

#### *Vetus regnum Hungaricum gubernandi ratio.*

**E**t si hodierna regiminis Hungarici forma et plurium seculorum vsu, et nouis idemtidem legibus, temporiique accommodatis institutis perpolita, aliquantum discedat a veteri; non erit tamen iniucundum antiqui moris curiosis intelligere, quibus olim legibus vixerint maiores nostri: quibus mediis rectus domi ordo,

(*a*) De regnis, quae ad ius S. coronae pertinent, egimus in *Specimine heraldicae Hungariae* edito Viennae A. 1766. Item in dissertatione *de titulis, et insignibus Mariae Theresiae*, quain adieci- mus ad calcem *Speciminis progonologico genealogici aug. domus Habsburgo - Lotharingicae* edit. ibidem A. 1774. Denique in eadē dissertatione multis aucta, et locupletata, ibideisque e. a. edita sub ti- tulo: *Abhandlung von Tiren, und Wappen, wel- che M. Theresia als apostolische Königinn von Hungarn führet*: quo lectorem relegamus.

partiumque singularum nexus procuratus: quibus machinis cum priuata singulorum securitas, tum vero communis totius reipublicae felicitas promota sit. Quae denique vires in promptu olim fuerint non solum ad vim externam a finibus remouendam, verum etiam ad bellum, cum opus erat, non sine optimi successus spe inferendum: nos omnia, quae huc facere videbuntur, instituta breuitate persequemur. Agemus porro de vetere Hungariam gubernandi ratione: de re oeconomica, de iudiciis, de re literaria, atque militari, quibus coronidis loco turbaram, quae Hungariam aliquando diuexarunt, fontes subnectemus. Vt si haec erunt lectribus, vt vbi res a regibus gestas postea legerint, ad singula haec capita diligenter aduertant animum. A politica gubernatione ordiamur. Diuus *Stephanus*, primique post eum reges, eo potissimum curam, sollicitudinemque suam intenderunt, vt gentem recens ad Christum conuersam, gentilisque morum licentiae nondum oblitam, suavi Euangelicae legis iugo sensim subderent: quem in finem diuina praecepta, legesque ecclesiasticas, non sine grauium poenarum sanctione, decretis suis inferuere, vt SS. *Stephani*, et *Ladislai*, nec non *Colomanni* regum decreta examinanti patet. Sapienter scilicet, ac prouide existimabant illi, tum demum probos fideles, sibique obsequentes fore, subditos populos, postquam Deum timere, eius mandatis obtemperare, hacque ratione non temporariam modo; verum etiam

aeternum duraturam felicitatem suam ex animo conlectari didicerint: fieri enim nequit, ut qui diuinis iussis vere obedientes sunt, principum suorum autoritatem aspernentur. Porro episcopis, et, qui tum eorum vices obibant, archidiaconis peculiariter commissum voluere reges nostri, ut legum diuinorum, ac ecclesiasticarum obseruantiam apud creditos suae iurisdictioni populos procurent, quorum autoritas, ne a quoquam impune posset contemni, ciuiles regni magistratus omnes eisdem, ad refractarios coercendos, affltere iubebantur (*a*). Ceterum exterior, qua tota monarchia dirigebatur, gubernatio his fere institutis definiebatur. Regno Hungariae in comitatus diuiso, *parochiani*, siue supremi comites, rem ibidem politicam, oeconomicam, iudicariam, et militarem vicaria summi principis potestate administrabant, quod munus non minus arduum, quam honorificum, ut eo exactius obire possent, singuli suis in comitatibus stabile domicilium figere iubebantur. Ne porro pluribus officiis, curisque distracti minore studio res comitatus fidei suae crediti curarent, lege publica vetitum fuit, demptis IV. regni baronibus, cuiquam duas dignitates, aut duorum comitatum administrationem conferre (*b*). Quod-

(*a*) S. Stephani decret. lib. II. cap. II. et XII.

(*b*) Eruuntur haec ex bullae aureae art. XXX. Praeter hos quatuor iobbagiones scilicet palatinum, banum, comites curiales regis, et reginae, duas dignitates nullus teneat. Item Vladislai II. decret.

si igitur parochiani comites magistratu suo diligenter, atque fideliter sunt defuncti, quemadmodum singulos comitatus, ita totum vna monarchiae Hungaricae corpus optime constitutum esse oportuit: vt adeo machina, quae republicam Hungarianam moderabatur, in solis pene *comitibus parochianis* sita fuerit. Dignitati huic redditus non contemendi adiuncti erant, tertia quippe tributorum in comitatu colligi solitorum pars eidem cedebat (*a*). Praeter *comites parochianos*, bani insuper limitaneis prouinciis; Transsiluanis autem *Wayuodae* praeficiebantur, amplissima instructi autoritate. Ne autem siue hi, siue illi, aut ipsa officii diuturnitate segniores fierent, aut potestate sibi concessa in reipublicae detrimentum aliquando abuti possent, prisci reges nostri singulas Hungariae partes crebrius inuisere in more habebant (*b*): quo tempore cuncta diligenter perscrutati, non nobilium solum, verum infimae etiam plebis querimonias audiebant, ac, si quae vitia in administrationem irrepisse cog-

**III. art. XLIV.** Vnusquisque comitatus suum proprium comitem de comitatu eodem, aliquem ex potioribus habeat. Item ibide n. art. LVII. in ipso comitatu personalem residentiam agenti honor huiuscmodi per regiam maiestatem detur, et conferatur.

(*a*) S. Stephani decret. lib. II. cap. XX. Colomanni decret. lib. II. cap. LXXVIII. Bullae aureae art. XXIX.

(*b*) Colomanni decret. lib. I. cap. XXVI. et XXXVII.

nouerant, extemplo corrigebant. Tempore sat longo mos quidam non usque adeo probandus obtinuit, ut quisque postulata sua coram rege voce depromeret, ac hic vicissim quasi ex stapede responsa sua pariter voce redderet: verum consuetudinem hanc in officiosam, multisque fraudibus, ac deceptionibus obnoxiam sapienter sustulit Bela III. institutis ad aulae Bizantinae morem *precum ministris*, qui subditorum petitiones in scriptum relatas regi exhiberent, atque ab eodem post maturam deliberationem scripto pariter responsa acciperent, querulantibus consignanda (*a*). Regem, Hungariam peragrandem, cancellarii sigillo instructi, atque *notarii*, seu scribae regii sequi solebant: aderant praeterea in eiusdem comitatu nonnulli antistites, et regni primores, non solum honoris; verum etiam consilii suggerendi causa: multa profecto negotia his in itineribus confecta sunt, ut diplomata regia tot diuersis olim locis data testantur. Literis porro regiis, atque priuilegiis non omnium, ut posterius mos inualuit, antistitum, regnique baronum nomina adscribi solebant; sed eorum tantummodo, qui tum praesentes, ac regiae gratiae quasi testes aderant (*b*): id quod maximam parit hodie difficultatem.

(*a*) *Chronicon Turotzii cap. LXIX.*

(*b*) Iuuat rem exemplis illustrare; *Colemanni regis diploma A. 1111 Arbeni in Dalmatia ecclesiae datum ita concludit, per manus venerab. Laurentij Strigon. archiepiscopi - - - ex concessione Cola-*

tatem illis, qui in vetustioris aeui episcoporum, et baronum serie, ex diplomatum clausulis texenda, desudant. Cum domi suae, videlicet Albae regiae, aut Budae reges nostri degebant, cunctis de rebus, atque negotiis, quin etiam de vulgi rumoribus, qui e viciniis interdum prouinciis in Hungariam adferebantur, per limitum praefectos, perque parochianos comites, quam creberrime, et celerimē edoceri solebant. Hunc in finem fin-

manni regis, in *praesentia* suorum episcoporum, ac comitum, quorum nomina haec sunt: Marcelli Vaciensis episcopi et cet. comitum vero Ioannis palatini comitis et cet. apud Lucium Lib. III. cap. IV. Item Belae II. sacro monti Pannoniae A. 1137 datum cum hac clausula: impressionem vero regalis imaginis per Ioannem notarium feci apponi, *affixatis testibus veritatis*, quorum haec sunt nomina: Felicianus archiep. Petrus Besprimien. ep. Paulus Iaurin. ep Fauzal palat. comes, Georgius comes, Vernold comes, et alii quamplures ministri nostri. In vindiciis diplomaticis S. Stephani cl. Patris Chrysostomi Nouak O. S. B. pag. 109. Denique eiusdem Belae II. ecclesiae Dömösiensi A. 1138 datum, quod sic definit: ex ore Belae regis, et Helenae reginæ, et omnium episcoporum. Scilicet: Feliciani archiepiscopi Strigon. Pauli ep. Iaurin. Petri ep. Vesprim. Marcharii ep. Quinque-eccles. Marcellini ep. Vaciens. Beskei ep. Chanad. Valterii ep. Varad. Kathapani praepos. Alben, et omnium comitum, *quos tunc adesse contigit*. Scilicet Fuzol praefecti arcis, id est palatii comitis Bihariensis. Matthaei comitis nouae ciuitatis Viuár. Martini comitis Szalad. et aliorum plurimorum nobilium. Apud cl. Schmitt in episcopis Agrien. Tom. I. pag. 64.

gulis in comitatibus *e liberis* hominibus delecti fuere *cursores*, atque *nuncii* publici, qui *comitum* parochianorum nuncia, et literas ad aulam perferrent. Cursoribus his in itinere constitutis potestas fuit, quorumcumque repetissent, equos, non tamen ultra vnam stationem, abducendi. Soli sacerdotes aut ad ecclesiam, vel episcopum vel denique comitem parochianum eentes ab hoc incommodo erant liberi. Praeterea singulis in comitatibus designati fuere quidam, qui ab omni alio onere *eximii*, equos *megales*, aut *exercituales* dictos domi sua, proprioque sumtu aluere; equi hi non regi solum, cum in comitatu versabatur, praefecto aderant; verum etiam publicorum *nunciorum* vstabus deseruiebant: quod si idmodi equus seruendum inter fato perierat, ex aerario regio damnum illius domino sarciebatur (*a*). Haec igitur olim fuere media, per quae reges nostri omnium, quae quacumque demum in regni parte aut agebantur, aut ferebantur, facti fuere consciū: et prouide sane; nihil enim summis imperantibus magis vtile, aut necessarium est, ac omnium omnino, non solum quae fiunt; verum etiam, quae communi rumore circumferuntur, habere notitiam. Etsi porro maiestas omnis residebat in rege, vtebatur nihilo minus consiliis *senatus regalis*, quem D. Stephanus instituit, ac e grauibus, senibus-

---

(*a*) S. Ladislai decret. lib. III. cap. XIV, et XXVIII. Colomanni decret. lib. I. cap. XXXVI.

que utriusque ordinis viris constare voluit (*a*). *Senatores* hi regii etiam *ministri regis* appellari consueuerunt. Accidit tamen interdum, vt reges aliqui vnicum ex his sibi delegerint, cui ita addictas habuere aures, vt reliquorum consilia ne audire quidem sustinuerint: quae regum in vnico homine fiducia, quid mali Hungariae attulerit, ex *Petri*, *Salamonis*, et *Andreae II.* regum historia clarius elucescat. Ceterum cum *regali senatu* de rebus ad communem regni salutem spectantibus, de bello indicendo, aut foederibus fanciendis, consultationes habebantur. Si quando autem nouae leges toti regno dietandae, atque promulgandae erant, tum enim vero vniuersi ordines regni, ac ipsi adeo plebis seniores ad generalia regni comitia euocari solebant (*b*). Haec porro non in campis, vt paſſim vulgus existimat, celebrata olim sunt, sed in frequentioribus ciuitatibus, ample insuper territorio, et paſſuo, tot equis, et iumentis, quibus regnocolae eo deuecti sunt, alendis idoneo instruetis. Veterum regum decreta satis indicant comitia *Albae regiae*, *Pestini*, *Strigonii*, *Aradini*, *Tolnae*, *Szegedini*, atque *Batsini* fuisse habita (*c*). Primus omnium in campis

(*a*) *S. Stephani decret. lib. I. cap. VII. Lib. II. cap. XIV. XIX et XXXV.*

(*b*) *Chronicon Turotzii parte II. cap. XLVI.*

(*c*) *Inspice decreta regum antiquorum in codice iuris patrii.*

Rakosiensibus conuentus fuit A. 1308. pro 1308.  
*Caroli Roberti regis electione*: cum enim  
regnum omne in duas diuisum esset factiones;  
vt pars altera impense faueret *Carolo*: acriter  
ex aduerso obstat altera, neutra tutum pu-  
tauit, se se Pestinenis ciuitatis moenibus con-  
cludere. Ex eo quidem tempore aliquoties  
regni ordines in planicie Rakosiensi conuenie-  
re; sed fere tum, cum Hungaria tota dome-  
sticis dissidiis, et factionibus in partes scissa  
fuit. Illud praeterea quasi ex transitu hic af-  
firmare possumus, tum demum florentissimam  
fuisse Hungariam, cum rariora erant comi-  
tia, quod nulla fere fuerant vulnera, quae  
hoc medio curari oportuisset. Postquam au-  
tem Hungaria lenta iam tabe consumta, ad  
tumulum properabat; tum enim vero singu-  
lis trienniis, bienniis, ac etiam quotannis  
comitia indici placuit; id quod sub *Vladislao*  
*II. Ludouico II. Ferdinando I. ac Rudolpho*  
imperatore obseruatum fuisse vel eorum de-  
creta ostendunt. Ex his satis opinor intelli-  
gent lectores nostri, quae olim in Hungaria  
obtinuerit gubernandi ratio exterior. Qui-  
bus porro placitis, atque principiis reges  
quidam rem Hungaricam constabilire, altius-  
que prouehere studuerint, ex eorumdem hi-  
storia primum erit intelligere. Eo quidem  
plerosque video collimasse, vt quamplurimos  
populos, atque prouincias sacrae coronae  
suae subiugarent, veteribusque titulis nouos  
rursus adiungerent; verum multis pruden-  
tia, multis defuit felicitas, vt ea, quae a  
decessoribus suis acceperant, aut quae ipsi

virtute sua pepererant, successoribus transfererent. Vnde taedio nos affici oportebit, cum legerimus, Moldauos, Walachos, Seruios, Russos, aliosque vicinos populos intra paucorum annorum spatium, mira rerum, et temporum vicissitudine, iam sacrae coronae clientes, atque tributarios; iam excusso iugo formidandos Hungaris hostes euasisse.

#### §. XIV.

##### *Res oeconomica.*

Veterum Hungariae regum oeconomiam adumbraturi, illud iam in limine monendum habemus, non id nos agere, vt redditus regios accurate definiamus; satis itaque nos praestitisse arbitrabimur, si praecipuos, vnde illi profluebant, fontes indicauerimus. Primus prouentuum regiorum fons fuit regiae domus Arpadianae *patrimonium*: alibi iam a nobis insinuatum est, in communi illa duces inter, atque milites Hungaros partitione, ditionem aliquam p[re] reliquis delectam, familiaeque suae ducali per *Arpadum* peculiari ter fuisse attributam; magna illa haud dubie, ac imperantis domus amplitudini, atque dignitati par fuit: etsi, quibus circumscripta fuerit limitibus, ignoremus: si quis coniecturae, graib[us] rationum momentis subnixae, locus est, videtur *patrimonium* hoc e *Strigonensi*, *Pilisensi*, *Pestinensi*, *Albensi*, *Veszprimentiensi*, *Comaromiensti*, *Tolnensti*, *Baranyiensi*,

*Mosoniensi*, et e *Iaurinensi* prouinciis fuisse conflatum. Illud certum vtique exploratumque est, duces nostros, ac postea reges *Strigoni*, *Albae regiae*, ac *Veterobudae*, peculiare habuisse domicilium: in quarum vicinia, per ampla esse oportuit bona, vnde culinae regiae necessitatibus prospiceretur. Insulam magnam *Tsepeliam* multis per *Arpadum* ducem exultam aedificiis, educandis ducalibus equis speciatim destinatam, ex anonymo Belae notario discimus (a). Vduarnicos, ac cuiusuis generis aulae famulantium populos in Transdanubiana potissimum Hungaria habitasse, alias iam ostendimus (b). Denique in hac, quam mox descripsimus, Hungariae portione *Strigonensem* archiepiscopatum; Episcopatus item *Colocensem*, *Vaciensem*, *Weszprimensem*, *Quinque-ecclesiensem* et *Iaurinensem*, complures praeterea et abbacias, et praeposituras D. *Stephanum* regem erexisse, optimisque redditibus, et latifundiis, de propriis vtique bonis, dotasse, nulla eget probatione. Hic igitur parte aliqua possessionum, terrarum, ac praediorum, inter milites, qui speciatim *Arpadi* signa sequebantur, atque praetoriani dici possunt, distributa; cetera regio omnis, in regnantis domus Arpadianae ius, proprietatemque concessit: vnde non contemenda obuenisse emolumenta, e fertilitate soli, opportunoque ad

(a) *Anonymus* cap. XLIV.

(b) *Vide superius* §. VIII.

quaestum faciendum situ, arbitrari licet. II. fons reddituum paulo copiosior fuit, e bonis *castrorum* comitatensium. Quamuis enim primi expeditionis duces, et milites amplissimas terras, atque possessiones pro meritorum, dignitatisque ratione singulis in prouinciis ab *Arpado* duce acceperint; castrum nihilominus illud, a quo comitatus suam traxit appellationem, idoneo territorio, villis item, terris, ac praediis instructum, summi imperantis iuribus reseruatum fuit. Ex anonymi *Belae* regis notarii non uno loco clare eruitur, huiusmodi *castra* cum comitatus *bonore*, siue *praefectura*, primorum dum fidei, et curae credi, non item bonorum instar donari confueuisse (*a*). *Castrata* haec ducibus, regibusque regnum obeuntibus hospitium, bona autem victum praebabant: ut necesse minime fuerit, ad priuatum nobilium aedes diuertere, atque eos per

(*a*) Cap. XVIII. *Dux*, inquit *anonymus*, *pro beneficio suo Borsum in eodem castro Borsod, comitem constituit, et totam curam illius partis sibi condonauit*, id est commisit. cap. XXXVII *Dux Arpad Hubam fecit comitem Nitriensem, et aliorum castrorum; et dedit illi terram propriam iuxta flumen Zituam usque ad silvam Turfoc.* En ut comitatus honorem a bonorum collatione distinguit. Denique cap. LII. *Tunc dux Usubo patri Zolonk dedit castrum Wesprim cum omnibus appendiciis suis, et Velouqchio dedit comitatum de Zarand.* Non dum nempe tum *Vesprimiensis* comitatus erat, ut plures alii, serius per *sanctum Stephanum* instituti.

hanc hospitalitatem ad egestatem redigere (*a*). Eadem haec castra militum praesidio communita, comitatum omnem in officio continebant, praecipuumque erant securitatis demesticae fundamentum. Sistema istud tum etiam, cum D. Stephanus nouam monarchiae formam Hungariorum descripsit, retentum, ac satis diu studiose conservatum fuit, ut adeo fidenter assertamus, in promptu esse diploma-ta, quibus ad liquidum demonstretur, pleraque comitatum *castra*, quae labente aetate ex regum munificentia in priuatorum, tam praelatorum, quam magnatum ius, ac proprietatem transiere, adhuc tertio decimo Christi seculo iuris fuisse regii. Ex castorum horum terris, praediis ac possessionibus, multas reges nostri abbatias, praeposituras, et coenobia quoquis aevo fundarunt, ex iisdem bene de se, et patria meritis viris donationes fecerunt. Quae quidem regum liberalitas paulo ulterius progreffa fuit, cum non iam portiones ex territorio *castri*, sed ipsa adeo castra, cum terris eo spectantibus, inter clientes distribuere cooperant: quo factum denique, ut multi ex priuatis ad summas opes peruererint; dum interea reges praecipuo reddituum suorum fonte dissipato ad egestatem sunt redacti. Sensit hoc Hun-

(*a*) In literis Andreae II. A. 1234 datis cauetur ne rex, regina, filii, aut auxili ad nobilium domos duerenter, neve quidquam ab eis, nisi parato aere solutum, pro usu suo acciperent. In Annalibus regum Hung. ad hunc annum pag. 234.

garia potissimum sub Vladislao II. rege et  
 egentissimo, et alienis nominibus ultra vires  
 grauato: quapropter in generalibus regni co-  
 mitiis A. 1514. celebratis, bona quaedam  
 ex multis delecta sunt, quae deinceps nefas  
 foret, quacumque de causa alienare (a). Ce-  
 terum quamdiu dispersa haec per singulos co-  
 mitatus castri bona in regum erant potestate,  
 non exigui profecto census erant vtilitates,  
 inde obuenire solitae: in his etenim omnis  
 generis pecorum et pecudum, equorum,  
 boum, ac porcorum regalium greges ali con-  
 fueuerunt (b): hinc fruges, et vina collige-  
 bantur, census denique a colonis, atque  
 subditis castro regio praestabatur: quae o-  
 mnia, quoniam parochiani comites pro rege  
 procurabant, tertia census huius pars eisdem  
 concessa fuit (c). III. commemorari meri-  
 to debent amplissimae cum in Hungaria; cum  
 in Transsiluania plagae, quae *terrae regales*  
 dicebantur, ad quas incolendas subinde *Sicu-*  
*lorum, Cumanorum, Iazygum, Saxonumque*

co-

(a) Vladislai II. decret. VII. art. I. et sequ.

(b) Bullae aureae Andreae II. art. XV. XXII. et  
 XXIX.

(c) Ibidem art. XXIX. Comites iure comitatus sui  
 tantum fruantur, *cetera ad regem pertinentia ci-*  
*briones, ex Hungarico tsöbör, quod vrnam signi-*  
*ficat, tributa, boues, et duas partes castrorum*  
*rex obtineat.* Eadem fere ad verbum repetuntur  
 in aliis Andreae II. literis A. 1234 in Annal.  
 reg. Hung. pag. 235.

coloniae magno fane numero , ac non sine aerarii regii emolumento sunt deductae. Illi quidem fere per militiam cetera redimebant onera , *Saxones* autem *Transsiluani* quingen-  
tas insuper argenti marcas (a) , *Seepusienses* tercentas summo terrae principi annis sin-  
gulis numerare iubebantur (b). IV. loco ve-  
niunt varia tributorum toti regno commu-  
nium genera , videlicet *liberi*, seu libertatis  
*denarii* , tum *mardurinae* , ac denique tributa,  
quae coloni singuli a sessionibus suis annue-  
pendebant : haec ut accuratius colligi pos-  
sent , singulis colonorum centuriis singuli  
praeyerant *centuriones* : quorum munus erat ,  
pecuniam a centuriis suis acceptam paro-  
chiano *comiti* consignare: hic subinde confla-  
ta in vnum totius comitatus tributa *Strigo-*  
*nium* ad diem festum S. Michaelis transmit-  
tere , atque tum demum debitam sibi , sti-  
pendii loco , tributi comitatus partem acci-  
pere iubebatur (c). Porro cum ex D. *Stephani* fundatione , decimae omnes episcopis  
attributae fuerint (d) , earundem loco vicefi-  
mam partem fructuum in Hungaria (e) , quin-

(a) Vide priuilegium Andreæ II. Saxonibus *Trans-*  
*siluanis* datum in libello *Affertor libertatis Saxo-*  
*num*.

(b) Ex priuilegio Stephani V. A. 1271. Saxonibus in *Scapusio* dato in *Analectis Scapusii* sacri et profani part. I. pag. 191.

(c) Lege Co'omanni regis decret. lib. I. cap. LXXIX.

(d) S. Stephani decret. lib. II. cap. LII.

(e) In Andreæ II. literis. A. 1234. datis diserte  
habetur : *Praeter vigesimam, quam ab antiquo re-*

quagesimam vero in partibus Transsiluanis (*a*) reges accipiebant. Atque hae, aliaeque tributorum publicorum species pro temporum et rerum adiunctis iam auctae, iam diminutae usque ad Carolum I. Robertum perdurauit, qui eis abolitis A. 1342. *lucrum camerae* substituit: id quod in eo situm erat, ut a quavis colonorum *sessione integra*, *curia*, seu *domo*, idmodi portam habente, per quam currus foeno, vel frugibus onustus intrare, et exire possit, nulla numeri hominum, dominum eam incolentium, habita ratione, non plus, quam XVIII. denarii, siue tres grossi nouae monetae Carolinae, aerario regio annis singulis persoluerentur, a quo onere regis quidem, aut reginae subditi fuere exempti (*b*). Vectigal hoc *lucri camerae* per Ludouicum M. et Albertum reges confirmatum porro etiam obtinuit (*c*). Ut autem tributi huius valorem ad aetatis nostrae monetam reducamus: sciendum est, cum denarios Carolinos, et Ludouiceos; tum vero grossos, non illos minores hodiernis similes, sed maiores intelligi oportere. Grossi hi lati appellabantur (*d*), paresque erant famige-

*ges habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus grauatur.* In Annal. reg. Hung. pag. 235.

(*a*) Decreti Alberti regis art. VII. In codice juris patrii.

(*b*) Caroli I. decreti art. XIX. et XX. ibidem.

(*c*) Ludouici M. decreti A. 1351. art. IV. V. et XII. ibidem.

(*d*) M. Turotzius part. II. cap. XCVII. post descrip-  
tam cladem, quam Hungari sub Carolo I. A.

ratis illis *grossis latis Pragensibus* (a). Neque arbitrarie haec a nobis afferi quis existimet: constat quippe, *Ludouici Magni aetate*, idmodi probitatis, ac ponderis cūsos fuisse *grossos*, vt eorum quinquaginta marcām vnam argenti, octo pensarum, seu vnciarum exaequauerint (b), qui valor profecto nonnisi maioris moduli, seu *latis grossis* conuenire potest. Idem hi *grossi* maiores, postquam Ludouico II. imperante B. V. *Mariae* effigie insigniri coeperunt, nouam *marijanorum*, Hungaris *marijus*, appellationem sunt adepti (c). Ex quibus omnibus copiose huc adductis, perspicuum fit, nomine *lucri camerae* a sessiōnibus singulis, nonnisi tres *grossos maiores*, siue *marianos* solui consueuisse. Sed neque hoc tributi genus perpetuum fuit. Cum enim labente aevo, quamplurimi seu priuata autoritate, seu regum gratia, aut connuentia, subditos suos a soluendo *lucro camerae* exe-

1330. a Bazarado Walachiae Wayuoda acceperunt, meminit Walachos magni pretii spolia obtinuisse, ac nominatim multa *marsupia latorum grossorum*, et *florenorum*. Nos ipsi aliquot Caroli I latos grossos spectauimus pluribus in cimelijis.

(a) Eruditam dissertationem cl. viri Gelasii Dobner e scholis piis, de latis grossis Pragensibus vide in Annal. reg. Hung. part. II. ad A. 1412.

(b) Testem huius habemus Nicolai de Monoszlo, Strigonensem Archi-episcopum in literis A. 1353. datis, quas vide in conciliis cl. Péterfi Tomo I, pag. 171.

(c) Vide cl. Cornides in opere, quo genealogiam primorum regum illustrat. pag. 85.

missent, vt vix quidquam utilitatis inde pro-  
 1467. ueniret, *Mathias Coruinus habitis A. 1467.* Budae comitiis, nomen ipsum *lucri camerae* sustulit, atque illius loco *tributum fisci regalis* instituit, vi cuius in omnibus omnino non minus regiis, quam priuatorum ecclesiastico-  
 rum, et secularium bonis, a *singulis quinque portis*, florenus vnu semel in anno exigere-  
 tur (a). Sed, et hoc tributum, vt bello-  
 rum ferebat necessitas, a *Mathia* ipso rege  
 non vna vice variatum fuit, vt ex eius de-  
 cretis intelligitur (b). Rege hoc demortuo,  
 postquam sub *Vladislao II.*, et *Ludouico II.*  
 regibus, summi imperantis autoritas col-  
 lapsa fuit, nulla iam tributa erant perpetua;  
 sed fere ab ordinum regni pendebant arbitrio:  
 quapropter etiam in *Austriacorum* prin-  
 cipum periodo, tantum tributi a portis colli-  
 gendi subsidium, idque pro vno, duobus, aut  
 tribus solummodo annis, in generalibus re-  
 gni comitiis decerni solebat, quantum ad  
 praesentes necessitates suffecturum existima-  
 batur (c). Superatis demum ciuilibus bellis  
 omnibus, noua, stabilisque contributio sub

(a) Literas *Mathiae Coruini* ad Posoniensem comi-  
 tatum datas, quibus innouationis huius causas com-  
 plexus est, edidit cl. Pray in dissertatione de *pri-  
 ratu Auranae* pag. 52.

(b) Constitutionum A. 1474. art. I. et IX. decret.  
*Mathiae IV.* 1478. art. I. II. et IV.

(c) Passim id legere est in comitiorum constitutioni-  
 bus, ac nominatim in *Ferdinandi I. decret.* XIX.  
 A. 1559. art. XI, et XV.

*Carolo VI.* rege in Hungariam introducta est, ex qua statarius miles stipendia acciperet. V. fons reddituum regiorum fuere liberae, regiaeque ciuitates, quas ut peculium suum reges numero, et opibus augere, atque tueri pergebant. VI. auri, argenti, ac cuiusuis metalli fodinae, siue quas reges ipsi coli faciebant, siue quas priuatis concedebant; unde census, quem *Vrbaram* dicimus, regi pendebatur (a). VII. salis fodinae cum in Hungaria, tum in Transsiluania, singulare authoris naturae beneficium, nullo vñquam tempore exhauriendum. VIII. tricesimae in limitibus regni a quaestoribus, mercibus ueinde a regni Hungarici initii exigi solitae. IX. in maritimis Dalmatiae ciuitatibus vetigalis illius, quod naues exterae soluere tenebantur, duae tertiae regis erant; vna comitis (b). X. nonnulli ad sacram Hungariae coronam olim spectantes populi, nominatim autem *Moldaui*, et *Walachi* regibus nostris annua tributa muneraque mittere conseruerunt (c). Atque hi fere sunt fontes

(a) Stephani V. literae A. 1271. datae in Analectis Scepusii sacri, et profani. Part. I. pag. 191. Ludouici I. decreti A. 1351. art. XIII. in cod. iuris Pat.

(b) Colomannus in priuilegio Tragurinis. A. 1108. dato diserte habet: Introitus portus ciuitatis de extraneis duas partes rex habeat, tertiam vero comes ciuitatis, decimam autem episcopus. Apud Lucium lib. III. cap. IV.

(c) Chronicon Turotzii parte II. cap. XCVII. et Part. III. cap. III. et XLIX.

illi, ex quibus et aulae regiae dignitati, et aerario publico abunde olim prospici potuit; simodo prouentus regii rite, fideliterque administrati sunt: hi quidem pluribus ex causis sufficere olim poterant: exiguo quippe impendio stabat militia Hungarica; cum hodie Europae principes vniuersos prope thesauros in militem profundere coguntur: maximis praeterea in regno dignitatibus mediocria affixa fuere stipendia, quod ad eas viri non minus opibus amplissimis, quam nobilitate conspicui admoueri confueuerint. Quapropter si reges aliqui, vt *Andreas II.* *Vladislaus II.* et *Ludouicus II.* constanter cum aerarii sui angustiis collectati sunt, id non prouentuum exilitati, sed pessimae eorumdem administrationi, atque etiam inconsultae regum ipsorum in donando liberalitati attribuendum est. Certe, vt alios praeteream, *Ludouicus M.* et si grauissima, diurnaque bella in remotissimis ab Hungaria ditionibus gellerit; et si immensam vim aeris in itinera impenderit; et si *Carolo IV.* imperatori, et *Casimiro* Poloniae regi ad auita iura sua in quasdam Silesiae, Poloniaeque partes constabilienda, magnam pecuniae summam numerauerit, ac denique munificentia in domesticos, et exterros, aulae item splendore nulli secundus fuerit; nunquam tamen legitur, aut aeris penuria laborasse, aut domestica tributa auxisse. Nequid tamen dissimulemus, liceat nobis aliquantum conqueri, sat diu a regibus, et maioribus nostris ignoratam fuisse artem lucra, et diuitias ex

alienis prouinciis in patriam deriuandi. Quot praeter Hungariam populis, regnisque imperarunt, quin locupletiores euaserint. Quamdiu Dalmatiae vrbium, et portuum fuere domini; quin tamen eas diuitias, ad quas subinde Veneti peruererunt, colligere nouerint. Exiguus sane olim commercii cum vicinis populis vsus fuit, ac fere exiguo pecorum, pecudumque definiebatur quaestu. Vberimi soli patrii naturae totum relictum, nihilque ad augendos domesticos fructus industriae impensum fuit: vt adeo id fere omne, quod suapte procreaturn erat, domi absumeretur. Ex aduerso, cum pauci admodum essent artifices, artesque neglectae squalerent, ad res vsui vitae humanae necessarias ab exteris comparandas, non contemnenda pecuniae vis e regno annis singulis efferrri debuit. Primus omnium *Colomanus* sapienter peruidit, quantae utilitatis esset Dalmatiae accessio, atque idcirco omnes ingenii vires eo contulit, vt regnum hoc S. coronae iuribus adiungeret. Longo post tempore *Colomannum* secutus *Ludouicus M.* non ante a bello destitit, quam postquam vniuersam Dalmatiam Hungariae postliminio restitutam vidiit, unde amplissima etiam lucra collegit. Verum ab eius morte, eae fuerunt rerum vicissitudines, vt opulentum hoc regnum, regibus nostris dissimulantibus, pedetentim ab Hungariae finibus fit auulsum. *Mathias Coruinus* in id potissimum incubuit, vt exterarum mercium necessitatem diminueret: quapropter *Bonifacio* teste, „varias,

„ quibus olim carebat , artes , eximiosque  
 „ artifices ex Italia magno sumtu euocauit ;  
 „ quare pictores , statuarii , plastici , caela-  
 „ tores , et lignarii , argentariique fabri ,  
 „ item lapidicidae , operarii , et architecti  
 „ ex Italia conducti , insanaque his impensa  
 „ salario - - quin et olitores , cultores horto-  
 „ rum , agriculturaeque magistri ex Italia  
 „ educti , qui caseos etiam Latino , Siculo ,  
 „ Gallicoque more conficerent , euocati (a) , ,

### §. XV.

#### *Vetus iudiciorum ratio.*

Justitiae , qua cuique ius suum tribuitur ,  
 quaque ciuium quisque rerum suarum secu-  
 rus viuit , administrandae ratio , saepius apud  
 nos olim variata fuit . Principio id moris  
 erat , vt rex ipse regnum obiret : quare , vbi  
 primum comitatum subiit , gemini *iudices no-*  
*bilium* , causas ad eum referebant , latamque  
 tum ab eo sententiam executioni dabant (b) .  
 Domi pariter lites ad se delatas decretorio  
 iudicio definiebat (c) . Alter post regem  
 nobilium omnium iudex fuit *comes palati-*  
*nus* (d) . *Vduarnicorum* , siue eorum , qui ab

(a) Antonii Bonfinii rer. Hung. decadis IV. lib. VII.

(b) Colomanni decret. lib. I. cap. XXXVI.

(c) S. Ladislai decret. lib. I. cap. XLI et XLII.

(d) Eiusdem decret. lib. III. cap. III. Colomanni  
 decret. lib. I. cap. XXXVII. Bullae aureae art. I.  
 et VIII.

aulae regiae obsequiis erant, causas dirimabant *comites curiales* regis, et reginae, sine iudices curiae (a). Ceterum quemadmodum in ciuitatibus ad *villicos*, seu *praetores*, ac iudices (b); ita in comitatibus quoque lites omnes ad *nobilium iudices* deferri oportuit, a quibus ad *parochiani comitis* tribunal appellatum fuit (c). At quoniam lapsu temporis, regis ministri, barones, potioresque regni *comitis parochiani* autoritatem aspernari coepérant, *Colomannus* rex quavis in dioecesi *synodos*, mensibus Maio, et Octobri habendas instituit, quibus episcopus, tum dioecesis illius parochiani comites omnes, ac denique delecti ex nobilibus iudices aliquot affísterent, ac omnium omnino, tam summi, quam infimi; sacri item, ac profani ordinis hominum lites cognoscerent (d), qui semel, iterum, ac tertio *synodi* huius sententia damnatus fuit, a prosequenda deinceps lite abstinerre debuit (e). Verum neque supremi huius tribunalis autoritate coerceri potuit non-

(a) Bullae aureae cap. IX.

(b) Belae IV. priuilegium A. 1269. Kesmarkiensibus datum, quod vide in Analectis Scepusii part. I. pag. 48.

(c) De parochiani comitis autoritate, vide S. Stephani decret. lib. II. cap. XLIII. S. Ladislai decret. lib. II. cap. XLII. lib. III. cap. XVI. Bullae aureae art. V.

(d) Colomanni decret. lib. I. cap. II. VII. usque XIII. XXIII. et XXIV.

(e) Eiusdem decret. lib. I. cap. LXIV.

nullorum audacia. Non enim deerant , qui eos , qui causa ceciderant , aduersus legitimi iudicij sententiam , armis etiam tuerentur (a). Itaque A. 1222. sub *Andrea II.* regge solemni decreto sancitum fuit , vt rex ipse annis singulis ad celebranda S. Stephani regis solemnia Albam Regiam veniret , iisdemque terminatis , pro tribunali sedens , causis omnibus ad se vltimo deuolutis finem imponeret (b). Quamquam vt aliis , ita sacro sancto huic iudicio pariter non semper optatus respondit successus : accidit enim interdum , vt illi , qui opibus et clientelis reges ipsos exaequabant , nullius omnino iudicis sententia mouerentur , ad bona inique detenta legitimis dominis restituenda. Quapropter parochiani primo comites cum comitatus sui gentibus aduersus hos insurgere ; quodsi horum vires non sufficerent , ipsi adeo generales regni capitanei iusto cum exercitu illos adoriri , ac debellare , sicque tribunalium sententias armata manu executioni dare iubebantur (c). Synodis *Colomanii* regis longo post tempore octaualia iudicia successere , ex utriusque ordinis viris conflata , quae post nonnullorum festorum dierum octauas , puta SS. Martini , Georgii , Ia-

(a) Bullae aureae art. XXVIII.

(b) Bullae aureae *Andreae II.* art. I.

(c) Mathiae Coruini decret. VI. art. LXVII. Vladislai II. decret. VI. art. I. et LXXV. Ludouici II. decret. Batiensis A. 1518. art. IV. et VI.

cobi, Michaelis Archangeli, et Epiphania-  
rum domini, illo quo iudicibus opportunum  
videbatur loco, bis ut minimum in anno,  
per continuos XL. dies celebrari debebant.  
Ceterum post liberatam e Turcarum feruitate  
Hungariam, *Carolus VI.* imperator noua  
apud nos tribunalia, certaque eis habendis  
et tempora, et loca defixit.

## §. XVI.

### *Rei literariae in Hungaria fata.*

Si quid olim in rei politicae, oeconomiae,  
ac iustitiae administratione apud nos pecca-  
tum fuit, id profecto e literarum, bonarum-  
que artium neglectu profluxit, quo quidem  
aliquanto diutius, quam aliae Europae gen-  
tes laborauimus. Neque tamen idecirco quis  
existimet, maiores nostros omnibus omnino  
literarum condiscendarum adminiculis desti-  
tutos vixisse: aderant haec, et pro veteris  
aevi ratione, sat copiose; verum continua  
illa bella, quibus Hungaria in prima regum  
periodo conflictata, ac interdum pene euer-  
sa fuit, adolescentes iam domi musas non  
raro sedibus suis eiecere; iuuentutemque  
Hungaricam a literarum studiis ad arma trans-  
tulere. Ut adeo noua saepius iaci oportue-  
rit rei literariae fundamenta, quin eadem tot  
inter procellas, atque discrimina ad optatum  
spicem educi potuerint. Nostrum igitur erit,  
literarum olim in Hungaria fata paucis hic  
loci explicare. Diuus *Stephanus* monarchiae

Hungaricae conditor, quem constat, non modo grammaticae Latinae praeceptis Strigoniensi in ciuitate puerum adhuc egregie imbutum (*a*), verum aliis etiam scientiis, atque disciplinis optime fuisse instructum, provide sapienterque peruidit, cum ad regni felicitatem, stabilitatemque procurandam; tum vero ad religionis sacrosanctae incrementum, summe necessaria esse literarum praefidia. Quare postquam sedem suam ad Albensem ciuitatem transtulit, primas inter curas, gymnasium illic instituit, acceditis e vicina Germania professoribus: qui quidem eo successu literas ibi Hungaricae iuuentuti tradiderunt, ut, viuente adhuc sancto rege, Alba-regalense gymnasium in regno prae ceteris celebre euaserit, indeque ad alias per Hungariam scholas magistri accenserentur (*b*). Primae igitur in Hungaria erant scholae Albenses, publica D. Stephani regis autoritate,

(*a*) Carthuitius in vita S. Stephani cap. I. *Strigoniensis in oppido, nativitatis exordium habuit, S. Stephanus, et puer adhuc scientia grammaticae artis ad plene imbutus est.* Editionis Prayanae pag. 123.

(*b*) In vita S. Gerardi, quam monachus quidam O. S. B. quinquaginta circiter ab obitu illius annis conscripsit. Arnoldus autem Wion adnotationibus illustratam edidit, cap. XII. haec leguntur: *misi ergo episcopus Gerardus fratrem Maurum ad salvandum regem S. Stephanum, praecipiens ei, ut etiam ingrediens scholas, quae tunc in Alba regale erant famosae, accenseret doctorem scholarum.* Apud Bollandistas ad diem XXIV. Semptembbris.

ac munificentia fundatae. Episcopi , quos neo-erectis ecclesiis tum admouerat diuus rex ; cum ex eiusdem voluntate , idoneos ad curam animarum viros parare , parochiisque dare tenerentur (*a*) , singuli suis in ciuitatis scholas instituere cogeabantur , in quibus iuuentus patria in doctrina Christiana , grammaticisque disciplinis erudiretur : vnde idonei adolescentes deligi , sacrisque ordinibus possent initiari. Etsi autem de collocatis per primos Hungariae praefules scholis dubitari nequeat , nihil tamen de singulorum ad promouendam rem literariam studio memoriae proditum accepimus. At de condito per S. *Gerardum* episcopum , et martyrem Tsanadini gymnasio , deque laetissimis illius successibus , luculenta habemus eiusdem fere aetatis testimonia (*b*) : quae nos , ad maiorem fidem conciliandam , ipsius autoris verbis referemus.

„ Quadam die , inquit , vene-  
 „ runt triginta viri neophiti ad episcopum ,  
 „ petentes , vt tolleret filios eorum , ac li-  
 „ teris erudiret : quos benigne suscipiens  
 „ sub *Waltero* constituit , dans eis vnam do-  
 „ mum ad hoc aptam , vt eos scientiis gram-  
 „ maticae , et musicae informaret : qui in  
 „ breui in ipsis artibus non mediocriter pro-  
 „ fecerunt : Quo viso : nobiles , et magna-  
 „ tes filios suos tradebant praedicto *Waltero*

(*a*) S. Stephani deeret. lib. II. cap. XXXIV. *Vestimenta corporalia , et cooperatoria rex prouideat , presbyterum , et libros episcopus.*

(*b*) Idem autor vitae S. Gerardi cap. citato,

„ instruendos , ad adipiscendum fructum  
 „ scientiae artis liberalis „. „ Episcopus au-  
 „ tem gerebat magnam sollicitudinem paupe-  
 „ rum , scholarium , monachorum , et ho-  
 „ spitum , ad cuius nutum ducebantur par-  
 „ uuli , et tradebantur ad scholas , in qui-  
 „ bus adeo sollicite informabantur ; vt no-  
 „ ctes pro diebus computarentur. Quum  
 „ vero scholares triginta primi in cantu ,  
 „ et lectura iam essent instructissimi , domi-  
 „ nus episcopus eos ad sacros ordines pro-  
 „ mouens , canonicos constituit. Mittebat  
 „ etiam nuncios vltra Danubium , et congre-  
 „ gabat scholares , quos sic congregatos  
 „ presbyteros ecclesiarum , et rectores in  
 „ parochiis faciebat „. Verum postquam  
 scholarium numerus adeo iam increuerat ,  
 vt tantae multititudini rite instituenda vnus  
 moderator *Walterus* nequaquam posset suffi-  
 cere , misit D. *Gerardus F. Maurum* Albam  
 regalem , vt e celebri tum ibi gymnasio ido-  
 neum magistrum aliquem Tsanadinum addu-  
 ceret. „ Qui veniens Albam , peracto  
 „ apud regem negotio , intravit scholas , vbi  
 „ erat quidam Teutonicus nomine *Henricus* ,  
 „ qui erat puerorum vicemagister , quem  
 „ cum allocutus fuisset , et praebuisset ille  
 „ assensum , continuo surgens , acceptis libris  
 „ suis , venit cum eo ad episcopum : suscepit  
 „ autem gratanter illum episcopus , et con-  
 „ stituit eum principem lectorum scholari-  
 „ bus „. Haec tenus D. *Gerardi* biographus : ex  
 quo singularem sancti huius episcopi de insti-  
 tuenda iuuentute Hungarica curam , et sollici-

tudinem, scholae Tsanadiensis frequentiam, ac mirum sane iuuenum in discendo ardorem satis, superque colligimus, vnde fortasse de ceterarum episcopaliu[m] scholarum successu arbitrium ferri potest. Benedictini pariter suis in coenobiis pueros erudiebant, quo sic perpetua haberent tyronum pro ordine suo supplementa. Quin ipsae etiam ciuitates regiae suos aluere grammatices magistros, a quibus iuuentus legere, scribereque addisce- ret. Fatendum quidem est, eius aetatis litteraturam omnem, praeter fidei doctrinam in Latinae grammaticae institutione, autorumque classicorum explanatione sitam fuisse: at quis id aut miretur magnopere, aut carpat? Nondum enim aeuo illo disciplinae omnes, quemadmodum hodie, suas in classes distributae tradebantur; cumque classici veteres: poetae, oratores, philosophi, historici, leges item ciuiles, et ecclesiasticae, ac varii denique variorum autorum manuscripti commentarii, in sola lingua Latina exstant, satis vtique fuit, grammaticae Latinae institutio- nem cum autorum classicorum interpretatio- ne coniunxisse: adolescentes quippe sermo- nis Latini cognitionem in scholis affecuti, proprio iam marte, opera, quae commemo- rauimus, legere poterant, atque intelligere. So- la scilicet tunc eruditioonis fundamenta iacie- bantur in scholis, idque non in Hungaria so- lum, verum etiam apud alios Europae popu- los. Graeci pariter idiomatis usum aliquem fuisse apud nos indicio est diploma S. Stephanii monialibus de valle Wesprimiensi Graece

1109. datum, quod ipsum A. 1109. Simon episcopus Quinque-ecclesiarum iussu *Colomanni* regis Latine reddidit (*a*). Praeterea anonymous *Belae* regis notarius in praefatione ad historiam de VII. primis Hungarorum ducibus differte meminit, se in scholis *Daretum Phrygium*, aliosque belli Troiani scriptores Graecos, a magistris suis explicatos audiuisse (*b*). Centerum rei literariae in scholis Hungaricis successus vniuersim ab optimorum magistrorum delectu, a discipulorum numero, et discendi studio, ab amica denique misis pace, et tranquillitate reipublicae pendebat. Idoneos magistros non semper domi in promptu fuisse, magnisque impendiis editionibus exteris acciri debuisse, extra controuerfiam est. Neque discipulorum magnus semper aut numerus, aut ardor fuit, multique ex illis, quorum maxime intererat literarum cognitione imbui, scholas aspernabantur. Illustriore magnatum loco nati, malebant filios suos in armis; quam in scientiis exerceri, siue quod ipsi literas parui facerent, siue quod unica cum fuerit ad honores, opesque eluctandi per

(*a*) Diploma hoc eruditis notis a Ioanne Bapt. Szegedi illustratum videri potest in libello, cui titulus: *Affertor libertatis Hungaricae*. pag. 117.

(*b*) Vide Anonymi Historiam Hungaricam de VII. primis ducibus Hungariae inter scriptores rerum Hung. primo loco positam, ac seorsim etiam Cassoviae editam A. 1747.

per arma via. Quapropter nulli iam mirum videbitur, posteriore etiam *Mathiae* Coruini, literarum, et literatorum mecaenatis aeuo, nonnullos legendi, scribendique rudes ad praecipuas in regno dignitates fuisse admotos. Quo in numero fuere seculo XV. *Stephanus* de Báthor iudex curiae, et Wayouda Transsiluaniae, *Ladislaus* de Guth agazonium, et *Ladislaus* de Rozgony cubiculariorum regalium magistri; e praecipiis omnes orti dominibus, quorum nemo vel nomen suum subscribere nouerat (*a*). Potissima igitur adolescentum scholas olim adeuntium pars e pauperioribus, aut certe illis, qui ad ecclesiasticum ordinem destinati erant, constabat. Quamquam et tempora interdum rei literariae perquam iniqua fuere, florescentes iam sub D. *Stephano* musas Hungaricas coorta mox ab eius obitu tempesta prope enecuit. Primum enim contendentibus de corona *Petro* et *Samuele* *Aba* regibus, desaeuiénte vbique armorum strepitu, musas conticescere oportuit. Praeterea cum *Andrea I.* rege A. 1046. so-<sup>1046.</sup> lium adeunte, plebs Hungarica *Vathia* duce, ad gentilismum relapsa fuisset, eo feritatis, atque audaciae processit, vt firmiter apud se constituerit, non ante ab armis discedere, quam euersa, eliminataque penitus religione

(*a*) Vide tabulas concordiae inter Vladislauum II. Hungariae regem, ac Fridericum III. caesarem initas ac A. 1491. die VII. Nonembry signatas, in auctario diplom, ad Vrsinum Velium pag. 260,

Christianæ (a). Quod consilium, sane quam detestandum, vt vno quasi impetu effectum daret, quotquot reperiri poterant, episcopos, quos inter *Gerardus Tsanadiensis* fuit, canonicos item, presbyteros, clericos, monachos, ac innumerabilem denique laicorum Christianorum multitudinem barbarum in modum neci dedit: quo tempore professoribus non minus, quam discipulis profligatis, scholas pene omnes sublatas fuisse dubitari nequit. Atque hinc tanta breui enata fuit idoneorum ecclesiasticorum in Hungaria penuria, vt aut rudes, atque idiotas domi conquirere (b), aut aduenas, et vagabundos absque delectu suscipere (c), aut, cum hi deerant, viros coniugio iam illigatos, si tamen Latinae linguae periti erant, ad sacros ordines promouere, ac parochiis praeficere necesse fuerit (d); ne populus Christianus, qualibuscumque demum, pastoribus diu carere eogeretur. Quin, quod amplius mirandum, non pauci coniugati ad canonicorum collegia assumti (e), atque etiam episcopali dignita-

(a) Chronicon M. Turotzii cap. XXXIX. XL. et XLII.

(b) Vide synodum a Laurentio archiepiscopo Strigoni. A. IIII celebratam cap. VI. apud Péterfi concil. Hung. Tom. I. pag. 57.

(c) S. Ladislai decret. Lib. I. cap. XVII. Colomanni decret. Lib. I. cap. III. citatae synodi cap. XVIII. et XIX.

(d) S. Ladislai decret. lib. I. cap. III. Colomanni decret. lib. II. cap. IX. et X. cit. synodi cap. XXXI.

(e) Cit. synodi cap. XXVIII.

te exornati ad ecclesiarum regimen fuere admoti (a). Huic profecto epochae suam debent originem vſitata aliquamdiu ea aetate apud nos sacerdotum connubia. Rex *Colomannus*, qui a libros voluendi affiduitate, *könyves Kálmán*, siue *librifer*, aut librorum amans *Colomannus* audiit, quemque constat, et insigni religionis studio, et sacris non minus, quam profanis scientiis fuisse conspicuum, quemadmodum toto pectore ad excollendum clerum Hungaricum incubuit (b); ita etiam iacentes diu literas erexit censendus est. In utroque hoc sane quam utili opere, quam praeclarum in *Laurentio Strigonienſi* archiepiscopo adiutorem nactus fuerit, ex synodi per eum A. 1112 celebratae decretis 1112. fatis abunde licet colligere (c). Ex eo igitur tempore iterum literae colli coepere; neque tamen vñquam ad optatum florem poterant peruenire. Rudis ille, et scaber Latinus stilus, qui seculo XII. et XIII. in Hungaria paſſim obtinebat, argumento est, neque alias disciplinas apud nos ita ut oportet cultas fuisse. Certe si quis *anonymi* Belae III. regis notarii, aut *Simonis Kezae* clerici

(a) Ibidem cap. XI. et XXXIII.

(b) Patet id ex Colomanni decretorum libris tribus; nominativi lib. I. cap. III. et LXVII. lib. II. cap. IX. X. et XII.

(c) Vide synodi Strigonienſis decretum ſpeciatim cap. V. quo praecipitur, ut canonici, et capellani litterarie, seu Latine loquuntur. Item cap. VI. XVIII. XIX. et XXXII.

sub *Ladislao IV.* Cumano scribentis (*a*) historiam legerit, in eam cogitationem veniet, eius aetatis scriptores in condiscendo Romano idiomate, non tam autoribus classicis, qui forte domi deerant; quam vulgata Latina *scriptura sacra* vsos fuisse, adeo huius phrasibus vtuntur familiariter. Ceterum vt bella domestica saepius apud nos non sine totius reipublicae conuulsione enata non commemo-  
**1241.** rem; feralis illa Tartarorum A. 1241 in Hungariam irruptio, per quam ciuitates pleraque solo aequatae, tabularia et publica, et priuata cum librorum supellectile exusta sunt, scholas ipsas communi illa patriae totius rui-  
na confepeliuit. Quare noua iterum per *Belam IV.* nouum Hungariae conditorem iacienda erant rei literariae fundamenta: ad quam promouendam non parum contulere haud ita pridem introducti SS. *Dominici* et *Francisci* sodales. At enim lentius, quam bonorum ferebant vota, progrediebantur omnia. Nam vt literae maximis etiam coeptae conatibus efflorescant, cum aliis adminiculis, tum vero pacis otio, et diuturniore opus est aeta-  
te. Antistites Hungariae nil profecto industriae a se desiderari passi sunt: vt enim cum vir-  
tute, tum vero omni eruditionis laude pree-

(*a*) Manuscriptum Kezae diu iam ab eruditis deside-  
ratum, nunc deum in luce in editum, notisque  
illustratum debemus curis cl. viri Alexii Horányi  
e scholis piis AA. LL. et Philosophiae doctoris,  
Histor. prof. ac plurium societatum eruditarum  
membrorum honorarii,

ditos in ecclesia Hungarica gubernanda sibi pararent successores, per quos subinde ad alios bonarum artium studium propagaretur; quos rarioribus ingenii dotibus conspicuos habuere adolescentes, eos ad exteris academias, puta: Bononiam, Romam, ac etiam Parisis, non sine magno sumtu dimittebant; vbi postquam praestantissimis vii magistris, insignem affectu sunt doctrinam, sacra laurea exornati, domum reuertebantur; qui quoniam ad munia omnia, p[re]e aliis domi educatis, idonei videbantur, rapido fortunae cursu prima in regno sacerdotia obtinuere. Huius generis censendi sunt omnes illi, qui in clausulis diplomatum aut sacrae paginae, aut decretorum magistri appellantur. Neque enim villa tum adhuc domi erat scientiarum academia, in qua literarii gradus distribuerentur: decus istud primus omnium *Ludouicus M.* excolendae gentis Hungaricae studiosissimus, Hungariae intulit, collocata *Quinque-ecclesiis* academia; ea haud dubie de causa: quod vrbs haec et amplissima erat, et medio, Hungariam inter et ceteras ad S. coronam spectantes prouincias, situ posita. Opus hoc ad postremos et vitae, et regni *Ludouici M.* annos reiiciendum videtur, cum *Urbanus VI.* pontifex in breui A. 1382. ca- 1382, lendis Septembbris edito (*a*), quo lycaeо

---

(*a*) In Bullario priuilegiorum, ac diplomatum Romanorum pontificum opera, et studio Caroli Cœquelines. edit. Romae A. 1741. Tomo III. part. II. pag. 367. Ceterum error ibi cubat in A,

Quinque-ecclesiensi propria academiis, et generalibus studiis priuilegia elargitur, *nuper* sibi, vt ait, *Ludouici* regis petitionem propositam meminerit. Non erit forte alienum ab instituto nostro, breue hoc integrum *huc transferre*, sic autem habet:

*Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei  
ad perpetuam memoriam.*

„ In supremae dignitatis apostolicae specula,  
 „ licet immeriti, disponente domino, constitu-  
 „ ti, ad vniuersas fidelium regiones, eorum  
 „ profectus, et commoda, tamquam vniuersalis  
 „ gregis dominici pastor, commissae nobis spe-  
 „ culationis aciem, quanto nobis ex alto per-  
 „ mittitur, extendentes fidelibus ipsis, ad quae-  
 „ renda literarum studia, per quae diuini no-  
 „ minis, et fidei catholicae cultus proten-  
 „ ditur, iustitia colitur; tam publica, quam  
 „ priuata res geritur vtiliter, omnisque pro-  
 „ speritas humanae conditionis augetur, li-  
 „ benter fauores gratosos impendimus, et  
 „ opportunae commoditatis auxilia liberali-  
 „ ter impartimur. Cum itaque sicut *nuper* pro  
 „ parte carissimi in Christo filii nostri *Ludo-*  
 „ *uici* regis Hungariae illustris, fuit propo-  
 „ situm in confistorio coram nobis, ipse rex  
 „ non solum ad vtilitatem, et prosperitatem

1383. Cum enim *Vrbanus VI.* A. 1378 die 9.  
 aprilis catbedram Petri concenterit, A. 1382 ca-  
 lendis Septembbris annus erat pontificatus V. quo  
 etiam anno die XI. Septembbris *Ludouicus M.*  
 obierat.

„ huius reipublicae , et incolarum regni sui  
„ Hungariae ; sed etiam aliarum partium vi-  
„ cinarum laudabiliter intendens , in ciuitate  
„ Quinque-ecclesiensi in regno praedicto con-  
„ fistente , tamquam insigniori , et magis ad  
„ hoc accommoda , et idonea , plurimum desi-  
„ deret fieri , et ordinari per sedem aposto-  
„ licam studium generale , in qualibet licita  
„ facultate , vt ibidem fides ipsa dilatetur ,  
„ erudiantur simplices , aequitas seruetur iu-  
„ dicii , exsistat ratio , et intellectus hominis  
„ augeatur . Nos praemissa , ac etiam exi-  
„ miam fidei puritatem , quam tam ipse rex ,  
„ et progenitores sui , quam Hungariae re-  
„ gni incolae , ad sanctam Romanam eccle-  
„ siam gessisse ; prout ipse rex , et incolae  
„ gerere dignoscuntur , attente consideran-  
„ tes , feruenti desiderio ducimur , quod re-  
„ gnum ipsum scientiarum muneribus amplie-  
„ tur , fiatque literarum feracitate secundum  
„ vt viros producat consilii maturitate con-  
„ spicuos , virtutum splendore ornatos ac di-  
„ uersarum facultatum dogmatibus eruditos ,  
„ sitque illis scientiarum fons originis , de  
„ cuius plenitudine hauriant vniuersi , litera-  
„ rum cupientes imbui documentis . His  
„ igitur omnibus , et praesertim idoneitate  
„ dictae ciuitatis , quae ad multiplicanda do-  
„ ctrinae semina , ac germina salutaria produ-  
„ cenda magis accommoda , et idonea inter  
„ alias ciuitates dicti regni fore dicitur , dili-  
„ genti examinatione pensantes , non solum  
„ ad ipsius regni , et ciuitatis ; sed etiam  
„ regnorum circumiacentium incolarum com-

„ modum, et profectum paternis affectibus  
„ anhelantes, dicti regis in hac parte sup-  
„ plicationibus inclinati, de fratum nostro-  
rum consilio statuimus, ac etiam ordina-  
mus, vt in dicta ciuitate *Quinque-eccle-*  
*sieni* de cetero sit *studium generale*, ibi-  
que perpetuis temporibus vigeat tam *in*  
*iuris canonici*, et *civilis*, quam *in alia qua-*  
*libet licita*, *praeter*, quam *in Theologica*  
*facultate*, et quod legentes, et studentes  
ibidem omnibus priuilegiis, libertatibus,  
et immunitatibus concessis doctoribus le-  
gentibus, et studentibus commorantibus  
*in studio generali* gaudeant, et vtantur.  
Quodque illi, qui processu temporis bra-  
uium fuerint in illa facultate, in qua stu-  
duerint, asscuti, sibique docendi licentiam,  
vt alios erudire valeant, ac doctoratus,  
seu magisterii honorem petierint elargiri,  
per doctores, seu doctorem, ac magistros,  
seu magistrum illius facultatis, in qua  
examinatio erit facienda, *episcopo Quinque-*  
*ecclesiensi*, qui pro tempore fuerit, vel  
ecclesia *Quinque-ecclesiensi* pastore caren-  
te, vicario, seu officiali dilectorum filio-  
rum capituli ipsius ecclesiae praesententur.  
Idem quoque *episcopus*, aut *vicarius*, seu  
officialis doctoribus, et magistris, in ea-  
dem facultate actu inibi regentibus conuo-  
catis, illos in iis, quae circa promouen-  
dos ad doctoratus, seu magisterii hono-  
rem requiruntur, per se, vel per alium,  
iuxta modum, et consuetudinem, qui su-  
per talibus in generalibus studiis obser-

„ uantur , examinare studeant diligenter ,  
„ eisque , si ad hoc sufficientes , et idonei re-  
„ perti fuerint , huiusmodi *licentiam tribuat* ,  
„ et *doctoratus* , seu *magisterii conferat hono-*  
„ *rem*. Illi vero , qui in eodem studio dictae  
„ ciuitatis examinati , et approbati fuerint ,  
„ et docendi licentiam , et honorem huius-  
„ modi obtainuerint , vt est dictum , ex tunc  
„ absque examinatione , et approbatione alia  
„ legendi , et docendi tam in ciuitate prae-  
„ dicta , quam singulis aliis generalibus stu-  
„ diis , in quibus voluerint , legere , docere ,  
„ statutis , et consuetudinibus quibuscumque  
„ contrariis apostolica , vel quacumque alia  
„ firmitate vallatis nequaquam obstantibus ,  
„ plenam , et liberam habeant facultatem .  
„ *Volumus autem* , quod *magistris* , et *doctori-*  
„ *bus* , qui in *buiusmodi legent studio* , per  
„ *regem Hungariae pro tempore exsistentem* ,  
„ *in competentibus stipendiis prouideatur* ,  
„ *alioquin praesentes literae nullius sint robo-*  
„ *ris* , *vel momenti* . Nulli ergo etc. Datum  
„ Viterpii calendis Septembris , pontificatus  
„ nostri anno quinto „. E breui hoc ponti-  
ficio discimus , praeter theologicas discipli-  
nas , ius canonicum , et ciuile , aliarum quo-  
que facultatum , et scientiarum , quas in aca-  
demiis tradere licebat , cathedras Quinque  
ecclesiis fuisse erectas , magistrisque illic do-  
centibus , *Ludouicum regem stipendia ex*  
*aerario suo decreuisse* ; denique cancellarii ,  
cuius est literarios conferre gradus , dignita-  
tem , et totam academiae curam loci episco-  
pis , per *Urbanum VI.* fuisse attributam .

Munere hoc primus omnium functus fuit *Valentinus* S. R. E. tit. S. Sabinae presbyter cardinalis, decretorum doctor, Quinque-ecclesiarum id temporis episcopus: qui cum vi-

1408. tam ad annum usque 1408. produxerit (*a*), ut erat ipse eruditionis laude conspicuus, quidquid ad creditae sibi academie incrementum faciebat, quam cumulatissime egisse censendus est. Consimilem curam academie huic haud dubie impenderit *Ioannes Cesinge*

1459. A. 1459. per *Mathiam Coruimum* regem ad Quinque ecclesiensem cathedram promotus, ac sub *Iani Pannonii* nomine celebratus (*b*). Perdurauit porro prima haec apud Hungaros academia ad cladem usque Mohatsiensem (*c*). *Sigismundus* imperator, et rex, socii sui in constabilienda re literaria exemplum imitatus, academiam alteram in ipsa regni Hungarici

1388. metropoli Budae A. 1388. collocauit, quam *Bonifacius IX.* anno insequente ratam habuit, constituto perpetuo illius cancellario veteris Budae ad SS. Petrum, et Paulum apostolos praeposito (*d*). Etsi porro vtriusque acade-

(*a*) Vide specimen hierarchiae Hung. Cl. Pray part. I. pag. 248. Vita illius habes in purpura Pannonica Samuelis Timon pag. 41. edit. Cassouiensis.

(*b*) De hoc consule doctissimi viri Stephani Kapri- nai Hung. diplomaticam Part. II. pag. 372. et 391.

(*c*) Vide Cl. Pauli Wallaszky praeclarum sane tentamen Historiae literarum sub *Mathia Coruino* edit. Lipsiae 1769. sectione XI. pag. 51.

(*d*) Apud Belium notit. Hung. nouae tom. III. in historia urbis Budensis. Item Annal. reg. Hung. part. II. pag. 186.

miae huius, nec non ceterorum per Hungariam lycaeorum episcopatum progressui, et splendori non leuiter obstruerint bella, quae inde ab A. 1437, quo Sigismundus eximus 1437. literarum cultor obiit, partim contra Ottomannos, partim contra haerentes in regno Bohemos gesta sunt: perseuerasse nihilominus in Hungaria scholas argumento est, *Michaelis Szilágyi de Horogszeg decretum*, in electione *Mathiae de Hunyad* A. 1458. 1458. XXIV. Ianuarii editum. Cum enim ordines regni non aliter electioni huic assentiri vellet, nisi *Szilágyius de praecipuis gentis totius prerogatiis, et libertatibus, noui regis nomine, cautionem daret; cetera inter articulo X. diserte sancitum fuit, ut ad instar sacerdotum, atque nobilium, a decimis, et teloniis, prout vetus regni consuetudo requirit, scholares pariter sint immunes (a).* Quae lex eo temporis articulo, in scholarium fauorem lata, praeclaram vna regni ordinum de re literaria prouehenda sollicitudinem declarat: eadem haec priuilegia hominum apud nos scholares obtinent. Quamquam non erat, cur Hungari tum a *Mathia* rege tantopere misis metuerent; is quippe, ut erat inde a pueritia literis deditus, iisdemque ultra quam credi possit exultus (b)

(a) In decreto Michaelis Szilágyi reg. Hung. gubernatoris in cod. iuris patrii.

(b) De *Mathiae Coruini instituzione, et doctrina copiose, et erudite differit laudatus Kaprinai Hung. diplom. part. I. dissert. I. cap. II. Item*

quanto ad excolendam scientiis, bonisque artibus gentem suam ferretur studio, paulo post patefecit. Cum enim aliquot annorum vsu comperisset, geminas illas *Quinque-ecclesiensem* scilicet, ac *Budensem* academias non ita, vt oportuisset, florere, *Paulum* II. pontificem pro noua iterum academia arbitrio suo condenda interpellauit: is optimis *Mathiae* regis votis quam cumulatissime subscripsit,

**1465.** editoque A. 1465. XIV. calendas Iunii breui, non modo potestatem fecit studii generalis, vbi libuerit, erigendi; verum etiam omnia illa, quibus Bononiense instructum erat, priuilegia, et facultates eidem addixit (*a*).

*Ioannes Vitæzius Strigoniensis*, cuius consilio, et nutu tunc adhuc gerebantur omnia, nouae academiae condendae prouinciam vltro in se suscepit, immensas, quas *Mathiae* clientis olim sui gratia collegerat, opes in patriæ utilitatem profusurus. *Strigonium* primum; dein vero *Pofonium* deligi placuit: hic vbi pone praepositi aedes, per ampla domus comparata, et tam professorum, quam discipulorum vſibus accomodata fuisset, idonei item scientiarum magistri aliunde acciti

**1467.** aduenissent, A. 1467. die XX. Iunii hora post meridiem quinta, noua haec *academia*

Cl. Wallaszky in citato tentamine histor. literarum sectione L. §. I.

(*a*) Breue hoc correctum edidit doct. Kaprinai Hung. diplom. part. I. diplom. LXXI. Item F. X. Schier in memoria academiae Istropolitanae pag. 7.

*Istropolitana* dicta solenni ritu inaugurata fuit. *Ioannes* Vitézius fundator retenta sibi cancellarii dignitate, *Georgium* de Schomberg praepositum Posoniensem vices suas obitum procancellarium nominauit. Hic munere suo adeo praeclare functus est, ut *Mathias* rex eius merita praemiaturus, illi una, et successoribus praepositis Posoniensibus, *ius mitrae, baculi, et annuli* A. 1469. a *Paulo II.* 1469. pontifice impetraverit (*a*). Hactenus feliciter omnia: at postquam *Ioannes* Vitézius gratia, et autoritate apud regem pollere desit, multisque fractus calamitatibus A. 1472. 1472. vitam finiit, cessantibus stipendiis, professoribus, conniuente rege, dilapsis, academia *Istropolitana* suo cum fundatore tumulo illata fuit (*b*). Neque mirum est *Mathiam* regem nullam conseruandae huic academie, ut facile poterat, curam impendisse: nam ut erat implacabilis, ac vindictae ultra modum indulgens, inuisi sibi hominis memoriam cum academia ipsa abolitam voluerit. Ne tamen de operis huius interitu iure quis posset conqueri, rex *Mathias* nobilis aliquid molitus fuit, cum facultatum, et scientiarum omnium academiam cunctis instructam adminiculis, atque praesidiis, Budae in arcensi ciuitate

(*a*) Apud Péterfi conciliorum Hung. tom. II. pag. 16.

(*b*) Copiosius haec pertractat laudatus F. X. Schier in citata memoria academie *Istropolitanae*. Vienae A. 1774. edita, vbi etiam doctorum tum lebrium nomina, actaque illustrata leges.

erexit. Donec nouae aedes academicae aſſurgerent, interea in conuentu FF. Praedicatorum ad S. Nicolaum habendis preelectio- nibus locus assignatus fuit. Sacras ſcientias primum PP. Dominicani, tum aliorum etiam ordinum religiosi, ac ecclesiastici, qui do-ctrinæ laude excellebant, tradidere; profa- nae disciplinae fere a ſecularibus magistris preelegebantur, primi academiae huius pro- fefſores e Germaniae, Italiaeque academiis acciti fuere, viri ſane preeftantifſimi: qui- bus omnibus *Mathias rex liberaliter annua preebebat ſtipendia*, quin etiam diſcipulis de- victu, et amictu proſpiciebat: id quod me- rito deprædicat F. *Petrus Schuartz*, ſeu *Niger* in epiftola nuncupatoria ad regem *Mathiam* (a). Commodo academiae huius erecta fuit typographia, euocato Venetiis

1472. A. 1472. Andrea Hess, e cuius praelo an- no inſequente prodiit chronicon Hunga- riae (b), acceſſit ſubinde locupletissima illa bibliotheca, multorum annorum cura, et la- bore, nec leui ſumtu collecta, quae deinceps omnium linguis, calamisque celebrata fuit (c). Denique noua haec Budensis aca-

(a) Praefixa eſt operi *Clypeo Thomistarum excuso* Venetiis A. 1481.

(b) Chronicon hoc abſolutum fuit A. 1473. in vi- gilia pentecostes, eſt autem in folio minore, aſſer- uaturque eius exemplar in bibliotheca palatina Vindobonensi.

(c) De hac post alios preeclare eſt meritus F. X. Schier in diſſertatione de regiae Budensis-biblio-

demia, quae circum A. 1477. coepit, tam 1477. firmas Mathia rege imperante egit radices, vt etiam post eius obitum, sub Vladislao et Ludouico II. florere non desierit (*a*); porro etiam aetatem latura, nisi Ottomanni occupata Buda, ac euastata subin potiore Hungariae parte, professoribus vna atque discipulis profligatis, scholis euersis, omnia literarum adminicula e regno eliminassent. Tristissimam rei literariae ruinam paulo post sentire coepit Hungaria, ac imprimis ecclesia Catholica. Cum enim longa annorum serie nullae essent scholae, nulli literarum magistri, factum imprimis, vt potentiores viri filios, aut clientes suos ad Germaniae academias, reformationem iam amplexas, studiorum causa mittere cogerentur: vnde insigne quidem doctrinam, at vna contraria auitae fidei Catholicae dogmata in patriam illi retulere. Demortuis, aut occisis per Turcas parochis, cum nemo esset, qui succederet, acatholici ministri desertas a pastoribus stationes subiere, rudemque populum, placitis suis facile imbutum, ad noua castra transtulere. Nemo diu erat, qui malo huic remedium posset adferre. Episcopatus complures sat longo tempore vacabant: nonnulli

thecae ortu, lapsu, interitu, et reliquiis edit.  
Viennae A. 1766.

(*a*) De academia Budensi, illius professoribus, doctribus, et societatibus eruditis, omnium diligentissime scripsit Cl. Wallaszky in laudato tentamine Historiae literarum sub Mathia Coruino rege.

episcopi solos dioecesium suarum titulos gerabant; bonis quippe in communi totius regni perturbatione spoliati, ab ecclesiis suis extorres, alibi degebant, sumtibusque ad erigendas scholas necessariis destituebantur. Ex aduerso acatholici e vicina Saxonia in Hungariam illapsi, continuo in priuatis nobilium aedibus literas explanare coepere, vsquedum aucto mecaenatum numero, plurima vbiuis gymnasia erexere: iidem primi rem typographicam in regnum reduxere, editisque libris scholasticis literarum studia apud suos promouere (*a*). Atque hae fere sunt causae praecipuae, cur religio Catholica post cladem Mohatsianam adeo celeriter in Hungaria diminuta fuerit. Optime id per-

1548. spexerunt regni ordines in comitiis A. 1548.

Posonii celebratis, ac ideo communi consensu decretum fuit, vt *desertorum monasteriorum, claustrorum, et capitulorum bona, partim ad alendos doctos parochos, et verbi Dei sinceros praedicatores, qui populum in veteri orthodoxa vera, Catholicaque fide, et religione conseruare, et, si qui ab ea desciuerunt in hoc regno, ad eam reducere studeant; partim vero ad instaurationem, et erectionem scholarum particularium, earumdemque magistrorum, qui docti, et probi sint, intentionem, ac denique ad bonae spei, et indolis inuenenum*

(*a*) Typographias has recenset Cl. Wallaszky in laudato tentamine pag. 96. nota (*a*).

iuuenum, et adolescentum, ut bonis literis operam dare possint, promotionem, et auxilium applicentur, et conuertantur, quo tali ratione boni, et docti viri alantur, et nutriantur, ad haec autem praemissa rite atque ordine exequenda, prouentusque praedictos in praemissum usum fideliter conuertendos, quilibet praelatus sub sua dioecesi curam gerere teneatur, ac, ubi opus erit, maiestati regiae de administratione buiusmodi rationem redditat (a). Sanctissimae huic constitutioni paucis annis, quam praesens necessitas poscebat, satisfieri coepit. Multa quippe desertarum ecclesiarum bona per vim occupata idmodi homines tenebant, quos eo rerum articulo in possessione turbare, ne *Ferdinandus* quidem tutum, securumque putabat: alia ex his praefisci erant manibus, quorum redditus infausta illa aetate in praesidiorum munitionem, militemque impendi oportuit. Quamquam ubi reformationis studium plerasque Germaniae academias peruersisset, non adeo facile fuit, Catholicae religioni addictos accersere magistros. Primus omnium *Nicolaus Olabus* Strigoniensis archiepiscopus euocatis aliquot de societate Iesu patribus, Tyrnauiae scholas aperuit A. 1559. verum, quod hae nullis certis dotatae erant redditibus: a morte autem Olahi plus simplici vice, ac longiore tempore, sedes Strigoniensis vacabat, lenius omnia progreedi necesse fuit, usque ad

---

(a) *Ferdinandi I. decret. XI. art. XII.*

1583. A. 1583. quo *Rudolphus II.* imperator scho-  
larum , magistrorumque perpetuitati pro-  
specturus , vacantem tum praeposituram Tu-  
rotziensem societati Iesu contulit. Ex eo  
tempore mansuetiores literae cum fidei , mo-  
rumque doctrina *Turotzii* primum , mox *Sel-  
lyae*; ac denique Tyrnaniae magno cum di-  
scendentium fructu explanatae sunt. Crescenti  
iam et discipulorum numero et laetissimi suc-  
cessus laude gymnasio , *Petrus Pazmannus S.  
R. E. cardinalis*, archiepiscopus Strigonien-  
sis , theologicas , philosophicasque disciplinas  
adiecit , perpetuo stipendio nouis professori-  
bus assignato , atque vna solita studiis gene-  
ralibus , seu vniuersitatibus priuilegia a *Fer-  
dinando II.* imperatore A. 1635. impetravit:  
quo etiam anno die XII. Maii noua haec aca-  
demia in frequenti nobilissimorum vtriusque  
ordinis virorum corona , per eminentissimum  
fundatorem inaugurata fuit , postquam a Bu-  
densis academiae Corninianae interitu nouem  
supra centum anni effluxissent. Accessit illi  
mox typographia Catholicarum omnium in  
Hungaria prima , magno cum ad literarum  
studia , tum ad religionem , pietatemque  
promouendam usui deseruitura. *Emericus  
Losy* , et *Georgius Lippai* Strigonenses ar-  
chiepiscopi eamdem iuridica facultate auxe-  
re: atque ex eo tempore affirmare non ve-  
remur , academiam Tyrnauensem seminarii  
instar fuisse , vnde deserta diu religiosorum  
domicilia alumnos: paroeciae animarum cura-  
tores: capitula canonicos ; ecclesiae antistiti-  
tes et virtute , et doctrina insignes : reges

nostri fideles administros: dicasteria, et tribunalia praefides, iudices, atque assessores, vniuersa denique patria patres longa anno-rum serie accipiebant. Optatus academiae Tyrnauiensis successus, et *Pazmanni* successo-res Strigonenses archiepiscopos, et ceteros per Hungariam antistites excitauit, ad gymnasia quamplurima sub cura PP. societa-tis Iesu suis in dioecesibus erigenda; hunc in finem venerandi illi viri opes omnes, quas longa parsimonia, difficillimus illis Hun-gariae temporibus collegerant, impendebant. Ut alios praeteream *Benedictus Késdi*, Agri-en-sium praesul, Cassouiene gymnasium a *Fer-dinando II.* fundatum, additis theologicarum, et philosophicarum preelectionum magistris, ad academiae dignitatem A. 1657. euexit. 1657.

*Georgius Szétsényi* Strigonensis archiepisco-pus praeter plura alia gymnasia, Budae, et Iaurini academias collocauit. Ne autem pau-periores nobiles, egestatis causa, a dimitten-dis ad scholas prolibus prohiberentur, anti-stitum munificentia, opportunis in locis id-modi contubernia erecta, fundataque sunt, in quibus egentiorum nobilium filii citra vil-lum parentum onus literis, bonisque mori-bus instituerentur. Quae, et plura alia, quae breuitatis causa omissimus, si quis at-tentius examinet; pronunciare non dubita-bit, vt religionem Catholicam, ita etiam literarum studia in Hungaria restituta, ac fel-i-citer propagata, potissimum praelatorum Hungariae liberalitati in acceptis esse refe-renda. Porro adminicula literarum in Hun-

garia non mediocriter aucta sunt, per introductos subinde clericos regulares, quos a piis scholis nuncupamus, qui cum ad instituti sui mentem, iuuentutem sibi creditam praecclare instituerent, plurima gymnasia moderanda accepere, quae si cum illis, quibus P. P. societatis Iesu praeerant, contendas, tam copiosa vbius erant literarum discendarum adiumenta, ut vix iam ciuitas, oppidumue celebrius scholis careret, non sine insigni et ciuium, et circumiacentis prouinciae commodo: id quod non de sola iam Hungaria, verum etiam Croatia, Sclauonia, et Transsiluania dictum esto. Solent nonnulli iusto acerbius conqueri: pessime diu apud nos actum fuisse cum literis, bonisque artibus; in cunis has semper vagiisse; aut certe nunquam e nutricum manibus excessisse; at, qui ita sentiunt, aetatis illius, qua parentes nostri vixere, rationem diligentius expendant.

**1718.** nonnisi A. 1718. respirare nobis licuit: a quo tempore liberius iam, numeroque frequentiore scholae adiri cooperunt. Verum Coruiniana Budensi, ceterisque olim in regno bibliothecis per Ottomannos disreptis, aut exustis, exigua profecto in Hungaria fuit librorum etiam necessariorum supellex: antistites tum primum ecclesiis suis redditi, squalorem, quem duorum prope seculorum seruitus Ottomannica induxerat, abstergere, aedesque Deo primum, tum sibi, suisque erigere sunt coacti, capitula, religiosae societates, ac priuati quique, a tam diuturnis

bellorum calamitatibus respirantes, suam quisque rem domesticam curare, ac in ordinem redigere sunt aggressi: publicum, priuatumque principis aerarium ad fundum usque exhaustum fuit: deerant itaque sumptus, quos seu publicarum, seu priuatarum bibliothecarum procuratio exposcebat; quem in finem quantis opus sit impensis, illi soli intelligunt, qui librorum supellectilem aere suo comparant; interea temporis Germani, Galli, Itali, Angli, ceterique cultiores Europae populi, diuturna, usisque amica domi pace usi, collectis multorum seculorum interuallo bibliothecis diuites, in excolendis scientiis progrediebantur, dum Hungari in conquirendis literarum adminiculis occuparentur. Fatione praeterea, an vitio factum, ut exterarum gentium idiomata nobis essent incognita, quo eorum opera intelligere, ac quid a singulis in quouis scientiarum genere iam praestitum sit, possemus cognoscere. Diu etiam, ne quid dissimulemus, exiguum erat literarum pretium; exigua literatorum aestimatio: plures aliae expeditiores erant ad honores, opesque viae, quam per politiorum literarum studia: non multos profecto numerare licuit mecaenates, qui eruditorum conatus adiuuissent; vt adeo plurimi mediis, adiumentisque destituti, ab iis, quae praeclarę cooperant, desistere cogerentur, non solo nempe ingenio, et industria scientiae, et artes excoluntur. Haec profecto minime exaggerata sunt, ac non modo apud Catholicos, verum etiam acatholicos impedimen-

to erant, quominus quoduis scientiae genus ita, vt apud exterorū, domi nostrae assureret: atque ea omnia, quae in rem literariam per illos praestita grati confitemur, apud nos etiam praestarentur. Neque tamen ita neglectae iacebant literae, vt non multi nostratium eruditis operibus inclarerint, quae etiam exterorum manibus cum fructu terantur, laudibusque celebrentur. Sed haec illis fortasse ignota sunt, qui cum ea, quae a popularibus suis praecclare scripta sunt, legere aspernantur, aut etiam edita esse ignorant, exteras solum merces demirantur, et aestimant. Sed de hoc satis. Iam *Carolo*

**1723.** VI. imperante, vt comitiorum, A. 1723. voto fieret satis (*a*), literis per Hungariam reformatis diligens opera nauari coepit: mansuetioribus imprimis scholis noua, atque utilior docendi, et discendi methodus praescripta: autores classici, poetae, oratores, et historici paulo copiosius explanati, plures denique, quam antea, scientiae explicatae sunt: verum omnium fauentissima fuere musis tempora *Aug. M. Thereseiae*, qua rerum potente; quod quadraginta annis ab omni hostium insultu immunis, optata pace fruebatur Hungaria, vix dici potest, quantum res literaria domi sit progressa: crescebant magnis et impendiis, et incrementis antistitutum, capitulorum, religiosorum domi-

(*a*) Caroli VI. decret. II. art. LXX. in cod. iuris patrii.

ciliorum, ac priuatorum bibliothecae, edebantur in quois fere literaturae genere opera sane praestantissima, scientiarum profellores non iam aliunde accersitos, sed suo marte concinnatos explanabant libros. Omnia ingenia, industriamque acuebat singularis *augustae* principis in literas fauor, ad quas altius in dies prouehendas nihil ab illa seu curae, et sollicitudinis, seu munificentiae praetermissum fuit: ut adeo pretium illud, quod hodie et literae, et literati habent, illi cumprimis debeatur. Rem porro literariam a capite excolere aggressa, academiam Tyrnauensem nouarum disciplinarum apud alias etiam gentes recentiore aeuo introduxit, cathedris, et saluberrimae artis, qua ad eum diem carebamus, facultate auxit, nouis legibus, et institutis instruxit, ac diplomatis roboravit die XIII. Maii A. 1772. 1772.  
 Quamquam autem vniuersitas haec et insigni magistrorum doctrina, et discipulorum profectu floreret, quia tamen *augusta*, suorum mater, cunctis regni Hungarici partibus, finibusque affatim prospectum voluit, mutato in melius subditorum commodum consilio; totam ut erat vniuersitatem suis cum magistris, et magistris A. 1777. ad regni medium *Budam* traduxit, ac in aedibus regiis collocauit; eodem commigravit nouis auctum redditibus florens diu Tyrnauiae nobilium iuuenum contubernium, et quam multorum annorum cura, nec leui sumtu PP. societatis Iesu collegerant, bibliotheca cum copioso Romanorum, et Hungaricorum humorum

eimelio , ac typographia. Postquam autem biennii , et amplius experimento didicit *augusta* mater cuncta Budae e voto progredi ,

1780. A. 1780. die XXV. Iunii, felicissimae olim coronationis suae anniuersario , solennem Budensis vniuersitatis inaugurationem haberi voluit : honorificum hoc , et ad posterorum memoriam immortale munus eiusdem nomine obiuit *comes Carolus Pálfi ab Erdöd AVGG.* a consiliis intimis , ac regni Hung. pro - cancellarius , in summa ordinum omnium eodem per literas senatus regii vniuersitatis in uitatorum frequentia , nouaque diplomata ad vniuersam imprimis rem Hungariae literariam , tum ad vniuersitatem ; ac denique nobilium academiam constabiliendam ab *augusta* principe data , genti Hungaricae resignauit ; quo tempore *Adamus e lib. baron. Patachich de Zajezda*, Colocensium archiepiscopus , insignis ord. S. Stephani regis apostolici magnae crucis eques, AVGG. a consiliis intimis, septemvir , ac senatus regii vniuersitatis Budensis praeses , totius gentis Hungaricae nomine eucharisticum sermonem habuit , exterorum non minus , quam domesticorum encomiis pro merito celebratum : eadem occasione vari moduli numismata distributa sunt , illius diei memoriam ad posteros tuitura. Praeter vniuersitatem Budensem omnium , quae cogitari possunt , disciplinarum magistris instructam , academiae , numero quinque , stabilitae sunt : *Tyrnauiensis* , *Cassouiensis* , *Iaurinensis* , *Zagrabieensis* , et *Varadinensis* ; plurima item maiora , et minora gymnasia : vniuersa porro

res literaria praestantissimorum in vtraque republica virorum curae, ac moderationi credita, sapientissimis legibus, et institutis communica (a), ac amplissimis denique redditibus stabilita est, vt de illius in Hungaria perpetuitate, ac incrementis nil iam dubitandum sit: id quod ex animo vouemus. Atque ex his, qua licuit breuitate explicatis, facile quisque varias literarum in Hungaria per septem, et amplius secula vicissitudines poterit intelligere.

### S. XVII.

#### *Vetus ratio rei militaris.*

¶t Hungari absque metu domi degerent, in promptu habuere vires, quae non modo pro communi regni salute, atque securitate excubarent; verum etiam vim externam a finibus propulsarent: id quod eo magis eis necessarium fuit, quia a populis lingua, moribusque a se diuersis vndique cingebantur, saepiusque lacefabantur; quare nullo non tempore in armis fuere Hungari, iuuentusque non alia fere in arte, quam in armorum tractatione inde a primis pueritiae annis exercebatur, vnam belli gloriam nobilissima

(a) Studiorum per Hungariam sistema qui nosse volet, adeat editum A. 1777. Vindobonaæ opus, cui titulus: *Ratio educationis, totiusque rei literariae per regnum Hungariae, et prouincias eidem adnexas.* Quod autoris insignem prudentiam, sapientiamque commendat.

haec gens ambiebat, bellisque crescebat, tumque solummodo solebat succumbere, cum diurnae pacis in otio, ab armorum vsu aliquamdiu desuetam, hostes aggrediebantur. Res porro militaris pro veteris aeui ratione, optime iam inde a D. Stephani temporibus apud Hungaros constituta fuit: id quod innumerae de hostibus victoriae, totque regna variis temporibus subacta satis, superque demonstrant. Duplex olim fuit militiae genus: *ordinarium* aliud; aliud *extraordinarium*; ad illud referendi imprimis sunt: *iobagiones castri*, qui, vt iam alibi diximus, regii castri terras cum militandi onere possidebant (a): tum vero *stipendiarii milites*, qui ex aerario regio soluebantur, quorum non uno loco antiqua diplomata meminere. Porro cum nobilium colonos, aut liberos non liceret suis a dominis abstrahere, quaeri posset, e quoniam Hungariae incolarum genere *stipendiarius miles* colligi consuevit: nos *Simonis Kezae* ductum secuti, quaectionem hanc paucis explanabimus. Hungari tum etiam, cum ad Christi fidem transiere, non illico abduci poterant a pristina consuetudine, captiuos etiam Christianos e vicinis prouinciis in Hungariam abripiendi, quos deinde mancipiorum instar seruituti ad dicerent: barbarum hunc morem, et a caritate Christiana vehementer abhorrentem damnabant pontifices Romani, hortabanturque

---

(a) Vide §. VIII.

reges Hungariae, ne infelices hos captiuos Christianos, quorum nonnulli interdum honesto, nobilique loco nati erant, mancipiorum instar haberi sinerent. *Colomannus rex*, vt erat suapte ad clementiam propensus, aequis pontificum votis subscripsit, captiuosque Christianos persoluto dominis eorum litro, in libertatem vindicauit; vt autem in regno, incolis magnam partem vacuo, remanere cogarentur, eisdem viuendi media contulit: ex his alii inter vduarnicos adlecti sunt, alii, qui armis idonei videbantur, *stipendiariis* militibus per castra regia distributis adnumerari consueuere (*a*). Postquam autem desit vestitus illa Christianos in captiuitatem rapiendi licentia; neque tanto, quantus interdum requirebatur, numero stipendiarius miles domi colligi poterat, in ditionibus exteris, praesertim in vicina Germania, milites stipendio oblato conducere mos fuit, id quod nominatim sub *Ludouico M.* rege visitatum fuisse constat (*b*). Itaque *iobagiones castrorum*, et *stipendiarii* milites ordinariam regum nostrorum militiam efficiebant, qui non modo regia castra aduersus hostes virtute sua tueri; verum etiam suo cum comite parochiano

(*a*) Eruuntur haec ex Keza in appendice de vduarnicis §. II. praesertim pag. 120. *Ex quibus quidem ordinavit seruire suis castris obsequio leuiore -- alii vero conditionarii ex iisdem captiuis disponuntur.*

(*b*) Chronicon Turotzii parte III. cap. XXVII. et XXVIII.

ad bellum etiam extra regni fines gerendum proficisci tenebantur (*a*): ex quibus principio banderia, seu turmae comitatuum suis sub vexillis conflari solebant. Praeter hoc ordinariae, stabilisque militiae genus, cuius numerus a regum arbitrio, belli magnitudine, ac aerarii denique regii pendebat viribus, aderat domi exercitus Hungarici robur, quod *extraordinariam* nuncupamus militiam, propterea, quod haec non semper in campum educi consueuerit; nisi cum grauius erat periculum, quod ordinariis regiis viribus superari non poterat. Hac in classe fuere *nobiles*, olim *seruientes*, *militesque* dicti, qui nonnisi cum rege ipso, sub eius vexillo; proprio tam  
en sumtu militabant. Idem hi ex *Andreae II.* regis semel, ac iterum renouata constitutione, quoties hostis in regni fines irrumperet, ad castra regia confluere, arma expeditre, ac ejectum subinde e finibus hostem, usque dum penitus debellaretur, ulterius extra regnum persequi iubebantur (*b*). Quod-

(*a*) Bullae aureae art. VII. §. III. quod clarius explicatur in literis *Andreae II. A. 1234.* *Nobis facientibus exercitum extra regnum nobiles nobiscum ire non teneantur, nisi comites parochiani, stipendiarii, et iobagiones castri, et qui ex officio debito tenentur, quibus amplas concessimus possessiones in Annal. reg. Hung. parte I. pag 234. Huc facit Sigismundi decret. V. praefatio. Alberti decreti art. III.*

(*b*) Bullae aureae art. VII. Si vero ex aduersa parte exercitus venerit super regem, omnes uniuersaliter ire teneantur. Idem repetitur in literis A.

si autem regi aliquando liberet, principem, populumue aliquem vltro inuadere, bellumque procul domo gerere, nobiles tum minime obstricti fuere ad castra sequenda; nisi rex de suo illis praeberet stipendia (*a*). Qui eorum temporum res optime perspectas habet, facile intelliget legem hanc A. 1222 1222. non ideo nobiles voluisse perferri, quod a subeundis bellorum incommodis, atque periculis abhorrent; sed non immerito verebantur, ne aevo illo, quo Romani pontifices cunctos prope Europae principes ad liberandam e Saracenorum manibus terram sanctam indefinenter vrgebant, rursus, vt A. 1217. factum fuerat, proprio sumtu irrepabili cum facultatum suarum iactura, ac nullo rei Christianae commodo, cruciatam expeditionem suscipere cogerentur. Sciebant autem regem *Andream II.* exhausto penitus

1234. *Si vero exercitus super regnum venerit, vniuersi, et singuli ad defensionem patriae contra inimicos se opponere teneantur: regresso superueniente exercitu pro vindicta ipsos tenentur persequi.* Annal. Hung. loc. cit.

(*a*) Bullae aur. art VII. *Si autem rex extra regnum exercitum ducere voluerit, seruientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius.* Item in literis A. 1234. *Nobis facientibus exercitam extra regnum nobiles nobiscum ire non tenentur.* Annal. Hung. loc. cit. Consimile priuilegium iam olim A. 1102. a Colomanno rege accepere Croatae, cum se se cert's pactis, et conditionibus sacrae coronae Hungaricae adiungebant. In Annal. reg. Hung. parte I. pag. 101. nota (*s*).

aerario, facilius expeditionem hanc deprecaturum, quam ut exercitui Hungarico, in palaestinam traiecturo, stipendia de suo persolueret. Ad eamdem hanc militiam pertinebant *banderia* praelatorum, primorum regni baronum, et maiorum liberorum, ac perpetuorum comitum, quae ex eorumdem praedialibus aut liberis hominibus conflabantur. Labente aetate cum vicini hostes majoribus, quam ante, viribus Hungariam oppugnarent, *extraordinariae* militiae numerus, prae, quam alias augeri coepit: publica quip-

1435. pe constitutione A. 1435 sub Sigismundo imperatore sanctum fuit (*a*), vt singuli barones, proceres, ac nobiles regni non solum viritim arma caperent; verum insuper a singulis triginta tribus portis, aut sessionibus equitem unum arcu, pharetra, gladio, et bicello instructum secum adducerent, qui milites e colonis congregati *gentes* appellabantur. Numerus horum, pro temporum, rerumue adiunctis, regumue arbitrio non vna vice variatus fuit (*b*). Ultra has, seu *ordinarias*, seu *extraordinarias* regni copias, non parui census fuere illae, quas sacrae coronae Hungaricae clientes; Russiae, Moldaviae, Walachiae, Seruiae, ac Boemiae

(*a*) Sigismundi decret. V. art. I. II. et sequ.

(*b*) Ladislai posthumus decret. II. A. 1454. art. III. et sequ. Vladislai II. decret. III. art. XV. usque XXIII. Ludouici II. decret. V. Buden. A. 1523. art. XIX. XLII. decret. VII. art. X. XI. Ferdinandi I. decret. VIII.

principes, quoties reges nostri imperabant, ex pacto praestare debuere. Hae igitur olim fuere regni Hungarici vires, quibus Hungari non modo sese aduersus innumeros hostes gloriose sunt tuiti, verum etiam imperii sui fines in omnem partem feliciter auxere: ubi illud notatu dignum est, si stipendiarium militem demas, immensam illam Hungarorum militiam pacis tempore, nullo plane sumtu, nullis expensis regis olim ali consueuisse. Ut autem proprium illud genti Hungaricae bellicae laudis studium nouis semper fomentis nutritiretur, ac cresceret, id in more habuerunt reges nostri, ut eis, qui heroicum aliquod ediderant facinus, feraente adhuc praelio ante commilitonum oculos, honores, et praemia decernerent, quae subin e praelio domum reduces diplomate roborabant: ne autem quosquam prolium domi relictarum cura ab adeundis fortiter periculis auocaret, legge *Andreae II.* sanctum fuit, ut eorum, qui in praelio dimicando vitam pro rege, et patria amisissent, filii debitam parentum suorum fidei, ac virtuti mercedem acciperent (*a*). Insigni hac in pios heroum cineres gratitudine, ac munificentia, nihil ad excitandam nobilissimae gentis virtutem accommodatus cogitari, perferrique potuit: cum enim ad ho-

---

(*a*) Bullae aureae art. X. *Siquis iobagio*, intellige baronem regni, habens honorem in exercitu fuerit mortuus, eius filius, vel frater congruo honore sit donandus. Et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius, sicut regi videbitur, donetur.

nores, aut opes prolibus procurandas; immortalitatemque familiae obtinendam certum, et expeditum per vulnera pateret iter, quid mirum: Hungaros veteribus Romanorum, et Graecorum heroibus aemula exhibuisse fortitudinis exempla, quae etiamnum in exteris non minus, quam domesticis annalibus non sine maiorum nostrorum virtutis admiratione leguntur. Porro ad communem reipublicae Hungaricae securitatem ab hostibus procurandam, haec fere obseruata fuisse, e scriptoribus domesticis, diplomatibus, regumque decretis, ac constitutionibus nullo negotio intelliguntur. Limitaneorum comitatum parochiani comites in editissimis montibus suos habuere vigiles; exploratores item in hostiles terras immittebant, per quos de hostium consiliis, et moliminibus tempestive edocerentur. Si quid certi compererant, sine mora per nuncios, cursoresque publicos, quorum alibi iam meminimus, regem de hostium aduentu, irruptionis loco, tempore, ac numero denique edocebat. Is spectata periculi magnitudine, quosdam comites parochianos, suis cum stipendiariis, et iobagionibus castris, praelatos item, barones, et nobiles tanto numero arma capere, ac ad limites proficiisci iubebat, quantus propulsando hosti suffecturus credebatur: neque alias, nisi maximo in discrimine, vniuersae regni vires in vnum cogi, educique confueuerunt. Postquam autem Tartari, ac subinde Turcae nulla data causa, quoties collibuit, et maiore numero Hungariae fines infestare coeperrunt

runt, ad Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae imitationem complures *banatus* ex aliquot prouinciis, et comitatibus limitaneis conflati, erectique sunt. Tales fuere gemini in Boffnia: alter *Vfforae* et *Salae*; de *Bronch*, et de *Kutschow* alter; tum *Matschouiensis*, cui Belgradum cum Seruia parebat, *Seuerinen-sis* in Walachia, cui postea successit banatus Temesiensis, ac denique Russiae rubrae banatus: quorum praefectis, siue banis limitanearum arcium, atque ditionum cura demandata fuit. *Sigismundus* imperator ut quotidianis Turcarum incurSIONIBUS frenum iniiceret, quamplurimas arces in regni finibus et moenibus, et militari praesidio communivit: multa insuper priuatorum castra, opportuno ad vim sustinendam situ collocata, aut parato aere, aut facta permutatione redemit (*a*): praecipuarum idmodi arcium praefecti castellani appellabantur, qui sub capitulis, et fortunarum amissione obstricti fuere, ut eas ad extremum usque vitae spiritum tuerentur; neque unquam hosti dederent: id quod a plurimis Hungaris immortali cum nominis gloria praestitum fuisse, plena est exemplis vetustas. Haec fere sunt, quae de veteri apud Hungaros re militari explicanda habuimus. Postquam aevo recentiore apud omnes Europae principes aliam res militaris formam induit: experimentoque comperimus, cum ad securitatem patriae, tum ad hostes

(*a*) Chronicon parte IV. cap. XX,

debellandos vtiliorem multo esse stablem militem, quam qui tum primum, cum vrget periculum, cogitur: Hungari quoque eumdem adoptarunt, in cuius stipendia, tributa et regiis, et priuatorum subditis per vniuersum regnum imperata sunt. In Croatiae nihilominus, Sclauoniae, et Transsiluaniae finibus legiones quaedam institutae sunt, quae aliquam veterum *castri iobagionum* speciem referunt. Quibus omnibus, etsi ordines regni abunde aris, et focis prospectum esse censuerint, eam tamen gloriam diserte sibi reseruatam publicisque regni constitutionibus firmatam voluere, vt si hostis in regnum irrumperet, neque ordinariis viribus eiici posset, praelati, barones, magnates, nobilesque vniuersi et viritim, et suis cum gentibus arma caperent pro rege suo, corona, et patria ad ultimam usque sanguinis guttam tuendis pectora sua hosti opposituri. Eluxit eiusmodi fides, et virtus Hungarorum sub initia regni augustae Mariae Theresiae, quae ab amicis prodita, a foederatis deserta, ab hostibus vndeique circumuenta, in gentis Hungaricae dextris certissimum inuenit praesidium: atque idcirco deuictos gloriose hostes, auita sceptrta, et coronas partim recuperatas, partim conseruatas, sibi, augusto coniugi, sobolique serenissimae securitatem restitutam nobilissimae gentis fidei, ac fortitudini in acceptis referenda esse propalam non una vice confessa fuit: iuste, sapienterque existimans, illis etiam facinoribus, quae ex debito praecclare fiunt a subditis, meriti laudem, gratitudinemque esse tribuendam.

## §. XVIII.

*Turbarum domesticarum fontes.*

Quidam scriptores exteri, cum perturbatas priore seculo res Hungaricas pertractant, paulo iniquiore, quam ut dissimulari possit, vñi calamo, gentem vniuersam ceu quietis impatientem, ac nouandarum rerum cupidam atrociter depingunt. Non diffitemur quidem peccatum interdum fuisse a maioribus nostris, at vna non ignoramus in florentissimis iam hodie regnis, ac prouinciis: in Germania, Italia, Gallia, et Russia multo plura, et graviora illis, quae Hungaris allinuntur, fuisse perpetrata; quod igitur commune temporum olim vitium fuit, cur solis appingitur Hungaris; vt porro culpam excusemus, aut minuamus, satis erit dissidiorum domesticorum candide causas exponere, quas singulari Dei beneficio, regumque nostrorum prouidentia diu iam sublatas esse gaudemus. Gravissimarum seditionum illarum, quibus vniuersa domus regia interdum laborabat, autores fuere regii sanguinis principes, cum tertiam regni Hungarici partem, ducatus titulo sibi deberi contendebant, maiestatemque supremam secum communicari petebant, *Andreae I.* regis exemplo, qui, quod sobole cirebat, vnico germano suo *Belae I.* id gratiae principio concesserat (*a*). Periculosa hanc

(*a*) Recole hic ea, quae §. II. explicitimus,

regni vna, ac potestatis regiae partitionem cum reges fratribus, agnatis, atque etiam filiis merito denegasset, atrocissimum saepius exortum fuit donai incendium, nonnisi multo innocentum ciuium sanguine restinguendum. Ita rem habere, disces ex iis, quae de *Salamone*, *Colomanno*, *Geisa* II. *Stephano* III. *Andrea* II. et *Bela* IV. narraturi sumus. Nonnulli reges ob immodicum aduersus aduenas, moribus fortasse, et scientia prae suis excultos, studium in inuidiam apud suos adducti sunt: id quod sub S. *Stephano*, *Petro*, *Andrea* II. *Sigismundo*, et *Ladislao* posthumo non leues conciuit turbas: habet nempe id sibi proprium gens Hungara, ut cum ipsa fide, et amore in principes suos nulli concedat, pro eorum salute sanguinem, et vitam profundere in lucris ponat; vicissim ab eisdem diligi, amarique ambiat. Interdum gentis vniuersae odia prouocata sunt per inconsultam quorumdam principum seueritatem, quam cum citra iustitiae ordinem; aut alieno plane tempore adhibebant, vulnera, quae prudentia, et clementia consanari poterant, non sine reipublicae damno exasperata sunt. Huius exempla videri poterunt in *Petro*, *Samuele*, *Bela* II. coeco, et *Sigismundo*. Exaggerata vectigalia, quibus non plebs modo ipsa, verum etiam nobilitas, et ordo omnis in miserandam egestatem redactus fuit, Hungaros a *Mathia Coruino*, rex cetera gloriosissimo, vehementer alienarunt. Quantis discordiis, et seditionibus viam aperire soleat regum in tuendis legibus socor-

dia, et supina quaedam iurium maiestatis negligentia, abunde sensit Hungaria sub *Ladislao IV.* Cumano dicto, *Vladislao II.* et *Ludouico II.*, qui postquam habenas omnes dimiserant, pax, et tranquillitas e regno profligata fuit. Per aulae ministros etiam non raro quies domestica perturbata erat: cum hi non communem reipublicae salutem, sed priuata solum sua, et suorum clientum, atque amicorum lucra, et emolumenta sectantes, ut se se regibus necessarios facerent, clarissimos quoque viros, confictis de industria criminationibus, in perfidiae suspicionem adducere, eos, qui ingenio, virtute, autoritateque pollebant, a regiis auribus studiose remouere, illustres meritis, opibusque florentes familias agere praecipites, ac in earum ruinis domos suas erigere non sibi vel pudori, vel religioni ducebant: quorum audacia, et quiduis agendi libido, nimia regum in eos fiducia, et impunitate, ad summum interdum progreffa creuit. His vitiis notantur: *Buda* sub *Petro* rege, *Vidus* sub *Salamone*, *Dionysius* palatinus sub *Andrea II.* Hierosolymitano, *Nicolaus de Gara* pariter palatinus sub *Maria* regina, ac denique *Ulricus* comes Cileiensis sub *Ladislao* posthumo, primi aulae ministri. Neque desunt exempla eorum, qui ultra priuati hominis conditionem ambitione abrepti, ac rerum suarum cum communi reipublicae damno augendarum cupidi, irreparabilem patriae suae calamitatem consciuere. Talis erat *Ioannes de Zápolya*, comes Scepusiensis, qui iam sub *Vladislao II.*,

et *Ludouico II.* regibus viam sibi ad solium praeparabat: talis item *Stephanus Botskai* de *Kis-Maria* sub *Rudolpho II.* caesare, ad *Transsiluaniae* principatum eluctatus. Porro de seditionibus, bellisque intestinis in *Austriaca* regum periodo saepius excitatis, illud vniuersim tenendum est, omnium fere autores fuisse *Transsiluaniae* principes. Cum enim solenni lege apud *Transsiluanos* vetatum esset, ne eorum principes vlla sibi, familiaeque suae bona illic possent addicere, haec in *Hungaria* quaerenda putauere: quoties igitur reges nostros bellis alibi implicatos, minoribusque ad tuendam *Hungariam* viribus instructos animaduertere, inito cum hostibus foedere infestis signis *Hungariam* inuadebant, vt, pace subinde confecta, per ampla dominia consequerentur. Ut porro auaritiam, cupiditatemque suam specioso aliquo velo obtegerent, iureque se ad arma descendisse impunitis persuaderent, sparsis per vniuersum regnum libellis, se ad vindicandam ab *Austriacorum* principum oppresione gentis *Hungaricae* libertatem, religio-  
numque a *Romano-Catholica* dissidentium tutelam venire iactabant; quo gemino hamo multos praesertim de vulgo ad partes suas traduxere. Nae hi egregii sane *Hungariae* amici, et protectores fuere, quam Turcis ipsis atrocius expilando, in ultimam miseriariam, egestatemque coniecere. Calamitas haec non ante desuit, quam ubi *Transsiluanus* eosdem nobiscum *Austriaca* e domo principes venerari cooperunt.

## §. XIX.

*Visitata historiae partitio.*

Tota regum inde a D. Stephano ad hodiernum usque diem nobis imperantium series in tres *periodos*, quae totidem regni Hungarici aetates efficiunt, dispesci solet: prima complectitur reges e ducali stirpe virili Arpadiana usque ad A. 1301. altera variis et dominibus per libera electos suffragia, quae A. 1540. penitus desit. Tertia denique, ac 1540. postrema illos, quos inde a Ferdinandō I. ex augusta domo Habsburgo-Austriaca serie non interrupta venerati sumus. Iure igitur I. periodus *Arpadiana*, II. mixta, ac III. Austria-*ca* nuncupatur, singulae singulas historias nostrae partes constituent.



---

N O T I T I A  
R E R V M  
H V N G A R I C A R V M.  
P A R S P R I M A.

---

I. ARPADIANA.

REGVM HVNGARIAE PERIODVS.

**S. STEPHANVS**  
**PRIMVS REX.**

§. I.

*Amplitudo regni Hungarici, cum illud S.  
Stephanus adiit.*

997. *Geisa* duce A. 997. vt diximus, e viuis sublato, D. Stephanus aetatis anno octauo supra decimum, hereditarii regni gubernacula pleno quidem iure, verum ducis solummodo titulo capeſſuit. Regni porro, quod tum adiit, fines ab ortu Cumaniā, seu Moldauia; ab occasu montē Cetium, amnemque Morauam; a septemtrione Carpatum; a meridie denique Iſtrum, exclusoque Sirmio, Sauum, atque Croatiam pro limitibus habuit. Sclauoniam enim intra regni Hun-

garici fines ea aetate comprehensam fuisse, si alia desint, vel solae foundationales episcopatus Quinque-ecclesiensis literae fidem faciunt (*a*), quae fines illius ad Sauum usque protendunt.

## §. II.

*Belli cum Cupa, duce Simegbienfi, occasio.*

Non multo post Geisae obitum grauissima in D. Stephanum tempestas coorta fuit, cuius causas ad scriptorum, monumentorumque domesticorum fidem paucis explicabimus. Cum D. Stephanus adolescens adhuc, negotiorumque tractandorum usu nondum satis instructus, regnum et vastum, et ob multorum potentiam, atque audaciam ad regendum difficile adiisset, in moderanda, ac in ordinem redigenda monarchia, aduenarum viuice, quos a Geisa duce magno numero euocatos, bonisque donatos alibi diximus, consiliis, et opera utebatur: egit praeterea toto conatu, ut quam plurimi abiepto gentilismo Christiana facra amplecterentur. Vtrumque hoc et primorum gentis, et vulgi ipsius cum noua facra, tum vero exteris homines auersantis

(*a*) Literas has ex transsumto authentico monasterii Simegbienfis. A. 1404. vulgavit doctissimus Pray Hierarchiae Hung. part. I. pag. 224. Item Cl. et doctissimus Koller in historia episcopatus Quinque-ecclesiensis tom. I. pag. 62.

animos a D. Stephano vehementer alienauit. Non absimiliter displicuit Saroltæ, ducissæ matri, nimia aduenarum apud filium potentia, et autoritas, quae cum viuente marito suo Geisa, rempublicam pro arbitrio dirige-re, imperareque assueuitset (*a*), aegerrime tulit se aduenarum factione ab omni iam administratione remotam, ac quasi in ordinem fuisse redactam. Sic cum et populares suos, et ipsam adeo Saroltam matrem a diuo Stephanu-  
s dissidere animaduerteret Cupa, dux Si-meghien-sis, cognato, et ipse ducali domui iunctus sanguine (*b*), nefarium iniit consilium, adolescentem ducem ex aucto solio de-turbandi, eodemque interempto sibi afferen-di principatum (*c*). Quo vt expeditiorem sibi viam redderet, Saroltæ, ducissæ viduae, a filio, vt diximus, alienæ nuptias ambire coepit (*d*): quo illico mulierem non inueniastam, et quadraginta circiter annos natam si ad partes suas traduxisset, nil iam ambige-bat fore, vt vniuersam gentem Hungaram

(*a*) S. Adalberti biographo teste, Sarolta totum regnum viri in manu tenuit, et, quae erant viri, ipsa regebat. Cap. V.

(*b*) Consule de hac cognatione Cl. Katona histor. critic. ducum Hung. pag. 707.

(*c*) Audiatur D. Stephanus in diplomate fundatio-nis S. Martini: cum ciuilis belli ruina urgeret, volente comitatu quodam, nomine Sümigiense, pater-na me sede repellere.

(*d*) Chronicón Turotzii P. II. cap. XXVIII. Bonfi-nius decad. II. lib I. Ranzanus indic. VIII.

cupiditati suae haberet obsequentem. Verum nuptiae hae nunquam coaluere : seu quod Saroltæ in filium odia non eo vsque processerint , vt eumdem folio , vitaque priuari vellet ; siue interea sopita iam fuerint. Itaque spe sua deiectus Cupa nouam iniit sacrilegi consilii exequendi rationem. Exaggerata enim S. Stephani in aduenas homines propensione , ac ad gentiles ritus eliminandos , Christianaque sacra introducenda firma voluntate , primores gentis , nobiles , ac vulgus autis superstitionibus vltra modum deditum , eo successu in adolescentem principem concitauit , vt immensa seditiosorum multitudo sub eiusdem signa confluxerit (a) : quibus initii fretus , legitimum principem suum despicere , eidem contumeliose insultare , spe denique principatum deuorare , non dubitauerit. Prima seditiosorum hostilitatem , et crudelitatem experta fuit ea regni Transdanubiani pars , quam Arpadianae domus patrimonium fuisse , suo loco iam commemorauimus : hic vrbes , et ciuitates expilari , ac in solitudinem redigi , praedia euastari , possessiones praedae obiici , seruorum , et colonorum turba barbarum in modum necari coepit (b). Sic omnia depraedando progreffi seditiosi , Vesprimium , ubi etiam suum Arpa-

(a) Carthuitius edit. Prayanae pag. 125.

(b) Carthuitius edit. Prayanae pag. 125, Cooperunt,  
inquit, *vrbes desolare , praedia vastare , possessiones  
depraedari , seruos caedere , et , ut cetera silcam ,  
ipſi insultare.*

diani principes habebant domicilium, obse-  
998. dere (*a*): quae seditio commode in A. 998.  
potest referri.

## §. III.

*Prosper belli exitus.*

Seditionis fama Strigonium, vbi praecipua ad eum diem ducum Hungariae sedes fuit, perlata, S. Stephanus cum *Paznano*, *Cuntio*, *Orthio*, ac *Vencellino*, viris bello, paceque claris, Danubium transgressus in adsita Grano flumini regione castra posuit, cum ut duorum Danubii, et Grani fluuiorum obiectu rebellium impetum moraretur, tum vero, ut idonea interim militum auxilia, quae Christiani proceres ac nobiles adducturi erant, securo in loco opperiretur. Ac reipsa adfuere haec magno numero, praesertim e superiore Moravisque contermina regione, quod earum partium incolae dudum iam Christiani erant, atque ideo, et maioribus copiis, et maiore animi alacritate ad religionem sacrosanctam, principemque suum iam Christianum totis viribus defendendum, ad desiguumatum castris locum conuolauerint. Etsi

(a) Patet id ex verbis Carthuitii pag. 126. *Vrbem*, inquit, *quae vulgo Vesprem nuncupabatur*: *obfederunt*, et *haec ad conuicia eius commouentes*, scilicet *ut vbi ducalis accessus conuersatio habeatur*, et *ibi considerent*, quo *facilior ingressus ad alia praefidia occupanda inueniretur*.

porro rebellibus non sustinendis modo , verum etiam profligandis pares adesse vires videbantur ; S. Stephanus tamen dubiam primi huius belli , a quo sua , suorumque salus pendebat , aleam extimescens , suisque , vt Christianum decebat principem , viribus diffus , ad implorandam opem diuinam confudit . Quapropter , in ducum suorum , ac sacerorum virorum praesentia , solenni voto semet obstrinxit , ad rerum omnium decimas coepto per Geisam patrem suum S. Martini coenobio , e Cupae ducis comitatu Sümegiensis attribuendas , si de rebelli hoste victoriam retulisset ( a ). Hunc in modum , fiducia in Dei adiutorio collocata , toto exercitu inspectante , militari cingulo , et gladio per Hundium , et Paznanum accinctus , miles creatus fuit : quo honore summorum etiam imperantium filios in adolescentia ornari mos fuit : communi enim omnium Europae populorum vsu , ac consuetudine a pluribus iam seculis introductum , stabilitumque erat , ne quis exercitui summa cum potestate praefesse posset , nisi prius ritu hoc miles initiaretur ( b ). Haec inter aucto Christianarum

(a) Fatetur id S. Stephanus in diplomate fundacionis S. Martini : adstantibus ducibus videlicet Paznano , Contio , Orhio , Domno quoque Dominico archi - episcopo , votum voui S. Martino , quod si de hostibus interioribus , et exterioribus eius meritis victor exsisterem etc.

(b) Ritum creandi milites lege apud Muratorium Antiquitatum Italiae tom. IV. dissert. LIII. de institut. militum.

copiarum numero, militare cum suis consilium habuit *D. Stephanus*: omnium militiae ducum mens una fuit, celeritate utendum esse, atque *Cupam* ducem, priusquam nouis in dies rebellium accessionibus validior euaderet, totis viribus aggrediendum: quod cum *D. Stephano* probatum fuisset, *Wencellinum* belli imperatorem constituit, superatoque Danubio, acceleratis itineribus, *Vesprimium* contendit, *Cupam* in eius arcis oppugnatione haerentem oppressurus; collatis vtrinque signis, diu ancipite pugnatum fortuna: at postquam *Wencellinus* *Cupam* Sümeghiensem singulari certamine prostratum interfecit, tota seditionis multitudo dissipata in fugam abiit. *S. Stephanus* insigni victoria potitus, ab inferenda fugitiuis caede suos prohibuit, ad percellendos nihilominus seditionis animos, occisi *Cupae* corpus quatuor in partes dissecari voluit: quarum una *Vesprimii*, altera *Strigonii*, tertia *Iaurini*, ac postrema denique in aliqua Transsiluaniae ciuitatum propalam in portis sunt suspensae (*a*): quo quidem necessariae, iis rerum, temporumque adjunctis, seueritatis exemplo, nullam profecto regiae mansuetudini, atque clementiae notam adspersit. Voti porro ante praelium nuncupati religione mox semet quam cumulatissime exsoluit *D. Stephanus*, cum Sümeghiensis prouinciae decimas omnes: praediorum, terrarum, vinearum,

---

(*a*) *Chronicon Turcicorum* P. II, cap. XXVIII.

segetum, vectigalium, ac denique eorum etiam vinorum, quae in *hospitum*, cetera *liberorum* hominum, praediis procrearentur, coenobio S. Martini in monte Pannoniae sito in perpetuum addixit, atque triennio post, altero a coronatione sua anno 1001. solenni 1001. diplomate roborauit (*a*). Autographum diplomatis huius nos ipsi in sacro monte Pannoniae diligenter inspeximus, et examinauimus; neque veremur, pro genuinis D. regis literis et habere, et venerari; praesertim postquam complures viri doctissimi illius fidem, et integritatem erudite non minus, quam solide vindicarunt. *Carthuitius*, dum fundationis huius historiam recenset, addit una *liberorum* pariter, siue prolium comitus Simeghiensis decimas, eadem occasione, monasterio S. Martini fuisse assignatas (*b*). Verum quoniam fundationales literae, in quibus votum a D. Stephano ante pugnam, cum *Cupa* duce initam, conceptum multis verbis explicatur, singularis huius *decimationis* nuspiam meminerunt, ac ipsi etiam montis Pannoniae monachi, qui mentem fundatoris sui optime perspectam habere et potuerant, et

(*a*) Diploma hoc omnium accuratissime edidit, ac illustravit Cl. P. Chrysostomus Nouák, ex O. S. B. in vindiciis eiusdem edit. Budae, A 1780.

(*b*) Constituens, *inquit*, ex omnibus eorum facultatis tam strictas decimas dari, vt si cui *decem liberos* habere contingere, *decimam prolem* S. Martini coenobio daret. cap. I. pag. 127. edit. Prayanae.

debuerant, a decimandis prolibus abstinuerunt; existimo *Chartuitium* id e vulgi rumore haufisse. Cum enim D. Stephanus ab omnibus Simeghiensibus, etiam *liberis* personis, atque omnium rerum decimam S. Martino voverit, ac reapse transcripserit, credere vulgus poterat, generali ea locutione, prolium etiam decimationem comprehendendi voluisse. Eodem e fonte, e *Carthuiti scilicet legenda*, sua haufit M. Turotzius (*a*). Quamquam sensu alio verissimum sit, *liberorum* quoque decimam laudato coenobio per diuum fundatorem fuisse donatam: ex illius quippe mente, non agrestis solummodo plebs, verum etiam *liberi*, seu liberae personae, quales nominatim fuisse constat hospites (*b*), e praediis suis decimas dicto monasterio pendere cogeabantur (*c*): eodem profecto

mo-

(*a*) *Vniuersum, inquit, populum in prouincia Cupan ducis degentem decimas liberorum, frugum, ac pecorum suorum coenobio S. Martini dare, perpetuo iure decreuit.* Part. II. cap. XXVIII.

(*b*) *Recole hic ea, quae de hospitibus introductionis §. X. explieuiimus.*

(*c*) *Huc facient verba illa diplomatis S. Stephani: Supra nominati comitatus decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis, segeribus, vetigalibus, vinumque hospitum, quod in praediis eorum excresceret,,, abbati eiusdem monasterii,,, sine mora subiugarem.* Nulla hic prolium decimationis fit mentio; plus autem diplomati, quam vulgi opinioni, indeque haustae traditioni deferendum esse, nemo est, qui ambigat.

modo haec *liberorum decimatio intelligenda est*, quo ex D. *Ladislai regis decreto: abbatibus de liberis suis*, non utique prolibus, sed personis liberis, episcopis decimationem dare iussi sunt (a).

#### §. IV.

#### *Curae S. Stephani ad propagandam Christianam religionem.*

Seditio, quam Cupa dux excitauerat, non sine coelesti ope feliciter superata, paulo vehementiores D. Stephano subiecit stimulos, ad accelerandam quantocius gentis Hungariæ conversionem: videbat quippe, neque monarchiam suam diu tranquillam; neque se in solo securum fore; nisi Christiani, potentiores praesertim, ac nobiles numero, viribus, et auctoritate, gentilibus anteirent. Quapropter missis fine mora in vicinam Germaniam, et Bohemiam nunciis, ac literis, viros sacros in Hungariam inuitauit, vt praedicatione sua populum Hungaricum in lege euangelica instituerent, ac ad suscipiendum baptismum adducerent, optime confisus fore, vt clementissimum numen piis operariorum conatibus assisteret, gentique, tamdiu iam in gentilismi tenebris coecutienti, fidei lumen largiretur. Gessere optimi principis in uitationi morem quamplurimi, atque ineunte iam anno 999. multi presbyteri, cleriei, monachi in Hun-

999.

(a) S. Ladislai decret. lib. I. cap. XXVII.

gariam immigrarunt, nouae huic vineae laborem suum impensuri. Atque hoc in numero fuit Breunouiensis in Bohemia monasterii abbas *Astricus*, alio nomine *Anastasius* (a), vir insigni virtute, et sapientia praeditus, cui vna, atque monachis, quos ille se 1000 cum adduxerat, mox anno in sequente 1000 ad radicem montis ferrei, seu Pétsuaradini, monasterium erigi coepit (b), quod alterum post montem Pannoniae virorum apo-

(a) *Anastasio* illi re ipsa nomen fuit, quo etiam usus legitur A. 1107. in subscriptione concilij Francofordiensis: *Anastasius Vngrorum archiepiscopus interfui, et subscripsi.* Itaque non incongrue dici potest ad distinctionem alterius *Anastasii* abbatis, qui tum S. Martini coenobio praeerat, *Anastasio* huic cognomentum *Astrici* in Hungaria fuisse adjunctum: poterat autem ob insignem religionem, et sapientiam *Astricus*, seu *Coelestis* vocitari; vel certe a familia, aut loco natali.

(b) Haec plane ad mentem Chartutii, qui cap. II. pag. 128 *Astricum* non sub Geisa duce, sed imperante iam D. Stephano; nec nisi post deuictum iam Cupain Simeghensem, cum pluribus sociis e Bohemia venisse, ac illico monasterio ad radicem montis ferrei initium dedisse, clarissimis verbis affirmat. Confirmatur id e foundationalibus eiusdem coenobii literis A. 1015 datis. In quibus D. Stephanus, laudatum coenobium ante annos XIV. itaque aut exeunte A. 999. aut ineunte A. 1000. coeptum asserit, ac in clausula litterarum *Astricum*, seu *Anastasium*, tum Colocensem antistitem, primum illius abbatem fuisse asseuerat. Ex quo palam fit, dissentire nos ab iis, qui *Astricum* eundem esse putant, cum *Anastasio* S. Martini abate, qui iam A. 998. D. Stephano contra Cupain

stolicorum esset seminarium, qui in inferioribus regni partibus euangelium promulgarent. Talibus auctus suppetiis pius princeps, dato ad omnes prouincias edicto praecepit, ut omnes, atque singuli dimissis a se verbi diuini paeconibus dociles paeberent aures, abiecoque idolorum cultu, baptismum susciperent. Ipse quoque D. Stephanus minime alienum a sua summi imperantis maiestate putauit, apostolicum praedicandi, subditisque viam aeternae salutis commonstrandi, munus obire: et quoniam primorum gentis cuiuscumque exempla maximam apud vulgus vtramque in partem vim habent, praecipuam impendit curam, comitibus, militiaeque ducibus ad veri Dei agnitionem pertrahendis: alios ex his docendo, hortando, atque etiam rogando; eos autem, qui autoritate sua institutae per vniuersum regnum euangelii praedicationi paulo audacius, quam subditos decebat, obsistebant, minis etiam, atque terroribus adhibitis, ad saniores mentem studuit reuocare (*a*). His cum vteretur adminiculis D. Stephanus, dubitari nequit, quin primores, nobilesque plurimi, praesertim in ditione ducali domui propria degentes, legem euangelicam susceperint. Hos inter conatus,

pugnaturo adstiterat, cuius etiam in diplomate foundationis S. Martini diserte fit mentio. Fundationales coenobii Péts-Varadiensis. Vide in Histor. episcop. Quinque-eccles. Tom I. pag. 74.

(*a*) Haec ex Carthuitio cap. II. pag. 130.

de copta iam feliciter religione in perpetuum stabienda sollicitus, de hierarchia in Hungaria constituenda cogitauit; atque idcirco regnum omne in partes, seu dioeceses XII. partiri aggressus est (*a*), vt sic diuifis antistitum curis, vno, eodemque tempore, singulis in partibus euangelium promulgaretur, gentisque totius conuersio eo celerius perficeretur. Quin etiam plurimis ecclesiis iam tum designauit episcopos, pro quo munere e Benedictinis potissimum, eos imprimis de legit, quos maiore prae ceteris zelo, et succelfu rem Christianam promouere compererat. Metropolitanam porro sedem Strigoni in principe tum regni vrbe, ducumque Hungariae domicilio collocare statuit; qua in re augustorum caesarum exemplo ecclesiae morem secutus fuit, quae non alibi, quam in metropolibus, aut certe frequentioribus in vrbibus archiepiscopales cathedras erigi permittebat.

(*a*) Biographus S. Gerardi cap. XI. S. Stephanum, cum Tsanadiensem ecclesiam D. Gerardo conferret, sic loquentem inducit: voluntatis quidem meae fuit *duodecim episcopatus*, quos in regno meo facere decreueram, *episcopis implere*; sed retardatus fui aliorum voluntate, quorum, vt vere arbitror, satanas cooperator fuit. Eiusdem vitae codex M. S. sic habet: nunc enim voluntatis meae fuit, vt *duodecim episcopatus*, quos in regno meo statuere decreueram, *episcopis implerem*, sed magis pependit in arbitrio aliorum, quorum arbiter satanas fuit, et nunc *episcopatum*, qui, vt aestimo, te respiquit, assuine.

## §. V.

*Causa legationis Romanae.*

**N**ouorum in Hungaria episcopatum institutio, citra summi Christianorum sacerorum antistitis scitum, nequibat perfici: primum enim Hungaria a vicinorum antistitum, ac potissimum Laureacensis metropolitae iurisdictione eximi; tum abolitis veterum in Pannonia dioecesium nominibus, ac limitibus (*a*), nouae sedes episcopales erigi, terminisque distingui; promouendi denique ad has episcopi, et propria muneri suo iurisdictione instrui, et noui archiepiscopi Strigonensis iuribus subiici debebant; quae omnia rite, ac legitime definire, illius erat, qui in ecclesia Catholica non solum honoris, verum etiam iurisdictionis primatum tenet, Christi in terris vicarii. Alterum illud erat: cum D. Stephanus ditionum, quibus imperabat, amplitudine non inferior esset reliquis per Europam regibus, quo amplior ei cum domum foris accederet autoritas, regia cupiebat vti appellatione. Fuit aevo illo in more positum, vt corona, regiique tituli vel ab augustis imperatoribus; vel a pontificibus Romanis expeterentur, atque conferrentur; ac hi quidem a nominatis per se regibus non aliam fere exigebant subiectiōnēm, atque eam, qua Christiano - Catholici omnes eccl-

---

(*a*) Qui veteris Pannoniae ecclesiarum notitiam habere cupit, adeat doctissimi Salagii dignissimum sane opus de statu ecclesiae Pannonicæ.

fiae, eiusdemque capiti obstringimur. Ex aduerso imperatores occidentis, creatos a se reges, suis cum ditionibus, inter imperii sui clientes solebant adscribere, hacque ratione aliquid in eosdem iuris aquirebant, quale fuit ius inuestiendi, ac etiam eos, qui sibi refractarii fierent, e folio deiiciendi. D. Stephanus optime perspectum habens, quantum gens sua ad eum diem libera, nullique alteri, quam suo principi obnoxia, ab omni seu seruitutis, seu clientelae specie abhorreret; ne turbis, qualibus postea eadem ex causa sub *Petro* rege occasionem datam videbimus, regnum obiiceret, consultius putauit, corona, regioque titulo per Romanum pontificem, quam imperatorem, exornari. Neque *Ottoni* III. caesari consilium hoc vllatenus displicuit: vt qui *Syluestro* II. suo olim clienti, nunc autem suo potissimum fauore, IV. nonas Aprilis A. 999. ad pontificatum promoto fauebat impensis: quare cum Romae vsque initium 1000. anni 1000. moraretur, D. Stephanum coram pontifici commendauit, maioremque in modum hortatus est, vt cunctis eius votis sine dubitatione subscriberet (*a*). Qua quidem

(*a*) Ad hoc tempus referenda sunt ea, quae *Ditmarus* episcopus Merseburgensis, autor synchronus, Annal. lib. IV. tradit: imperatoris autem praedicti *gratia*, et *hortatu* gener Henrici ducis Bauariorum Waic, seu *Stephanus* in regno suo episco, pales cathedras faciens *coronam*, et *benedictionem* accepit. Bona igitur *gratia*, et *hortatu* Ottonis III. imperatoris eodem ex fonte a Romano pontifice *coronam*, et *benedictionem* accepit S. Stephanus.

commendatione sua, singularem aduersus D. Stephanum gratiam, et amicitiam testatus fuit Otto III. quem constat non multo post toto conatu obstitisse, ne Boleslao, Poloniae duci, regii tituli a sede apostolica concederentur. Nouorum igitur episcopatum cum Strigoniensi metropoli institutio, regiique tituli, geminae fuere legationis Romanam mittendae causae (a). Obeundo huic muneri placuit deligere *Anastasium*, siue *Astricum* Pétsuara-densem abbatem, designatum iam Colocensem episcopum, idque haud dubie propterea, quod Romae olim ad S. Alexii monachus Benedictinus et itineris rationem, et mores Romanos optime habebat perspectos.

## §. VI.

### *Legationis Romanae exitus.*

*Astricus* ineunte anno 1000. in plurimum <sup>1000</sup> comitatu, Romanam delatus, ad principis sui vota pronissimum reperit *Sylvestri II.* pontificis animum. Siue id eximia *Ottonis III.* im-

(a) Has ipsas copiosius recenset Carthutius cap. II. pag. 130. Quarto post patris obitum anno Astricum - - misit, ut a successore S. Petri - - postularet, quod - - Strigonensem ecclesiam in metropolim suae subscriptionis autoritate sanctiret, et reliquos episcopatus sua benedictione muniret, regio etiam dignaretur illum diadematate roborare, ut eo fultus honore, coepit per Dei gratiam posset solidius stabilire.

peratoris in S. Stephanum gratia, et praeui  
bortatu; siue angeli per somnium apparentis  
monitu euenerit, Syluester II. iis omnibus,  
quae D. Stephanus ad propagandam in regno  
suo religionem Christianam ad eum diem  
egerat, et porro acturus erat, ex Africō  
legato intellectis, sincerissimo gestiens gau-  
dio, cunctis, quae petebantur, cumulate  
subscripsit. Itaque D. Stephano, antea duci  
Hungarorum, regios decreuit titulos, eum-  
que in finem insigne prorsus diadema, quo  
ipse, ceterique post eum reges inauguren-  
tur, dono dedit. Est illud Graeci moris,  
simile plane illi, quod in vsum orientis im-  
peratorum olim Constantinus magnus fieri  
curauerat, cum imperii Romani sedem Bizan-  
tium transtulit. Verissimum id esse compe-  
riet is, qui diadema nostrum, eiusdemque  
descriptionem a Petro de Reua, S. coronae  
duumuiro, editam cum illis contenderit,  
quae Anna Comnena, Alexii Comneni Graeco-  
rum imperatoris filia, de augusto Graeco-  
rum diadematē memoriae posterorum adnota-  
vit (a). Censent nonnulli diadema nostrum  
illud ipsum esse, quod Anastasius I. orientis  
imperator Clodouao I. Francorum regi, ac  
hic vicissim ineunte seculo VI. Romam S.  
Petro miserat: quod, longa annorum serie la-  
befactatum, Syluester II. ea tempestate refici  
curauerit (b): alii existimant, nouum fuisse,

(a) Consule Ill. Kollar histor. diplomat. iuris pa-  
tron. regg. Hung. lib. I. cap. V.

(b) Stilingus Bollandista in vita S. Stephani nu-  
mero 213.

ac a pontifice recens curatum opus pro Boleslao Polonorum duce, quod ei postea non tam fortasse ob angeli per somnium visi monitum, quam Ottonis III. *bortatu* denegatum fuerit (a). Quod si etiam concedamus; typum tamen aliquem augustalis Graecorum diadematis habuisse oportuit Romanos artifices, ut nostrum eidem ad amissim conformarent. Quiduis de hoc sentias, parum refert, illud nihilominus certum est, ac euidens, diadema Hungaricum esse *Sylvestri II.* Romani pontificis donum. Testatur id imprimis synchro-nus scriptor *Ditmarus*, qui eodem ex fonte et *coronam*, et *benedictionem* per D. *Stephanum* impetratam asseuerat: quemadmodum igitur *benedictionem* a pontifice profectam intelligi oportere nemo ambigit; ita etiam *coronam* inde obtentam, fateatur est necesse. Testis alter est *Carthuitius*, dimidio circiter seculo ab obitu D. *Stephani* remotus, ut qui *Salamonis*, *Geisae*, *S. Ladislai* et *Colomanni*

(a) *Carthuitius in vita S. Stephani cap. II.* pag. 131.  
Item *Martinus Gallus* in chronicō suo, quod vi-  
uente Boleslao III. Poloniae rege, itaque inter  
A. 1102, et 1138. conscripsit, ac vita S. Stepha-  
ni a *Carthuitio* concionata vñus est. Vnde vna  
evidenter evincitur *Carthuitium* nostrum iussu *Co-  
lomanni* Hungariae regis, qui ab A. 1096. vñque  
1115. imperauit, vitam S. Stephani regis edidisse.  
Argumentum hoc pro vetustate *Carthuitii* vindicanda,  
insigni, vt solet, eruditione pertractat Cl.  
*Cornides* in *Genealogia reg. Hung.* pag. 254,  
nota 31.

regum aetate vixerit, ac huius postremi ius-  
su vitam S. Stephani concinnauerit. Is igitur,  
quod a coaeuis sancto regi hominibus  
auditu acceperat, aut etiam in scriptum re-  
latum legerat, disertis verbis affirmat, coro-  
nam per S. Stephanum a Romano pontifice  
expeditam, impetratam, ac per *Astricum* le-  
gatum in Hungariam fuisse allatam (*a*). Quis  
autem, nisi insaniens credat, *Carthuitium* in  
re tam illustri narranda cum toti Hungaricae  
genti, tum vero *Colomanno* regi, ab insigni  
doctrina, raraque prudentia prae ceteris lau-  
dato, imponere aut voluisse, aut potuisse.  
Evidem si *corona* nostra aliunde, quam Ro-  
ma aduenisset, id tum in toto regno peruul-  
gatum, ignorari a nemine poterat; neque  
dubitandum est, quin mendax scriptor de  
insigni sua impostura conuictus fuisset, si fal-  
sam, communique tum gentis vniuersae opini-  
oni contrariam coronae nostrae originem  
vitae S. regis inspersisset. Illud quoque non  
leuis habet vim argumenti, nullo vnuquam  
tempore de hac, quam tradimus, S. coronae  
origine apud Hungaros fuisse dubitatum,  
vt adeo non domestici solummodo scriptores,  
verum etiam reges ipsi coronam suam donum  
esse pontificis Romani publicis literis confi-  
teri non erubuerint (*b*). Quapropter mi-

(*b*) *Carthuitius* cap. II. pag. 130. et sequ.

(*c*) *Andreae II. et Ladislai IV. regum testimonia*  
ex *Odorico Raynaldo* recitata vide apud Cl. Pray  
*in Annal. reg. Part. I. ad A. 1000.* et apud Cl.  
*Katona historiae crit. reg. Hung. Tom. I. pag. 16.*

rum videri potest, nostra iam aetate reperiri nonnullos, qui Cl. Schuartzii hac de re conjecturis induci ad constantem gentis Hungaricae traditionem, non domesticorum solum, verum etiam exterorum scriptorum testimoniis roboratam, variis viis oppugnandam incredibili studio, et sollicitudine incumbant, non secus, atque si summa Hungaris esset infamia, coronam Roma, a Christi in terris vicario, dono accepisse. In eo desudant imprimis, ut eamdem vel a Germanico occidentis, vel a Graeco orientis imperatore aliquo D. Stephano transmissam esse suadeant. At postquam omnibus cum Latinae, tum Graecae antiquitatis monumentis improbo labore euolutis, nullum idoneum reperiunt testem, grauissimis rationum momentis, queis vetus Hungarorum traditio nititur, tenues obtrudunt coniecturas, maluntque, aut incertam pronunciare diadematis nostri originem, aut vnde cumque demum in Hungariam allapsum admittere, quam ut illud *Sylvestri II.* esse donum confiteantur: qua quidem obstinatione sua, et inutili sane niquas sacrae coronae origines indagandi conatu, haud scio, an luculentius suum in Romanos pontifices odium, quam veritatis studium patesciant. Cum itaque nihil ad hoc usque tempus ab aduersariis prolatum sit, quo vel in prudens dubium reuocari possit stabilita hactenus S. corona Hungaricae origo, nos deinceps etiam pretiosum hoc pignus tot diuorum regum inauguratione consecratum, Roma per *Astricum* Colocensem antistitem in

Hungariam allatum, ac diuo *Stephano* traditum confitebimur (*a*). Quod ad alterum legationis caput attinet Strigoniensis metropolis erectionem, ceterosque designatos iam, aut porro etiam designandos episcopatus ratos habuit pontifex. Cum autem ex iis, quae seu *Otto III. caesar*, seu *Astricus* legatus retulerat, clare perspiceret *Sylvester II. D. Stephanum* insigni prudentia praeditum, ac peculiari quodam diuino lumine collustratum esse: ut omnia, quae ad hierarchiam in Hungaria constabiliendam pertinent, eo facilius, et citra ambages posset absoluere, suas illi vna, ac successoribus in ordinandis, disponendisque ecclesiis vices detulit, amplissimique legationis apostolicae munere, ac autoritate exornauit: cuius dignitatis insigne,

(*a*) Huius memoriam instauravit *Maria Theresia augusta* cum ad Adam e L. B. Patachich de Zaiezd Colocensium, et Batiensium archiepiscopi I. O. S. Stephani magnae crucis equitis preces, metropolitanae ecclesiae Colocensis canonicis deferendam concessit crucem auream Tholosanam, cuius aduersa in parte visitur primus Colocensium antistes *Astricus*, diadema S. Stephano tradens, cum epigrapha: *Allarae S. coronae memoria*, quae in anversa parte, cui initiales *Iosephi II. et M. Theresiae* literae sunt inscriptae, his absoluitur: *sub AVGG. renouata 1779.* Qua porro occasione, quibusue de causis illustris haec memoria renouata sit, eadem augusta princeps uberioris complectitur solenni suo diplomate, die XIX. Nouembris A. 1779. signato: quod alio loco, et occasione, si vitam porro produxerimus, vulgaudum referuamus.

duplicatam crucem transmisit, regibus nostris, dum solenni ritu in publicum prodeunt, anteferendam (*a*). Eadem tempestate, cum *Syluester II.* pontifex D. *Stephanum*, ob eximium fidei propagandae zelum, apostolum appellasset (*b*), mos inde postea profluxit, reges Hungariae *apostolicos* dicendi: qui titulus Christiano principi sane quam honorificus, nostra iam aetate A. 1758. per *Clemen tem XIII.* pontificem per elegans breve instauratus ac confirmatus fuit (*c*). Denique quia D. *Stephanus* se, gentemque suam summi Christianorum sacerorum antistitis, sedisque apostolicae pietati, ac protectioni commendauerat, *Syluester II.* id vnum vicissim per literas flagitauit, ut noui reges inaugurationis suae tempore ex ritu ecclesiae fidem orthodoxam, et eam, quam omnes eiusdem ouilis oves pastori suo debent, deuotionem, et obseruantiam profiterentur; nec quidquam porro siue a D. *Stephano*, siue ab illius in solio successoribus lucri temporalis exegit. Qua in re a quorundam pontificum more discessit, qui regnis, sub D. *Petri* protectionem receptis, in ali-

(*a*) *Crucem insuper anteferendam regi, velut in signum apostolatus misit.* Carthuitius pag. 132.

(*b*) Idem ibidem. *Ego inquiens sum apostolicus, ille vero merito Christi apostolus.* Keza quoque editionis Horanyianae pag. 119. *Ego inquir sum apostolicus, ille autem verus apostolus.*

(*c*) Breue hoc edidimus in specimine Heraldicae Hung. pag. 20.

quod clientelae signum, exile tributi genus, quod *denarius S. Petri* audiebat, imposuisse leguntur. Haec omnia, quae mox recensuimus, *Syluester II.* datis ad *S. Stephanum* literis complexus fuit, de quibus *Carthuitius* diserte meminit (*a*). An autem hae eadem plane sint cum illis, quas superiore seculo *F. Leuakouichius* e tenebris in lucem protulit, atque *Inchoffero* in annal. ecclesiast. Hung. vulgandas tradidit, adhuc sub iudice lis est. Quamuis enim harum literarum fides, atque integritas grauibus sane rationum momentis probari possit (*b*), ad euidentiam nihilominus, quod aduersarii exigunt, demonstrari nequit tamdiu, donec vel autographum ipsum, vel saltem authenticum *Sylvestrinarum* literarum apographum in publicum proferatur, vt cum eo exemplar *Leuakouichianum* contendatur. Illud satis est dixisse, nil omnino in *Leuakouichianis* literis contineri, quod non cum *Carthuitii* historia ad amissim conspiret, quod non consentiat illis, quae constante tot seculorum vsu, quam religiosissime apud Hungaros credita, obseruataque fuisse, nemo est, qui possit ignorare. Denique singulare illud legationis apostolicae munus, atque praerogatiuae in bonum eccle-

(*a*) *Benedictionis ergo apostolicae literis cum corona, et cruce simul allatis.* pag. 134.

(*b*) *De literarum Sylvestrinarum fide, post doctissimorum virorum commentarios, utiliter consules Cl. Katona Histor. Crit. Reg. Hung. Tom I. a. pag. 33.*

giae D. Stephano collatae mire conueniunt *Syluestri* II. pontificis indoli, et moribūs, quēm constat ecclesiarum curam, atque protectio-  
nem quam libentissime principibus tradidisse, horumque autoritati, p̄ae quam alii pon-  
tifices, multum detulisse, quod non speraret  
modo, verum etiam confideret, eos poten-  
tia, maiestateque sua in ecclesiae tutelam,  
et commodum usuros (a).

### §. VII.

#### *S. Stephani in regem inaugratio.*

*Astricus* legatione sua p̄aeclare defunctus,  
eodem anno 1000. circa initium mensis Maii 1000.  
in Hungariam rediit, geminaque insignia:  
alterum quidem regiae dignitatis, coronam;  
legationis apostolicae alterum, duplicatam  
crucem, cum literis *Sylvestri* II. pontificis  
D. Stephano consignauit (b): qua laetitia a-  
duce piissimo, quo item plausu a regni or-  
dinibus pretiosa haec dona sint accepta, fa-  
cile quisque arbitrabitur. Ut porro cuncta

(a) Specimen de indole *Sylvestri* II. capere licet ex eiusdem breui A. 1001. ad *Ottонem III. impera-*  
*torem dato*, in quo praeter alia, constitutionem  
pro monasterio monialium Tjeinensium in sua di-  
tione sito ab se editam, ab eodem caesare confir-  
mari orat, his verbis: *vestram imperialem depre-*  
*camur clementiam, ut nostram constitutionem vestro*  
*corroboretis p̄aecepto, et hanc firmetis rogo,,* A-  
pud Cl. Muratorium, Antiquitatum medii aeti T̄o-  
mo V. pag. 991.

(b) Carthujius pag. 134:

ad peragendam summa cum pompa coronationem tempestive apparari possent; dies XV. Augusti, assumptae in coelos Virginis Deiparae sacer, eidem habendae decretus fuit: quo etiam die, Strigonii, eodem anno D. Stephanus, primus Hungarorum rex, Sylvestrina corona inauguratus est. Etsi porro sacram brachii vunctionem, diadematis impositionem, sceptri, gladiique traditionem praescripto ab ecclesia ritu, ac recepto apud Christianos principes more per Strigonensem metropolitam, aut alium aliquem e nominatis iam, consecratisque antistitibus facta fuisse certum sit; quae tamen praeterea pompa, quae item ceremoniae ex parte regni ordinum obseruatae fuerint, nemo ad posteriorum memoriam adnotauit: verum quia Hungaros in diuini protoregis sui institutis religiose custodiendis tenacissimos fuisse nouimus, prudenter credi potest, ea omnia, quae in reliquorum deinceps regum inaugurationibus Albae-regiae vsitata fuisse accepimus, e prima hac coronatione profluxisse (a). Eodem tempore, *Carthutio* teste, Gisela regina coniux non modo sacro oleo peruncta, ac diadematate caput redimita; verum etiam in regni sociam, regiaeque maiestatis communionem a diuo Stephano marito suo assumta

---

(a) Veteris Albae regiae reges inaugurandi moris specimen habes apud Vrsinum Velium *de bello Pannonicco* lib. I.

ta fuit (*a*). Terminatis coronationis vtriusque solenniis, cum diadema, sceptrum, cruce, literasque pontificias; tum etiam gladium, sandalia, ceteraque, quibus tunc S. Stephanus usus fuerat, placuit ad pereinmem eius diei memoriam asseruari: qui thesaurus post conditam Albae-regiae B. V. Mariae basilicam, ibidem in choro repositus, atque collegiatae illius ecclesiae custodis fidei, cu- raeque fuit concreditus; quo loco successorum deinceps regum coronationem haberet decretum fuit. Quanti porro faustissimum suae in regemunctionis, et inaugurationis diem ficeret D. Stephanus, insigni documen- to testatum fecit. Etsi enim mox a patris obitu A. 997. summa cum potestate Hungariae imperare cooperit; annos nihilominus regni sui non ab illius aditu, sed a die coronatio- nis, XV. Augusti anni 1000. in diplomatis, 1000. literisque publicis numerari voluit (*b*): qui mos a reliquis postea regibus, D. Stephani successoribus, per plura continenter secula religiose obseruatus fuit.

997.

(*a*) *Gislam, inquit, nomine sibi matrimonio sociavit, quam unctione chrysmali perunctam, gestantem coro- nam, regni sociam esse constituit.* Cap. II. pag. 135.

(*b*) In literis foundationis S. Martini A. 1001. indi- citione XV, quae in autumnum incidit, vocat an- num regni sui secundum, qui a morte ducis Ge- sae erat quintus. Conveniunt calculo huic literae foundationis episcopatus Quinque-ecclesiensis, et ab- batiae P茅tsuaradiensis, quas vide apud Cl. Koller in Histor. episcop. Quinque-ecclesiensis. Tom. I. pag. 62. et 74.

## §. VIII.

*Vndecim episcopatus a D. rege instituti,  
atque dotati.*

**R**egio auctus honore D. Stephanus, ante ceteras curas omnes, quos prius iam mente descriptos habebat, episcopatus constituere, limitibusque a se inuicem discernere coepit. Erecta *Strigoni* metropolitana sede, nouem praeterea episcopatus eodem tempore condere aggressus fuit, videlicet: *Colocensem*, *Agriensem*, *Quinque-ecclesiensem*, *Vesprimensem*, *Iaurinensem*, *Batsiensem*, *Transsiluanensem*, *Vaciensem*, et *Varadinensem*, (a), atque de hoc tempore loqui censendus est Carthuitius, qui iam ante legationem Romanam, regnum Hungariae in decem solummodo episcopatus, inclusa hoc numero *Strigoniensi* metropoli, diuisum fuisse disertis verbis affirmat (b). Verum numerus hic pau-  
1030. lo serius, anno videlicet 1030. auctus fuit vndeclima ecclesia *Tsanadiensi*, quod eam non prius, quam post deuictum *Ochtum* Bulgarum, ea in regione dominantem, potuerit

(a) De *Vaciensis* vna, atque *Varadinensis* ecclesiae fundatione D. Stephano asserta. Lege Hierarchiae Hung. part. I. pag. 330. et part. II. pag. 87.

(b) Post haec, id est post Cupam deuictum, prouincias in decem partitus episcopatus, *Strigoniensem* ecclesiam metropolim, et magistrum ceterarum fore decreuit. pag. 130.

erigere (*a*). Ut adeo Strigoniensis archiepiscopatus, ac decem insuper suffraganeorum episcopatus non alium, quam D. Stephanum primum suum conditorem venerentur. Porro cum teste biographo S. Gerardi episcopi Tsanadiensis, D. Stephanus duodecim omnino ecclesias in regno suo erigere constituerit (*b*); merito quaeri potest, quonam loco duodecimum, atque postremum episcopatum collocare intenderit. Non erit fortasse alienum a verisimili existimare, eundem de florente olim sub Slavorum dominatu Nitriensi episcopatu instaurando cogitasse, praematuraque morte pias has curas fuisse interceptas. Ceterum denis, quas supra memorauimus, ecclesiis continuo idoneos viros pro ea, qua erat instructus, potestate praefecit antistites: Strigonensi *Sebastianum*, S. Martini abbatem (*c*); Colocensi *Anastasium*, mutato in Hungaria nomine *Astricum*, Pétsuara-dini abbatem (*d*); Agriensi *Katapranum* (*e*);

(*a*) Carthuitius cap. III. pag. 146. Biographus S. Gerardi cap. X. et XI. Huc facit anonymi Belae regis notarii cap. XI. in quo Ochtumi per Sunadum deuicti, atque interfici fit mentio. Ceterum S. Gerardum nonnisi A. 1030. consecratum fuisse discimus ex Chronico Missalis, quod editum a Cl. Koller. vide pag. 402.

(*b*) Cit. biographus S. Gerardi cap. XI

(*c*) Meminit huius Carthuitius cap. II. pag. 137. tum diploma foundationis S. Martini A. 1001 editum.

(*d*) Carthuitius ibidem pag. 130.

(*e*) Cl. Schmitt in episcopis Agriensis Tomo I. et Hierarchiae part. I. pag. 195.

Quinque-ecclesiensi *Bonipertum* (*a*) ; Vesprimiensi *Stephanum* (*b*) ; Laurinensi *Modestum* (*c*) ; plerosque fortasse ordinis S. Benedicti monachos ; *Batsiensis*, *Transsiluanensis*, *Vaciensis*, et *Varadinensis* primi antistites hodieum ignorantur. Quia vero nulli fere ea aetate in Hungaria fuere ecclesiastici, nulla cleri junioris contubernia ; singulis episcopis dati sunt complures ordinis S. Benedicti monachi, qui canonicorum, curionumque facrorum vices obirent, iuuentutemque, praesertim ecclesiastico ordini destinatam, in Latinis literis, cantuque ecclesiastico erudirent (*d*). Atque hinc factum fuit, ut canonicorum contubernia longiore apud nos tempore monasteria fuerint appellata. Episcopis singulis decimae fructuum omnium, quae ante summo apud Hungaros duci ab omnibus pendi consueuerant, suis in dioecesibus col-

(*a*) Cl. Koller in Histor. episcoporum Quinque-ecclesiensium pag. I.

(*b*) Literae foundationis episcopatus Vesprimiensis Hierarchiae Hung. part. I. pag. 260.

(*c*) Speculum ecclesiae Laurinensis, et Hierarchiae part. I. pag. 310.

(*d*) Specimen huius capi potest ex institutione episcopatus Tsanadiensis, teste biographo, cap. XI. qui D. Stephanum sic Gerardo loquentem inducit.  
*Cum clericos, quos constituamus praefules ecclesiasticos, ad praesens non habeamus, in obsequium nostri, tollamus ecclesiarum, ac monasteriorum clericos, et monachos, qui sine ordine ecclesiasticae institutionis, sunt nobis in diuino officio adiutores,,, Igitur ad ipsum regis imperium congregati sunt monachi de diversis regni monasteriis.*

ligendae assignatae sunt (*a*). Bona praeterea, ac praedia amplissima viua solum vocetum quidem fuere attributa, eo utique consilio; vt prouidus futurorum rex vñ ipso experiretur, quantum episcopis ad tuendam dignitatem, munerisque sibi impositi partes omnes rite explendas esset suffecturum. Pluribus itaque elapsis annis, quae variis temporibus pro antistitium necessitate donauerat, in scriptum relata, solennibus literis postea roborauit. Vnde iam ratio reddi poterit, cur fundationales episcopatum litterae tam sero, ac episcopis iam in ecclesiarum, bonorumque suorum possessione existentibus, fuerint editae (*b*). Haec autem latifundia, et bona partim e ducalis domus patrimonio, partim e terris regalibus, partim denique e castrorum regiorum ditione sunt excisa, atque ecclesiis, earumdemque ministris donata: quae quidem hac ratione diuino cultui promouendo consecrata, adeo esse voluit stabilia diuus Stephanus, vt nullo vñquam praetextu, aut colore aquelli, ac in alios usus conuerti possint (*c*). Fatendum quidem est, bona epi-

(*a*) S. Stephani decret, lib II. cap. LII. Illustrantur haec ex biographi S. Gerardi narratione, cap. XI. *Ego autem, inquit rex, comitibus meis praecepiam, vt a populo tempore suo decimas exigant, vt nullum defectum in temporalibus, et aliis rebus necessariis pariamini.*

(*b*) Literae fundationis episcopatus Quiunque-ecclesiensis signatae sunt A. 1009. quo etiam editae sunt Vesprimenses foundationales.

(*c*) Decret. S. Stephani lib. II. cap. I.

fecopatibus collata per ampla fuisse; verum ea non solis episcopis erant deferuitura: alen-  
da erant ex iis canonicorum collegia, quae certe nullam distinctam a S. rege accepere fundationem; sed de praelati sui mensa ale-  
bantur: pars etiam reddituum in stipendia magistrorum, in adolescentes clero idoneos rite educandos, in ecclesiae necessitates, pauperes denique, viduas, et orphanos pro viribus adiuuandos erat conuertenda. Quamquam ad religionis etiam dignitatem, et com-  
modum pertinere existimauit D. Stephanus, vt ecclesiae ministri opibus effent affatim instructi, quo sic nullius indigi, spe, metue sublato, eo securius muneri suo vacarent, eoque liberius sacram officii sui iurisdictio-  
nem in omnes summos aequo, ac infimos exercearent (*a*). Eaedem hae opes necessariae erant, vt episcopi eminenti dignitati suae conueniens decorum possent tueri, quod quidem ubi cum morum sanctimonia, doctrinaeque laude coniunctum est, miram omnibus inspirat sacri ordinis reuerentiam, id quod imprimis diuus rex intendebat, qui etiam, vt eo maiorem praelatis in regno au-  
toritatem conciliaret, primum illis inter re-  
gni ordines locum tribuit, praecipuumque ab omnibus honorem haberi decreuit (*b*). Praeter vndecim, quos diximus, episcopa-

(*a*) Ibidem cap. II. et XII.

(*b*) Decret. S. Stephani lib. I. cap. III. lib. II. cap. IV.

tus, praeter collegiatam ecclesiam Albaregalensem, eximiis plane donis, et prerogatiuis excultam (*a*), alteram item Veterobudae in SS. apostolorum Petri, et Pauli memoriam conditam (*b*), complura praeterea ordinis S. Benedicti coenobia, per S. regem excitata, amplissimisque latifundiis fuere instructa; eo fine, ut sacri hi viri, domi quidem pro regis, regnique salute assiduas ad Deum, bonorum omnium largitorem, preces funderent; foris autem episcopos in verbi diuini praedicatione adiuuarent, atque parochorum, quorum exiguum tum erat numerus, vices obirent: cui piae, sanctaeque intentioni filios S. Benedicti ad amissim respondisse, non est, cur hic multis probemus (*c*). Ad condendas etiam parochias curas suas eo-

(*a*) Hacc recenset Carthuitius cap. III. pag. 139. M. Turotzius P. II. cap. XXX.

(*b*) M. Turotzius cap. XXXI. et LIII.

(*c*) Quanta monachi Benedictini egerint, nominatim in dioecesi Tsanadiensi, disce ex biographi S. Gerardi cap. XI. *Inter praefatos vero monachos erant septem viri literati, et in Hungarica lingua interpretes expediti, scilicet: Albertus, Philippus, Henricus, Cunradus, Crato, Taclo, et Stephanus, qui etiam per se populo verbum Dei praedicabant; per ipsos enim tota Tsanadiensis provincia sacri eloquii flumine exstitit irrigata: hi officium archiepiscopatus habentes, aedificabant ecclesias in urbibus, et in villis „. Archiepiscopatus hic non ita accipi debet, quasi monachi hi consecrati fuissent antistites, verum ob liberam ubique praedicandi facultatem, archiepiscopi, seu archipraedicatorum dicebantur.*

dem tempore extendit sanctus rex. Itaque ne primis illis rei Christianae initiis pau-  
lo grauiore onere populus premeretur, illud  
fancitum fuit, vt villæ decem ad ecclesiam  
parochialeм aedificandam vna concurrerent,  
vestimentorum, vasorum, et ytentilium fa-  
crorum procurandorum curam rex vltro in se  
suscepit; libros autem ecclesiasticos, quibus  
in diuinis ministeriis vsus erat, procurare,  
presbyteros item instituere, ac parochiis  
praeficere, episcopalis munera esse voluit,  
qui vt et pro pastorum dignitate viuere, et  
res praete ei ecclesiae sibi creditae necessa-  
rias curare possint, assignatae illis sunt sessio-  
nes duae, totidemque mancipia, seu subditi  
ad easdem colendas deferuntur; boues VI.  
vaccae duae, minutae pecudes trigintaqua-  
tuor, currulis equus unus, ac alter ibnipes,  
haud dubie, vt adiunctas spirituali curae de-  
cem villas, quoties liberet, citra parochia-  
norum incommodum posset obire (a). Quod  
ad cathedrales, collegiatas, et abbatiales  
ecclesiæ attinet, earum aliquas magno sum-  
tu, plurimumque annorum labore ad apicem  
deductas vidit D. Stephanus; alias autem  
successoribus suis absoluendas reliquit. At-

(a) Decret. S. Stephani lib. II. cap. XXXIV. De-  
cem villæ ecclesiam aedificant, quam duabus man-  
sionibus, id est sessionibus, totidemque mancipiis do-  
tent, equo, et iumento, sex bobus, et duabus  
vaccis, trigintaquatuor minutis bestiis, vestimenta  
vero, et corporalia, et coopertoria rex prouideat;  
presbyterum, et libros episcopi.

que haec fuere ecclesiae Hungaricae incunabula, quae magnis postea creuerunt incrementis, ac hodiedum insignem primi fundatoris sui religionem, regiamque prorsus munificentiam loquuntur.

### S. IX.

*Nova regiminis Hungarici forma introducta.*

Sacras inter curas, profanam etiam rempublicam magno animo ordinare aggressus D. Stephanus, ea, quae ab augustis praefertim Francicis, Germanicisque caesaribus recte sapienterque aliquando instituta erant, diligenter evoluit, quaeque solerti meditatione moribus gentis suae, regnique Hungarici stabilitati opportuna fore didicerat, eadem summa cum prudentia monarchiae suae accommodauit (a), quae profecto iis rerum, temporumque adiunctis instauratione opus habuit. Post Arpadi ducis, primique regni Hungarici conditoris obitum, ut nempe nihil est in humanis stabile, multis partibus labefactatum fuit regni per eum sapienter constituti cor-

(a) Fatetur id ipse D. Stephanus in praefatione ad lib. II. decretorum: *Quoniam unaquaque gens propriis regitar legibus, idcirco nos quoque Deum nutu, nostram gubernando monarchiam, antiquos, et modernos imitantes augustos, decretalē meditatione nostra statuimus genti nostrae, quemadmodum honestam, et inoffensam ducerent vitam. In codicis iuris patrii.*

pus. Summi imperantis principis maiestas aliquantum diminuta erat per immodicam capitaneorum, qui XIV. primorum Hungarorum, Cumanorumue ducum fuere successores, autoritatem, atque potentiam. Cum Hungaria in pauciores per Arpadum diuisa esset partes, capitaneorum quilibet amplissimae praeerat prouinciae, quam etsi vicaria solummodo supremi ducis ptestate regendam acceperant, sensim tamen illius euasere domini. A capitaneis fere pendebat, vt quis ob praeclara bello merita in militum, nobiliumue coetum referretur: illi terras suos inter pro arbitrio partiebantur, dignitatesue distribuebant: ac etiam, cum libuit, impune auferebant, illorum denique iussu, et auspicis miles arma capere, eademque depone-re debuit: quare cum omnium etiam nobilium commoda, atque emolumenta a capitaneorum gratia, ac voluntate profluerent, magis hi, quam summi imperantes, a suis timebantur.

998. Sensit profecto iam A. 998. *Cupae*, capitanei Simegiensis, potentiam D.

*Stephanus*, ad quam proterendam cum vires suas minime pares cerneret, adeo sollicite ad diuinam opem sibi configiendum putauit.

1002. Nec minus A. 1002. eidem iam regi imminebat periculum a *Gyula* iuniore, cognato suo, Transsiluanarum partium capitaneo, qui amplissimae illius ditionis viribus confisus, legitimi principis iugum excusfit, autoritatemque aperte contempsit: praeterquam enim, quod ethnicis vltra modum addictus superstitionibus, decretae per regem euangelii pro-

mulgationi , apostolicorum virorum eiusdem autoritate eo missorum conatibus , ac haud dubie designati Albae Iuliae episcopatus electioni constanter obicem posuerit ; omnia insuper mandatis summi principis contraria constanter egit (a). Qua de causa monitus , cum ferocior redderetur , adeo , vt etiam infestis signis Hungariae fines inuadere , iniuriasque inferre non dubitauerit (b) , arma denique in rebellem expedienda erant . Et fuit profecto legitimi principis causae fortuna , Gyula enim bello victus , captusque , hereditarium iam inde a proauo suo *Tubuto Transsilvaniae capitaneatum* in poenam perduellionis amisit ; ne autem illic res nouas aliquando moliri , publicamque tranquillitatem turbare posset , in Hungariam cum coniuge , et liberis translatus in captiuitate diem suum obiit (c). Gemina haec victoria , de potentissimis rebellibus relata , mirum quantum fregit ceterorum animos ; vt multo iam liberius non sacras modo , verum etiam profanas res ordinare licet S. Stephano. Quapro-

(a) Recte anonymous Belae regis notarius cap. XXIV.  
Nam terram ultra siluanam posteritas *Tubutum* ad tempus S. Stephani regis habuerunt , et diuitius habuissent , si minor Gyula cum duobus filiis suis Biuia , et Buena Christiani esse voluissent , et semper contrarie sancto Regi non fecissent.

(b) Meminit huius chronicon M. Turotzii cap. XXIX. nec ad fidem Christi conuersus , nec ab inferenda Hungariae iniuria conquieuit.

(c) Idem ibidem , et anonymous cap. XXVII.

pter occasione vtendum ratus, nouam corpori monarchico a fundamentis ipsis coepit formam inducere. Quo capitaneorum potentiam diminueret, atque deprimeret, Hungariam, Transsiluaniam, et regionem illam, quae ultra Drauum ad Saui vsque ripas protensa, Sirmio, atque Croatia conludebatur, in sexaginta circiter partes, queis comitatus nomen indidit, sapienter dispescuit, ac *Arpadi* ducis imitatione, princeps singulorum comitatuum castrum, suo cum territorio regis iuribus attribuit. Comitatui cuilibet delectum iudicio suo moderatorem sub titulo *comitis parochiani* praefecit: horum aliqui, qui limitaneis prouinciis praeerant, *marchiones* audiebant: eisdem stipendii loco tertia prouentuum castrri regii pars cedebat, ea tamen cum cautione; ne de ceteris regis redditibus, sub poena dupli, quidquam in vsus suos decerperent (*a*). Etsi autem omnes omnino proprio *comiti parochiano* in iis, quae ad illius magistratum pertinebant, parere voluerit D. *Stephanus*, ne tamen eorum aliquis potestate sua, in aliorum incommodum, impune abuti aliquando posset, certis limitibus, atque legibus officii huius autoritatem circumscripsit. Sic libertas cuiuis data querelas suas, iustas tamen, et aequas, aduersus *comitem* suum ad regem deferendi (*b*); seuerre interdictum, ne quis *comitum* liberum ali-

(*a*) S. Stephani decret. lib. II. cap. XLII.

(*b*) Ibidem cap. XLIII.

quem, ac imprimis nobilem opprimere, aut facultatibus spoliare praesumatur (*a*). Ius ignobilem in nobilium, militum, ac seruentium coetum adscribendi, bonorumque donatione augendi, soli regi assertum; quem ordinem, ut eo arctius regiis partibus autoraret D. Stephanus, id nominatum priuilegii concessit, ut sub nullius alterius, quam regiae maiestatis, vexillo militaret (*b*). Eodem tempore decretum fuit, ut factae per regem bonorum donationes essent perpetuae, idmodi bona, et possessiones hereditario iure transirent ad posteros, neque alia de causa, quam ob laesae maiestatis crimen possint amitti: data insuper omnibus facultas, testamenta de rebus suis aquisitis in ecclesiarum, cognatorum, aut quorumvis aliorum fauorem condendi: id solummodo sapientissimus legislator cautum esse voluit, ut donatario, eiusdemque posteris sine sobole sublatis, auita bona ad regias redirent manus, atque hac ratione familiarum intereuntium non alias, quam rex heres fieret (*c*). Abque his constitutionibus nobilitas Hungarica, per capitaneos antea oppressa, caput efferre coepit, terrarumque ac possessionum suarum proprietatem vna, atque perpetuitatem consecuta

(*a*) Ibidem cap. VI. XX. XXXIII. et XLIV.

(*b*) De nobilium militum ratione militandi vberius egimus superius §. VL. et XVII. in introductione ad nouae Hungariae historiam.

(*c*) S. Stephani decret. lib. II. cap. V. XXIV. et XXXV,

fuit: ex aduerso autem reges Hungariae per stabilitam in deficentium bonis successionem id obtinuere, vt nullo non tempore in promptu haberent bona, quibus citra regalium terrarum, atque reddituum suorum diminutionem, bene de se, et patria meritos praemire, sicut aliorum etiam animos ad confimilium virtutum imitationem possent excitare. De ceteris summorum imperantium iuribus non est, cur prolixius hic agamus, quae profecto augustorum caesarum exemplo D. Stephanus sibi, successoribusque sarta, tectaque esse voluit; talia sunt: bella indicere, fancire cum vicinis foedera, honores, et dignitates in profana non minus, quam sacra republica viris idoneis conferre, leges condere, ac denique de capite, et fortunis subditorum summo iure decernere. Regiae, quam primus Hungariae intulit, dignitatis decoro, atque splendori prospecturus, more apud augustos recepto, nonnullas dignitates instituit, quas, maiores regni baronatus, appellamus (*a*). Senatum pariter regalem e sacris, profanisque viris conflatum erexit, sibi in gubernatione monarchiae consilio, auxilioque futurum: cancellarium denique, vice-cancellarium, notariosque, seu scribas adscivit, quae officia ad Germaniae imitationem ecclesiasticis viris credidit. Porro cum videret D. Stephanus magnam regni partem incolis vacuam squalere; de populi fre-

---

(*a*) Egitimus de his in introductione §. IV.

quentia, vnde maximum reipublicae robur accedit, in Hungariam inducenda follieite cogitauit. Ut itaque exterros ad se pertraheret, aduenas omnes, qui *hospites* dici consueuerunt, *liberos*, ac ab omni seruitute immunes fore declarauit, promissa illis, ne a quoquam opprimi possent, regia protectio-ne (a). Consimili ductus humanitate, curas suas porrexit ad captiuos Christianos, quos Hungari variis bellis in Hungariam abstractos, mancipiorum instar magno numero apud se habebant. Quare hos edicto publico manumitti, ac libertati restitui preecepit: cum autem videret, quosdam ad dimitenda haec mancipia sua paulo esse difficiliores, ipse persoluto dominis litro, captiuos redemit, ac in libertatem vindicauit. Ex his alii, ceterorum instar *hospitum*, tefras a nobilibus sibi locatas colendas suscepere: alii ecclesiarum obsequiis addicti *praedialium* numerum auxere: alii denique ciuilia regis seruitia amplexi, per castra regia distributi sunt, quibus eapropter *vduarnicorum*, siue aulicorum appellatio adhaesit (b). Hac methodo quanta breui populi frequentia Hungariae procurata sit, facile quisque arbitrabitur. Atque haec sunt praecipua D. Stephani instituta, quibus regnum Hungaricum in

(a) Decret. S. Stephani lib. II. cap. XX. Confer hic decret. lib. I. monito VI. Vide item introductio-nis nostrae §. X.

(b) Haec ad mentem Simonis Kezae in appendice §. de *Vduarnicis* editionis *Horanyiana* pag. 117,

meliorem ordinem, formamque redegit, viamque aperuit, per quam Hungaria ad summum potentiae, gloriaeque apicem posset ascendere.

## §. X.

*Conuentus regni ordinum a S. rege celebratus.*

Factis nouae, Christianaeque monarchiae fundamentis, ac, vt rerum, temporumque adiuncta ferebant, multiplicibus mandatis, seu voce, seu scripto per regnum promulgatis, praestolandum sibi aliquot annorum interuallo putauit D. Stephanus, vt vsu ipso competiret, quae vitia in gente sua dominarentur, qui potissimum essent obices, per quos publica regni salus, et securitas impediretur, quo sic malis singulis opportuna posset decernere remedia, legesque variis temporibus a se latas mutaret in melius, clariusque explicaret. Postquam igitur plurium annorum spatio suorum indolem, et mores accuratius 1016. perspexisset, anno deum 1016, primum omnium praelatorum, baronum, procerumque regni conuentum Strigoni celebrauit (*a*). Vbi ea, quae ipse ex Francorum regum capitaribus, aliorumue principum Christianorum constitutionibus cum delectu collegerat,

aut

(*a*) Codex iuris patrii *Strigonium*, quaedam Msp. Tolnam habent, qua de re vide Cl. Péterfi conciliorum Hung. Tom. I. pag. 2.

aut etiam matura cum deliberatione excogitauerat, pertulit; nonnulla vero, per ipsos regni ordines proposita, regia sua autoritate roborauit. Primum igitur, quantum hactenus nobis constat, hoc fuit D. Stephani generale ad omnes decretum, idemque unicum, et si plures ab eodem constitutiones praeterea editas fuisse, vel illud euidenter probet, quod et *Colomanni*, et *Andreae II. regis* decreta quarundam S. regis legum meminerint, quarum in decreto hoc nulla prorsus fit mentione. Porro decreti huius constitutiones aliae ad ecclesiasticam; aliae ad ciuilem subditorum gubernationem pertinent: voluit scilicet pius princeps, ut sacra iurisdictio ciuili; haec vicissim illi assistat, siveque se se mutuo imperium sacerdotiumque adiuuent, ad perficiendam monarchiae Hungaricae felicitatem.

### §. XI.

#### *Praecipuae leges ad ordinem sacram spectantes.*

**E** legibus ad hierarchiam Hungaricam constabiliendam pertinentibus praecipuae sunt sequentes: possessiones, terrae, ac emolumenta, fundationis nomine ecclesiis dicata, rex Hungariae non secus, atque rem suam tueatur; si quis ex aulae ministris ad ea invadenda, aut auferenda consilium aliquando suggereret, et si spectatis ingenii sui dotibus ad regis, regnique obsequium utilis videtur, continuo ab aulae muniis remoueatur;

inuasores autem bonorum ecclesiasticorum non regiam solummodo indignationem incurant, verum etiam a fidelium communione rescidantur (*a*). Qui decimam episcopo suo debitam denegarit, nouem aliis partibus multetur (*b*). Episcopi populum spirituali curae suae creditum iuxta facrorum canonum placita regant: iisdem omnes, et singuli in rebus ad ecclesiasticam iurisdictionem pertinentibus obtemperent; ad refractarios compescendos *comites parochiani* promte, ac fideliter assistant; quodsi autem quis impositam sibi ab episcopo poenitentiam nullatenus subire vellet, regali iudicio denuncietur (*c*). Ecclesiasticis omnibus propterea, quod eam, quae praecipuo loco habenda est, animarum salutis curam gerant, debitus honor, et reuerentia ab omnibus praefestetur, neue fama, et existimatio sacrosancto eorumdem ministerio summe necessaria a malevolis impune laedi possit, nullius laici aduersum eos testimonium admittatur; neque de eorum crimen alibi, quam in sacro tribunali iudicetur (*d*). Ut autem populus Christianus ad praceptorum ecclesiae obseruantiam eo efficacius adigeretur, non sacerdotes solum, verum etiam *comites parochiani* promulgare, commendareque populo iussi sunt,

(*a*) S. Stephani decret. lib. II. cap. I.

(*b*) Ibidem cap. LII.

(*c*) Ibidem cap. II et XII.

(*d*) Ibidem cap. III, et IV.

ut dominicis, festisque diebus omnes, dematis illis, qui ad custodiendam ab incendio domum remanere debent, ad audiendum in parochiali ecclesia missae sacrificium confluant. (a). Illic confabulantes, si magis conspicui fint, ex ecclesia expelli: viliores autem flagellis insuper praeforibus ecclesiae caedi praecipiuntur (b). Seruilem eo die laborem exercentes, si equis, aut bobus laborauerint; boue priuentur, qui communitati ad vescendum cedat: si aliis instrumentis quis usus fuerit; haec una cum vestimentis amittat (c). Vetitis autem ab ecclesia diebus ieunium violantes octidui maceratione plectantur (d). Sine extremorum sacramentorum perceptione propria culpa decedentibus sepultura ecclesiastica denegetur (e).

## §. XII.

*Quae piam leges ciuiles.*

**E** legibus ciuilibus paucas solummodo recensebimus. Quemadmodum nobilitati Hungaricae proprietas, perpetuitasque rerum suarum decreta fuit, ita una constitutum, ut bona, possessiones, praedia suis cum incolis, quae seu ex decessorum ducum consuetudi-

(a) Ibidem cap. VIII.

(b) Ibidem cap. XVIII.

(c) Ibidem cap. VII.

(d) Ibidem cap. IX. et X.

(e) Ibidem cap. XI.

ne; seu D. Stephani voluntate, ad vtile regis Hungarici dominium pertinebant, perpetua manerent, neque vnquam alienari possint: imo vero id iam criminis loco haberetur, si quis aliquid inde sibi studeat a rege imperare (*a*): a qua constitutione, suam *S. coronae bonorum* perpetuitas, ac vt dici amat *inalienabilitas*, dicit originem. De praelatis, et comitibus parochianis ea lex prouide perlata, vt illi quidem ecclesiae suae; hi vero muneri suo attributis castrorum regiorum bonis vita comite libere fruerentur; quin tam en liceat aliquid ex eis dissipare, aut testamento legare (*b*). Qui regi mortem machinatus fuisset, aut patriam hosti prodidisset; aut denique e regno, cui frequentia populi procuranda erat, alio commigrasset, mortis sententia, bonorumue publicatione feriretur; nisi filii a paterno crimine prorsus immunes adefissent, ad quos bona auitica deuoluui sanctum fuit. Consimiles poenae dictatae illis, qui in regis, regniue perniciem coniurassent: hi a fidelium communione rescindi, omniisque asylo carere iubentur (*c*). Ad conseruandam subditos inter, ac regem mutuam concordiam, atque fiduciam, fine qua validissima etiam imperia, laxatis quasi vinculis, interire est necesse, capitis poena decreta *aulae calumniatoribus*. Crimen hoc in

(*a*) *Decret. S. Stephani lib. II. cap. VI.*

(*b*) *Ibidem cap. XXXV.*

(*c*) *Ibidem cap. XXXV. et LI.*

eo situm erat, cum quis per mendaces de maligno regis in aliquem animo narrationes, primores, nobilesque in odium illius excitare conatus fuit, qui, ut lex loquitur, haec vel similia comitum alicui insusurraffet: *audiui regem ad perditionem tuam loqui* (a). Atrocissimum, foedissimumque hoc crimen maximas sub *Andrea I. Salamone*, *Colomano*, et *Andrea II.* regibus turbas in regno exciuit. Infame porro illud affentatorum genus, qui narratis vltro, citroque mendaciis, duos inter primores, ac comites dissidia seruissent, cum multa pecuniaria, tum vero mendacis linguae euulsione scelus suum expiare iussi sunt (b). Qua sanctione necessaria inter ordines regni animorum in communione bonum consensio stabilita fuit. Ut autem subditi monarchiae et sui, et rerum suarum securi viuere possent, leges peropportunae in hunc finem sunt perlatae. Qui casu hominem occidisset, XII; voluntarius autem homicida CX. auripensas multae loco penderet, ac insuper iejunio macerari iubetur (c). Maritus, vxoris interfector, si comes fit, L. iuuencos; si miles, seu nobilis, X; si vulgaris, siue ignobilis V. parentibus, aut cognatis occisae coniugis consignet (d): membrorum mutilatores iisdem et ipsi membris

(a) Ibidem cap. LIII.

(b) Ibidem cap. LIV.

(c) Ibidem cap. XIII. et XVI.

(d) Ibidem cap. XIV;

mutilentur (*a*). Ne porro gladio, quem milites, nobilesque deferre solebant, quisquam abuteretur: qui aduersus alium vel gladium e vagina eduxisset LV. auri pensis multaretur (*b*): si vero ira correptus vulnus etiam alteri inflxisset, tantumdem, quantum homicida voluntarius, id est CX. auri pensas numeraret (*c*). Ad compescendam alienas res inuadendi licentiam statutum, vt si comes domum alterius hostili modo aggressus esset, LV. auri pensis violentiam lueret; si miles nobilis nobilem inuasisset; ipse V. iuuencos; si per alios ad id conductos id egisset, C. iuuencos; ignobilis denique V. iuuencos laeso traderet (*d*). Fures autem, seu plebeiae, seu liberae essent conditionis nonnisi tertio in furto deprehensi ad mortis poenam damnarentur (*e*). Si quis nobilium puellam inuitis eiusdem parentibus in coniugium rapuisset, siue illi postea consentiant, seu non, in poenam raptus, denos boues puellae parentibus daret (*f*). Ut autem consuetudo illa vilibus personis ad libidinem abutendi efficaciter sufferretur, placuit decernere, vt si liber cum alterius serua, seu subdita fornicatus fuisset, semel ac iterum capillis, et barba priuaretur; tertium autem

(*a*) Ibidem cap. XLVII.

(*b*) Ibidem cap. XLIX.

(*c*) Ibidem cap. XLVIII.

(*d*) Ibidem cap. XXXIII.

(*e*) Ibidem cap. XL. et XLI.

(*f*) Ibidem cap. XXV.

Iapsus seruilem ancillæ subiret conditionem, nisi se heri eiusdem arbitrio a seruitute redimat (*a*). Ad pacem, et concordiam inter conciues tuendam, prouide illud statutum, ne quis seruum alterius a famulatu abstrahere, et ad se pellicere auderet (*b*). Denique, vt alia praeteream, secundum ius Romanum interdictum, ne seruorum, aut ancillarum testimonia aduersus heros suos admittentur (*c*). Haæ sunt praecipuae sancti legislatoris nostri constitutiones, primaque iuris nostri patrii rudimenta, quibus quid in nascente tum monarchia Hungarica, et gente recens ad fidem Christianam conuersa vtilius, sapientiusue perferri potuerit, non video: vt adeo mirari subeat audaciam scriptoris Galli haudita pridem editi (*d*), qui non modo leges a D. Stephano latas, vt insanas, impias, inter se pugnantes, aequitati, et iustitiae contrarias esse pronunciat; verum etiam legislator rem ipsum amaro, et acerbo sale traducit. Nos quidem inhumanum, et rerum Hungari-

(*a*) Ibidem cap. XXVI.

(*b*) Ibidem cap. XXI.

(*c*) Ibidem cap. XIX.

(*d*) *Histoire Generale de Hongrie par M. de Sacy a Paris. 1778.* Videat lector speciationem Tom. I. pag. 87. et sequ. item 358, ac denique pag. 362 ubi sic concludit. Je ne m'arreterai point à faire sentir l'absurdité, les contradictions, et l'injustice de la pluspart de ces loix, il suffit de les citer. Au reste le tems a aboli celles, qui étoient injustes, et a respecté celles, qui étoient dictées par la saine politique.

carum non satis peritum scriptorem, neque fidelem legum nostrarum e Latina lingua in Gallicam traductorem, contemnendum potius, quam refellendum existimamus. Longum enim foret, intolerandas calumnias, quas seu regibus nostris, seu toti genti falso appingit, quaeque a viris historiae patriae peritis nullo negotio possunt dilui, hic loci vel recessere. Venerabimur porro, et primum legislatorem nostrum S. Stephanum, et ceteros post eum reges, maioresque nostros, neque eos ob insignia religionis, pietatisque exempla, quae impudens scriptor plurimis locis ludibrio habet, venerari yngquam desinemus.

### S. XIII.

#### *S. Emerici filii in spem regni institutio.*

Crescebat interea in regni spem, par, si coelo placuisse, futurus magno parenti filius, quem *Gisela* regina auspicato partu A. 1007. ediderat, cui in aui, et auunculi memoriam, *Heinrici*, siue *Hemerici* nomen in baptismo datum, quod apud Hungaros abiecta aspiratione *Emericus* efferebatur. Pueritiam, et adolescentiam principis literarum, et doctrinae Christianae praceptoribus diligenter imbutit D. *Gerardus* O. S. Benedicti monachus, Venetiis in Hungariam delatus, vir omnigena eruditione, et insigni vitae sanctimonialiter conspicuus, ac subinde A. 1030. ad Tsanadiensem episcopatum promotus. Praeterea

pater ipse vnicum filium illis, quae ad regendos populos pertinent, artibus summa cum cura erudiebat (*a*). Hodie dum magno in pretio habemus paterna monita, ab eodem in scriptum relata, quae quidem non modo raram pietatem Christianam, verum una etiam eximiam sancti regis prudentiam politicam declarant. Haec pariter monita euitare non poterant paulo acerbiorem citati superius scriptoris Galli censuram. Nam praeterquam, quod piam hanc S. Stephani institutionem pastoralibus episcoporum literis assimilet, quidquid insuper ille de virtutibus Christianis, cum cuius Christiano homini, tum vero etiam summo imperanti exercendis differit, per summum contemtum explodit (*b*). Ad castigandam eiusdem audaciam satis erit summa monitorum horum capita paucis perstringere, ut lector ipse de iis arbitrium ferat. Praemitto itaque exordio, quo tenerum filii animum ad suscipienda paterna monita suauissimis verbis excitat, *Monito I*, ceu primum regalis apud Hungaros dignitatis ornamentum collocat in sacrofaneae fidei studio: *Imprimis praecipio*, inquit, *consulo*, *suadeo*, *fili carissime*, *si regalem honestare cupis coronam*, *vt fidem Catholicam et Apostolicam tali diligentia*, *et custodia conserues*; *vt omnibus tibi a Deo subiectis exemplum praæbeas*, *cuncti-*

(*a*) Institutionis huius meminit Carthuitius cap. IV. pag. 155. edit. Prayanae.

(*b*) Histoire Generale de Hongrie P. I. pag. 358.

que ecclesiastici viri merito te verum Christianae professionis nominent virum; sine qua, pro certo scias, Christianus non diceris vel ecclesiae filius: qui enim false credunt, vel fidem in bonis non implent, et ornant operibus, quia fides sine opere moritur, nec hic honeste regnabit; nec in aeterno regno, vel corona participant. His, post pauca interiecta, breuis fidei formula e citato ibidem Athanasii symbolo decerpta subiungitur. *Monito II.* studiose commendat Catholicae ecclesiae tutelam, praeferit in Hungaria, vbi ea recens nata, nondum adoleuerat. *Haec*, inquit, *fili carissime in nostra monarchia, adbuc quasi iuuenis, et nouella praedicatur, atque idecirco cautoribus, et evidentioribus eget custodibus, ne bonum, quod diuina clementia per suam immensam misericordiam nobis concessit immeritis, per tuam desidiam, et pigritiam, atque negligentiam destruatur, et annibiletur.* Pluribus deinde de ecclesiae dignitate explicatis, concludit. *Per hoc, inquit, fili mi! feruenti studio debes inuigilare, vt sancta ecclesia de die in diem potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur.* *Inde etiam imprimis reges augusti dicitabantur, quia augebant ecclesiam, hoc et tuis facias, vt tua corona laudabilior, et vita beatior, et prolixior habeatur.* *Monito III.* suadet amorem, et obseruantiam erga ordinem pontificum, eo quod hi patrum, seniorumque loco sint habendi, quos Deus generis humani constituit custodes, fecitque speculatores animarum, ac totius ecclesiasticae dignitatis; et divini sacramenti dispensatores, atque datores.

Episcoporum imprimis famae, et existimatio-  
ni peculiari studio consulendum esse monet,  
propterea, quod eos Deus segregauerit ab ho-  
minibus, ac sui nominis, atque sanctitatis se-  
cerit participes: Unde, si, inquit, accedente  
casu culpa reprehensione digna super aliquem  
borum, de quibus sermo est, ceciderit, quod  
ab sit, corripe eum ter, quater inter te,  
et ipsum solum, juxta praeceptum Evangelii:  
si tunc secreta renuerit audire monita, adhi-  
benda tibi sunt publica. Monito IV. in id  
peculiari cura incumbendum esse præcipit, ut  
regni principum, baronum, comitum, mili-  
tum, atque nobilium amorem, fidem, ac  
fiduciam obtineat, horum enim virtute, at-  
que dextris regnum defenditur, aduersarii  
vincuntur, sicque monarchiae fines augentur.  
Illi tibi, inquit, fili mi sint patres, et fratres,  
ex his vero neminem in servitutem redigas, vel  
seruum nomines, illi tibi militent, non seruant.  
Eorum omnibus sine ira, et superbia, atque  
inuidia pacifice, humiliter, mansuete domina-  
re. memoria retinens semper, quod omnes ho-  
mines unius sint conditionis, et quod nil eleuat,  
nisi humilitas; et nihil deicit, nisi superbia,  
et inuidia: si eris pacificus, tunc diceris rex,  
et regis filius, atque amaberis a cunctis militi-  
bus; si iracundus, superbus, inuidus, impaci-  
ficus, ac super comites, et principes ceruicem  
erexeris, sine dubio fortitudo militum hebetudo  
erit regalis dignitatis, et alienis tradent re-  
gnum tuum: hoc timens cum regula virtutum,  
dirige vitam comitum, ut tua dilectione angu-  
lati, semper regali dignitati adhaereant inof-

fensi, et ut tuum regnum per omnia sit pacificum. Monito V. suadet aequitatis, et iustitiae rigorem cum aequanimitate et mansuetudine coniungendum, vt si etiam reis, legumque violatoribus ex iuris placitis poena sit irroganda; id citra impatientiam, aevindictae studium fiat. Quotiescumque, inquit, causa digna iudicari ad te venerit, vel aliquis capitalis sententiae reus, noli impatienter portare, vel cum iuramento firmare, illum punire: quod instabile, et fragile esse debet, quia stulta vota frangenda sunt: vel per te ipsum iudicare, ne tua regalis dignitas usurpatione inferiorum negotiorum foedetur; sed potius buiusmodi negotium ad iudices mitte, quibus hoc commissum est, quod ipsi secundum suam hoc discernant legem: time esse iudex: gaudet vero rex esse, et nominari. Monito VI. adducto Romani imperii, ad quod clarissimi omnium gentium viri confluabant, exemplo, hortatur in id omni conatu enitendum, vt quam plurimi exteri in Hungariam euocentur, omnique humanitate, et clementia foueantur: eo fine; vt multiplices scientiae, artes, et consuetudines, alibi non sine communis utilitate florentes, in Hungariam deruentur. Sicut enim, inquit, ex diuersis partibus prouinciarum veniunt hospites; ita diuersas linguas, et consuetudines, diuersaque documenta, et arma secum ducunt, quae omnia regiam ornant, et magnificant aulam, et perterritant exterorum arrogantiam. Nam vnius linguae, vniusque moris regnum imbecille, et fragile est. Propterea iubeo te fili mi! vt bo-

na voluntate illas nutrias, et honeste teneas, ut tecum libentius degant, quam alibi habitent. Si enim tu destruere, quod ego aedificaui; dispare, quod congregaui, studueris; sine dubitatione maximum detrimentum tuum patietur regnum, quod ne fiat, tuum quotidie auge regnum, ut tua corona ab omnibus augusta habeatur. Documento hoc illis monarchiae Hungaricae initii nil sapientius, utilius dari poterat. Monito VII. vetat, ne ingenio, iudicioque suo iusto plus confusus, quidquam temere, absque aliorum consilio decernat. Matura enim deliberatione, et consilio opus esse, ut rite gubernentur regna, defendatur patria, caute ineantur praelia, reportetur victoria; profligentur inimici, foederibus concilientur amici, domi construantur munitae ciuitates; ac hostium denique praefidia expugnentur: prohibet porro, ne in consilium a rege aduocentur stulti, arrogantes, ac mediocris ingenii, et conditionis homines; consulendos itaque esse maiores, meliores, sapientiores, ac sapientissimos quosque e senioribus. Idcirco, inquit, fili mi cum iuuenibus, et minus sapientibus noli consiliari, aut de illis consilium quaerere; sed a senioribus, quibus illud negotium propter aetatem, et sapientiam sit aptum: nam consilia regum in praecordiis sapientum debent claudi, non ventositate stultorum propagari. Si enim gradieris cum sapientibus, sapiens efficeris, si versaris cum stultis, sociaberis illis. Utilessimum denique principi suggerit consilium: quid quid, inquit, negotii unicuique conuenit aetati,

in hoc se exerceat, scilicet iuuenes in armis, senatores in consiliis: omnino tamen iuuenes non sunt expellendi a consiliis: quoties vero cum illis consilium inibis, etiamsi sit babile, tamen semper ad maiores deferas, ut omnes actus tuos norma sapientiae mensures. Monito VIII. hortatur, vt in gubernanda republika decefforum suorum exempla imitetur, periculoque non carere afferit, si quis ea, quae a decefforibus recte, sapienterque ordinata sunt, contemnat, atque conuellat. Propterea, inquit, fili carissime! edicta patris tui semper tibi sint promtuosa, id est in promptu, vt prosperitas tua ubique regalibus dirigatur habenis: mores quidem meos, quos regali vides conuenire dignitati, sine vinculo totius ambiguitatis sequere. Graue enim tibi est buius climatis tenere regnum, nisi imitator consuetudinis ante regnantum extiteris regum. Quis Graecus regeret Latinos Graecis moribus? nullus. Idcirco consuetudines sequere meas, vt inter tuos habearis praecipuus, et inter alienos, id est exterios, laudabilis. Monito IX suadet cum propriae, tum subditorum salutis causa orandum esse Deum, cuius coelesti ope ad subditos imperio suo populos tranquille, beateque regendos quam maxime indigent summi imperantes: haec autem potissimum petenda esse principi; vt Deus tollat ingenii hebetudinem, qua fit, vt ea, quae pro communi bono agenda sunt, non peripiant, tum vero desidiam illam, et socordiam in gubernando, concedatque do tes, atque virtutes, populorum rectori ne-

cessarias: suggerit ad haec visitatam Salomoni Dauidis filio regi precandi formulam: *emittē Domīre sapientiam de sede magnitudinis tuae, vt mecum sit, et mecum laboret, vt sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore 3.* Reg. 3. *Hac, inquit, oratione vtebantur antiqui reges, tu quoque bac eadem utere, vt Deus cuncta vitia a te dūferre dignetur, vt inuictissimus rex a cunctis nomineris.* Hoc in monito quid prudenter reprehendi possit, non video: ea enim, quae D. Stephanus a Deo bonorum omnium largitore flagitanda esse suadet, non utilia modo, verum etiam necessaria sunt summo imperanti. Sed neque existimet aliquis S. regem, cui multiplices, atque perpetuae regiminiis curae optime perspectae fuere, e filio suo *Emerico* coenobitam, aut anachoretam efformare voluisse, qui, neglecta reipublicae cura, dies, noctesque contemplationi vacet; id solum agebat, vt is mente in interdum ad Deum eleuet, paucisque illius opem imploret. Denique Monito X. atque postremo quasdam virtutes velut praecipua regum diadematis ornamenta complectitur: has inter principe loco ponit pietatem illam, qua caritatem intelligimus, et misericordiam, imprimis erga cognatos, et agnatos regiae domus principes, atque duces, erga domesticos aequae nullo discrimine, atque exterios. *Rex enim, inquit, impietate, et crudelitate foedatus incassum sibi vendicat nomen regis, quia tyrannus est.* Ob hoc ergo filii mi amabilissime! dulcedo cordis mei, spes futurae sobolis! precor, iubeo, vt per omnia,

*et in omnibus pietate, id est caritate, fuitus, non solum parentelae, et cognationi, vel principibus, siue ducibus, siue diuitibus, seu vicinis, et incolis, sis propitius, verum etiam extraneis, et cunctis ad te venientibus.* Commendat postea patientiam, siue longanimitatem, atque clementiam erga summos, et infimos. Constantem animi fortitudinem in prosperis, et aduersis cum vera erga Deum submissione coniunctam. Moderationem praesertim in poenis irrogandis, aequitati, honestatique conformem cum subditis agendi rationem: intemeratam denique animi, corporisque pudicitiam. Iuuat D. regem de his differentem audire: *Patiens, inquit, esto ad omnes non tantum potentes; verum etiam potestate carentes. Sis fortis, ne te prosperitas nimis eleuet, aut aduersitas deiiciat, sis quoque humilis, vt Deus te altum faciat hic, et in futuro. Sis vero modestus, moderatus, et ultra modum neminem punias, vel damnes. Sis mitis, vt nunquam iustitiae repugnes; sis honestus, vt nunquam alicui spontaneum inferas dedecus, Sis pudicus, vt cunctos libidinis foetores, sicut stimulum mortis, evites.* Concludit denique explicata decem monita his verbis: *Haec omnia superius libata regalem componunt coronam, sine quibus valet nullus hic regnare, nec ad aeternum pertingere regnum.* Haec summa est monitorum S. Stephani, quae illius decretorum librum primum constituunt (a).

---

(a) In codice juris patrii.

## §. XIV.

*S. Emerici coniugium, et obitus.*

Talibus igitur monitis vnicum filium suum ad rectam hereditarii regni gubernationem praeparabat sollicitus pater, et quoniam non tanti aetate, quam curis, morbisque confectus sinistra vtebatur valetudine, viuens adhuc coronam, monarchiaeque administrationem in eumdem transferre constituerat (*a*): quin etiam ne quid ad afflictae senectutis suae solatium desideraretur, coniugem illi e Dalmatia accersiri curavit Cresimiri II. regis filiam Chiche dictam (*b*). Quo e connubio dum optatam sobolem, vnicam posteritatis spem, aude praeftolatur; placuit diuinæ prouidentiae alia omnia de Emerico decernere. Primum enim S. Henrici imperatoris auunculi sui exemplo, toto coniugii tempore virginitatem vna cum sponsa coluit, tum vero XXIV. annos natus A. 1031. III. nonas Septembbris 1031. praematura morte e viuis ereptus, sollicitas parentum curas, bonorumque omnium spes momento abrupit. Corpus innocentissimi principis Albam Regiam deductum, in Deiparae

(*a*) Carthuitius cap. IV. pag. 155. Keza pag. 79. edit. Horanyianae. Chronicón Turotzii Part. II. cap. XXXIII.

(*b*) Vide el. Katona P. I. p. 331. Fortasse sub Chiche nomine latet Caecilia Hungaris Czitzely dici olim solita.

Virginis basilica contumulatum fuit (a). Regia coniux *Chiche*, non multo post sponsam fecuta, pariter viuere desiit. Atque sic virilis *Geisae* ducis stirps in *Emerico* nepote interiit. *Otto* enim, et ceteri S. Stephani filii in prima infantia iam obierant.

### §. XV.

*Consilia D. Stephani de rege successore constitudo, Basiliique, Wazul dicti, ducis electio.*

Dolor e tanti filii, eiusdemque vnici iactura potissimum ad D. Stephanum pertinebat, cuius acerbitas adeo corpus omne sensim corruptit, ut ex eo tempore membrorum languore captus, pedum denique usum amiserit (b): animi porro cruciatus multo acerbior fuit, non tam priuatae iacturae causa; quod filium sanctimonia illustrem coelo infertum esse non dubitaret; verum communis regni orbitas, quae nulla iam ratione sarciri posse videbatur, sollicitum optimi principis eor paulo vehementius diu, noctuque affligebat. Sensit nempe destitutum se idoneo successorre, cuius virtuti, fidei, atque pruden-

(a) Probatur id ex lapidis Albae Regiae A. 1734 eruti inscriptione, apud cl. Pray in dissertatione de S. Emerico p. 78.

(b) Testatur id Carthuitius cap. V. pag. 158. Simon Keza pag. 79. Chronicon Turotzii P. II. cap. XXXIII.

tiae conditam a se monarchiam, ac recens introductam religionem Christianam tuto posset confidere. Viro certe et probo, et fortis, ac tali prorsus, qualem in suis ad filium *Emericum* monitis adumbrauerat, opus fuit, qui sancte, salubriterque instituta non tueri modo, verum etiam feliciter posset aboluere. Pro ea igitur, qua in gentis suae bonum ferrebatur, caritate, tristitia, ac gemitibus affiebatur, praesertim propterea, quod nullus videbatur de consanguineis eius idoneus ad hoc, ut eo mortuo regnum in Christi fide conseruaret (*a*). Viuebant quidem tum in Hungaria agnati regiae domus duces: *Wazul*, seu *Basilius*, e *Michaele Geisae* ducis fratre genitus, eiusdemque germani *Ladislai* Calui tres filii: *Andreas*. *Bela*, et *Leuenta*: quos D. rex diligebat impensius, ac in suis ad filium institutionibus, maiorem in modum, verbisque tenerrimis S. *Emerico* diligendos, foveandosque commendauerat (*b*): ad quos ex veteribus *Arpadum* inter, et Hungaros pactis, continuoque eiusdem stirpis ducum sibi mutuo succedentium vsu, ac consuetudine roboratis, regni successio iure spectabat; verum omnes hi, siue sua, siue aliena culpa non eam, quae S. *Emerico* duci impen-

(*a*) *Chronicon Turotzii* cap. cit. Eadem refert Simon Keza. *Nam maxime eapropter, ut de suo sanguine dignus nullus esset, regni corona sublimari, et qui ipso mortuo gentem tam nouellam in fide Catholica posset conseruare.* pag. 97.

(*b*) Capite, et monito X. quod §. XIII. recensuimus.

sa fuit, nacti erant institutionem. Impri-  
mis enim Latinae linguae, quae tum in re-  
gum Christianorum aulis obtinebat, quaque  
negotia omnia domi, et foris peragi oporten-  
bat, ignari fuisse videntur (*a*), praeterea,  
cum sola hac lingua scientiae, et artes omnes  
ea aetate tradi consueuerint, cum ceterarum  
disciplinarum omnium, tum vero illarum,  
quae summis imperantibus necessariae sunt,  
rudes fuisse dubitari nequit. Sed neque in  
tuenda, propagandaque re Christiana tanta,  
quanta iis initii desiderabatur, futuri crede-  
bantur pietate, atque constantia: id quod de  
*Andrea*, et *Leuenta* non immerito timeri po-  
tuisse, euentus postea docuit, vtrumque e-  
nim seditioni, *Vatha* duce in Christianos con-  
citatae, conniuisse exploratum est (*b*). *Ba-*  
*silius* autem vt aetate, ita iure ad folium re-  
liquis vicinior, adeo petulantibus, et lasci-  
uis erat moribus, aut certe adeo grauiter de  
his insimulatus fuit, vt a cognato, et cetera  
mitissimo principe, in carcerem Nitriensem  
coniici debuerit (*c*). Talibus cum essent re-  
giae domus principes praediti moribus, fa-  
cile quisque arbitrabitur, quanta fuerit reli-

(*a*) Bela dux ad ea, quae in Salomonis regis cor-  
onatione Latine dicebantur, intelligenda, interpre-  
te vsus fuisse prohibetur Chronicci cap. XLIV.

(*b*) Biographus S. Gerardi edit. Wioniana cap.  
XIX. Chronicon Turotzii cap. XXXIX.

(*c*) Chronicon cap. XXXIII. *Wazul*, inquit, quem  
recluserat rex propter iuuenilem lasciviam, et stu-  
pidiam, ut corrigeretur. Keza pag. 80.

giosissimi, mortique iam vicini regis de successore eligendo sollicitudo. Quae tum ad remouendos a legitima successione regios principes, ac ex aduerso ad Petrum, sororis S. *Stephani* filium, in solium Hungaricum intrudendum crudeliter acta fuisse referunt chronica nostra, aliquantum implexa sunt, et diffusiore egent explicatione, id quod nos solius veritatis studio diligenter praestituri sumus. Factionum, quibus sub idem tempus aula Hungarica, et regnum omne miscebatur, scriptores domestici autorem facere velle videntur *Giselam* Bauaram reginam, S. *Stephani* coniugem (*a*). Quam tamen constans illius pietas, et sanctimonia cum domesticorum, tum exterorum scriptorum testimoiiis commendata, a turpibus idmodi artibus fatis, superque absoluunt, ac nos ipsi paulo inferius idoneis rationum momentis id ipsum facturi sumus. Itaque magnopere nobis probatur doctissimorum virorum opinio, qui ea omnia *Giselae* quidem reginae, non tamen Bauarae; sed alteri, S. *Stephani* sorori, attribui oportere pronunciant (*b*). Haec enim, quia regis *Petri* mater fuit, pro recepto apud Hunga-

(*a*) Simon Keza cap. II. pag. 80. Chronicon cap. XXXIII. et XXXIV. His consentire videtur Albericus, monachus trium fontium, in chronicō ad A. 1010. Sed illa *Gisela regina*, ut dicunt, *multas maritias in terra illa, Hungaria, fecit*.

(*b*) Lege cl. Pray in dissert. crit. de S. Ladislao, pag. 130. Cl. Cornides in Genealog. Reg. Hung., pag. 299.

ros more, pariter regina dici consuevit. cum igitur *Giselae* reginae nomen in vetustioribus chronicis et *Simon Keza*, et *Turrotziani* chronicis scriptores primi legissent, nominis similitudine decepti, nec *Giselam* reginam Bauaram a *Gisela* Hungara, ut oportebat, distinguentes, occasionem nacti sunt, crimina huius illi appingendi. Porro *Gisela* Hungara, filia fuit *Geisae* ducis e Sarolta Transsiluana coniuge, soror S. Stephani, *Ottoni Vrfeolo*, Venetiarum duci, collocata, ex quo Venetiis in lucem edidit *Petrum*, ab Hungaris a loco natali *Venetum* appellatum (*a*). Haec demortuo *Ottone* marito, seu sponte sua, seu fratri invitatione in Hungariam cum filio reuersa, tranquillam aliquamdiu vitam egit: at postquam vnicus fratrī filius S. *Emericus* obiit; postquam antistitum nonnullorum, ac regni primorum, quorum pars potior ex aduenis constabat, alienos a regiae domus principibus sensit animos, in spem venit ambitiosa mulier, *Petri* filii ad solium Hungaricum evehendi: quo ut ei viam ster-

(*a*) Testem prae ceteris habemus Andream Dandulum in chronico Veneto lib. IX. cap. II. apud Muratorum script. rer. Italic. Tom. XII. pag. 235. *Otto Vrfeolo defuncto patre, praeesse coepit anno D. N. I. C. MIX. -- erat quippe annorum fere XVIII. dux; quo tempore filiam Geisae regis Hungarorum, et sororem S. Stephani successoris duxit uxorem. Ex domesticis Simonem Kezam: Petrum Venetum, filium sororis suae, cuius pater dux fuerat Venetiarum. Ceteros testes vide apud cl. Cornides Genealog. Reg Hung. pag. 167. et sequ.*

neret, illud imprimis a fratre impetravit, ut eumdem stipendiariae militiae regiae ducem cum imperio praeficeret (*a*): quo in magistratu collocatus, rege iani constanter aegrotante, lectoque affixo, facile sibi et autoritatem apud regui ordines comparare, et amicos clientesque conciliare poterat: quod certe iuuenem regni ambitu suapte laborantem, et matris instigatione animatum non indiligenter egisse, pro certo tenendum est. Ipsa *Petri* mater praelatorum, et regni primorum tam aduenarum, quam Hungarorum captare animos, benevolentiam aucupari, eas denique, queis quisque mouendus videbatur, cuique adhibere machinas; sic conciliatis multorum in *Petri* fauorem studiis, D. Stephani animus vndique, et idemtide oppugnari coepit: futurorum vltra modum anxio, et de religionis Christianae stabilitate vehementer sollicito principi explicabatur periculum; ne euersa re Christiana gentilismus in Hungaria resurgeret, si cui e regiae domus Hungaricae principibus summa rerum ab eius morte committeretur: eorumdem indoles non satis edomita, et vitia tetricimis depingebantur coloribus; atque tum fortasse dux *Basilius*, in quem propenso admodum videbatur ei. animo D. Ste-

(*a*) Chronicon Melicense. M. S. a cl. Pray in anal. reg. Hung. Tom. I. pag. 40. citatum, aij de Petro: *quem in Venetia genitum ad se vocatum eam dudum exercitui suo praefecerat ducem.*

*phanus*, adeo grauiter instimulatus fuit, vt ad carcerem Nitriensem damnatus fuerit. Laudabatur ex aduerso *Petrus*, qui, quod a Christianis parentibus in lucem editus, diligenter a teneris in fidei sacrosanctae placitis institutus, literis item, et moribus principe dignis apprime excultus esset; saluam eo imperante fore fidem, et ecclesiam, saluam monarchiam Hungaricam, omnes summa cum fiducia pollicebantur. Evidem religionis, quae quam maxime cordi erat S. *Stephano*, opprimendae periculum, ac tot millium animarum salutis aeternae iactura, grauia erant religiosissimi principis animo rationum momenta, vt *Petrum*, sororis *Giselae* filium, agnatis suis anteferret. At enim pacta solennia conculcare, legitimos heredes, quos ipse ex animo diligebat, ab aucto regno perpetuo excludere, ac, cum irreparabili eorumdem injuria, hominem exterum in solium intrudere, horrendum crimen, ac non modo a iustitia, verum etiam humanitate alienum apparebat, quod nec Hungari ipsi veteris moris, veterumque pactorum tenaces impune essent latruri. Cum itaque a tam immanni scelere abhorreret iustitiae amantissimus princeps, insuper habitis et *Giselae* sororis, et aliorum *Petro* adhaerentium suasionibus, *Wazulem* denique, seu *Basilium* patrui sui, ducis *Michae- li* ex *Adelbaide* Polona, vt suo loco meminimus, filium, suum in regno successorem nominare decreuit. Quem in finem cuidam *Budge*, filio *Egyruthi*, in mandatis dedit, vt summa cum celeritate Nitriam properaret,

regiumque principem e carcere exemptum in aulam reduceret, promulgandum solenni ritu regem Hungarorum, seque adhuc viuo primo quoque tempore inaugrandum (*a*).

### §. XVI.

*Giselae, sororis S. Stephani, atrox in domum regiam coniuratio.*

In expectatam hanc D. Stephani de duce *Basilio*, regni herede constituendo, voluntatem, et decretos iam haud dubie ad illius coronationem apparatus, postquam *Gisela* Hungara soror eius intellexisset, grauiter iam aegrotantis regis imbecillitate abusa, ut telam, quam feliciter ora erat, pertexeret, extrema omnia pro filio tentare statuit. Multos iam ex regni primoribus, ipsisque regiae aulicis ad mulieris partes tum transiisse, vel inde coniicere licet, quod eum ipsum *Budam*, cui tamquam fidelissimo sibi homini, *Basilii* e carcere eliberandi prouinciam rex demandauerat, suos inter numerauerit. Cum

(*a*) Consentunt in eo scriptores patrii Simon Keza pag. 79. *Misit*, inquit, *rex nuncios festinanter*, qui *Wazul filium sui patruelis*, patrui Michaelis, *de carcere Nitriæ educeret*, quem *ipse post eum regem faceret super Hungaros*. *Chronicon M. Turtzii cap XXXIII.* *Misit festinanter nuncium scilicet Budam filium, Egyruth, qui Wazul patruelis sui filium „ de carcere Nitriæ educeret, et ad se duceret, ut eum, antequam moreretur, regem constitueret.*

hoc igitur, atque aliis eiusdem farinae hominibus, habito clam consilio, inhumanum plane, et atrox facinus est aggressa, quod fidem superaret, nisi domestici scriptores vno illud ore confiterentur. Ut enim, aemulis omnibus de via sublatis, certam redderet filio *Petro* successionem, *Basilium* imprimis, designatum iam regem, tum vero ceteros regiae domus principes: *Andream*, *Leuentam*, et *Belam* aut e viuis deturbare, aut certe ita membris mutilare decreuit, ut regno prorsus inhabiles redderentur (*a*). Quapropter regis mandata anteuersura, memorati *Budae* perfidi hominis pessimum filium, comitem *Sebum*, festinatis itineribus Nitriam praetire iussit, qui sceleratae mulieris votis obsecutus, vbi in carcerem admisus fuit, *Basilio* principi nil sinistri ominanti, quin potius libertatis suae momentum cum gaudio praestolanti, effosso per summam barbariem vtroque oculo visum; dein vero magna vi plumbi in aures immissa, auditum ademit, patratoque criminis, asylum quaesitus, in Bohemiam secessit. Sic geminis, qui summo imperanti quam maxime necessarii sunt, sensibus orbatus *Basilius* per superuenientes paulo serius nuncios regios e carcere extractus,

(*a*) Non Wazulem solum, verum etiam Ladislai Calui filios ad iecum destinatos fuisse, vel inde patet, quod, cum eis postea D. rex fugam suaderet, causam adiecerit, ut sic sibi salutem, et corporum suorum servarent integritatem. Chronicus cap. XXXIII. sub finem.

ad aulam reductus fuit. Quem vbi D. Stephanus aspexit, maleficiumque intellexit, infasti principis commiseratione tactus, in amarissimas prorupit lacrimas (*a*). Quamvis autem eius ministros, seu ex Basilio ipso, seu ex aliis discere poterat; quia tamen grauissima prohibitus aegritudine, lecto se mouere nequibat, non erat iam eius seu autoritatis, seu potestatis, ut tanti criminiis reos meritis afficeret suppliciis (*b*). Eadem tempestate detecta fuit S. Stephano coniuratio contra tres *Ladislai* Calui filios inita, quibus cum aeger admodum et animo, et corpore diuus Stephanus tutelam, securitatemque domi illis rerum, temporumque rationibus praestare se non posse cerneret, quo interea saeuienti iam tempestati subducti, vitae, membrorumque integritatem tueri, melioraque tempora alibi possent praestolari securi, autor eis fuit, ut nulla interposita mora, ex Hungaria, intestinis factionibus labo-

(*a*) Simon Keza pag. 80. paucis haec omnia completitur. *Quo auditio Kisla regina habito consilio infidelium, nisi comitem Sebus, qui regis nuncium praeueniens, Wazul oculos effoderet, auresque eius plumbi infusione obturaret, fugeretque abinde in Bohemiam, quem cum tandem regis nuncius ad regem adduxisset, amare fleuit super casu, qui acciderat.* Idem refert chronicon M. Turotzii cap. cit. nisi quod inter infideles nominet Budam, ac comitem Sebum huius Budae filium fuisse affirmet.

(*b*) *Impediente, inquit chronicon cap. cit. aegritudinis molestia, debitam poenam malefactoribus inferre non potuit.*

rante, excederent, ac ad vicinam regionem aliquam clam se reciperent (*a*). Illi dicto audientes, ne a *Giselae* Hungarae coniuratis possent intercipi, facto per Bohemiam circuitu in Poloniā denique, vnde auia eorum *Adelhais* ortum duxit, feliciter euasere. Hic postquam *Bela* Pomeranorum ducem, Polonis rebellem, singulari certamine congressus interfecisset; *Rixa*, *Miccisla* Poloniae ducis

**1034.** A. 10341 denati vidua, rerum illie pro filio Casimiro potiens, filiam ei suam *Richsam*, aliis *Richesam*, coniugem dedit, dotisque nomine et ditiones multas, et censum a Pomeranis annue solui solitum assignauit (*b*). *Andreas* autem, et *Leuenta* fortunam meliorem alibi quaesituri ad aliquem e Russiae ducibus, matris suae itidem Russae seu patrem, seu

(*a*) Simon Keza pag. 80. *Conuocatis ergo ad se Andrea, Bela, et Leuenta filiis Zér Ladislai, consuluit eis, ut in Bohemiam fugerent festinanter.* Chroaicon cap. cit. *Conuocatis itaque filiis Calvi Ladislai patrui, patruelis sui, scilicet Andrea, Bela, et Leuenta consuluit eis, ut, quanto citius possent, fugerent, ut sibi salutem et corporum suorum seruarent integratatem.* Illi igitur salubri consilio regis aquiescentes, a facie malorum, et dolosorum in Bohemiam fugerunt,

(*b*) Chronicon cap. XXXVIII. Cromerus item rer. Pol. lib III. nisi quod Miskae, seu Miccisla II. duci substituenda sit Rixa ducissa vidua, quae et viuo adhuc marito, et demortuo, summa cum potestate Polonis imperauit aliquamdiu pro filio Casimiro I. per quem stirps regum Poloniae feliciter propagata, tribus et amplius seculis perdurauit.

germanum, seu cognatum denique abiere (a). Hic eos cum plures alii ex Hungariae dynastis, submisso clam subsidio, exules aluere, tum vero, quam liberalissime quidam *Wiska* nomine, *Bua* item, et *Bukna*, filii *Gyulae* iunioris Transsiluanarum partium capitanei, A. 1002, vt alibi iam narrauimus, per S. 1002. *Stephanum* regem exauktorati, quos piissimus rex, quod a paterno crimine immunes erant, amplissimis in Hungaria donauerat latifundiis, quique *Petro* postea Hungaris imperante, plurimum operae in eo colloca- runt, vt *Andreas* dux ad auitum regnum reuocaretur (b). Haec tum fuit regni Hungarici facies: haec coniurationis ad *Basilium*, Caluique *Ladislai* filios a folio remo- uendos concitatae historia; vnde *Basilii* per summam barbariem luminibus, auribusque

(a) Simon Keza cap. III. pag. 88. Chronicon cap. XXXIX.

(b) Chronicon cap. XXXIX. *Eo tempore quidam magnates Hungariae desolationem regni gementes, et liberationem Hungariae a tyrannide Petri cupientes Endrae, Belae, et Leuentae, qui de genere S. Stephani regis progeniti erant, intemeratam fidelitatem seruabant, et eis per nuncios bona, quae habere poterant, mittendo fideliter seruiebant. Erant autem isti magnates *Wiska*, *Bua*, et *Bukna*, et alii eorum cognati, qui semper cum suspiriis, et genitibus expectabant opportunum tempus, quando Andream, Belam, et Leuentam possent reducere, et regnum generi S. Stephani regis, qui eos dilexerat, et exaltauerat, omnibus viribus suis restituere la- borabant.*

orbat; ducum autem ex Hungaria fugae cau-  
fae possunt intelligi: quae quidem, quia  
*Keza*, et *Turotzius* tam apertis verbis, et  
repetitis vicibus enarrant, ex vetustioribus  
chronicis, et monumentis eadem descripsisse,  
minime vero ingenio suo confinxisse censem-  
di sunt. Doctissimorum virorum imitatione,  
eam nobis toto hoc opere sectandam legem  
posuimus, ut nostratis scriptoribus, cum  
domestica ab exteris praetermissa referunt,  
plurimum fidei deferamus; neque res mo-  
menti grauioris, ad publicum regni statum  
pertinentes, vnamini consensu narrantium au-  
toritati exterorum scriptorum silentium,  
aut dubiae, vel etiam ob contraria partium  
studia suspectae narrationes vnam officiant:  
combinandi, emendandique sunt domestici;  
non item penitus reiiciendi. Sed neque pla-  
cet nobis eorum opinio, qui in poenam cri-  
minis, aut occultae alicuius molitionis, *D.*  
*Stephani* regis imperio; aut, si is aegritudi-  
nis causa nil iam agebat, *Giselae* Bauarae re-  
ginae autoritate, *Basiliu*m oculis; ceteros  
duces exilio multatos fuisse suspicantur (*a*).  
Nam quod tandem crimen tam atrox a *Basilio*  
admissum est? Si patriis scriptoribus fides,  
soliu*s iuuenilis lasciuiae et stultitiae* arguitur,  
per carcerem Nitriensem satis, superque cor-  
rectae, ob quam ab auita successione exclu-

(*a*) Stiltingus in vita S. Stephani N. 435. Cl. Ka-  
tona Histor. crit. reg. Hung. Tom. I. Quaestione  
LXXXI. et II. a pag. 402.

di nullo profecto iure potuit. Quodsi ad tuendam grauissimae illius poenae, quae infelici duci irrogata fuit, aequitatem nouum quis crimen verosimiliter comminisci velit, aliud profecto illis rerum adjunctis accommodatum vix excogitari poterit, ac quod fortasse *Basilius* dux, viis *Gislae* Hungarae in se, ac totam domum ducalem odiis, apertisque ad intrudendum folio *Petrum* moliminibus detectis, ipse pariter rem suam diligenter curare, clientes amicosque autorare instituerit, quorum opera, dissipata factione aduersa, certam sibi redderet in hereditario regno successionem. Quod cum egit, cum sceptrum iure nascendi domui suae debitum quaesivit, quod obsecro commisit facinus, oculorum, aurium, ac regni denique iactura expiandum? verum non desunt, qui *Basilium*, ac *Ladislai* Calui filios illius etiam coniurationis autores faciunt, quam nobilissimi quatuor *palatini*, non vtique *proreges*, sed palatii regii officiales, atque comites ad ae-grotantem D. *Stephanum* e vita deturbandum, non multo ante eius mortem tempore, iniuisse traduntur (*a*). Horum unus audacior ceteris, sub primas noctis tenebras, regium cubile ingressus erat, inermem, lectoque affixum regem iugulaturus; verum diuina prouidentia factum, vt gladius, quem sub clamyde gerebat reconditum, magno edito

(*a*) Cl. Katona Histor. crit. reg. Tom. I. Quaest. LXXX. pag. 400. et sequ.

strepitu corrueret: cuius cum causam rex sciscitaretur, nefarius homo sceleris poenitidine tactus, in genua prouoluitur, detectaque coniuratione veniam deprecatur. Ille pro ea, qua semper fuit clementia, reo confidenti vltro ignouit, ceteris coniuratis, incertum tamen quo poenae genere, multatis. Haec porro ad verbum *Carthuitius*, quin tamen vlliis e regiis principibus vel a longe meminerit (*a*). Quodsi vel *Carthuitio*, vel idoneo alio teste probaretur, coniuratio-  
nis huius vel autores, vel saltem conscos fuisse regiae domus principes, vltro con-  
cederemus, in attentati parricidii supplicium,  
seu D. Stephani regis, seu *Giselae* reginae,  
regni sociae, seu aliorum denique iudicum  
sententia, iure *Basilio* effosso oculos; iure  
item reliquis perpetuum e patria exilium  
fuisse dictatum. At quoniam neque ex *Car-  
thuitio*, qui vnicus atrocis huius conspiratio-  
nis meminit; neque ex aliis domesticis ae-  
que, ac exteris scriptoribus, vel leuissima  
de nouo hoc ducum criminis suspicio potest  
erui, religioni nobis ducimus, tam horren-  
di sceleris regios principes reos facere. Imo  
vero potiori iure hanc etiam in sanctissimi  
regis caput coniurationem *Giselae* Hungarae  
audemus attribuere, quae enim, testibus  
chronicis nostris, ruptis sanguinis vinculis  
in cognitorum suorum excidium acheronta  
mouit, facile ad fratrī quoque, qui *Basi-  
lio*

---

(*a*) In vita S. Stephani pag. 158.

lio regni herede nominato, nefariis eius consiliis obicem posuerat, interitum gradum facere poterat. Accusationem hanc nostram idoneis firmabimus rationum momentis. Conjuratio haec, si vere a *Carthuitio* relata est, ad illud tempus commode affigi posse videatur, quo D. *Stephanus*, ut se a molesta quorundam pro *Petro* interpellatione expediret, *Basilium* ducem e carcere Nitriensi ad aulam adduci iussit, quo eum decefforum suorum Hungariae dueum imitatione, viuens adhuc in hereditario solio collocaret. Ad hoc igitur impediendum *Gisela* Hungara, *Petri*-que fautores extrema tentare ausi, *Basilium*, ceterosque duces aut perdere, aut regno inhabiles reddere; regem autem, ne atrocia ea crima vindicaret, neci dare constituerint. Certe quamdiu vera erit scriptorum domesticon rum consentiens narratio de sincera S. *Stephani* ad *Basilium* successorem instituendum voluntate, de studio item *Andreae*, *Belae*, ac *Leuentae* ducum saluti per fugam e regno consulendi, nullum sane tempus assignari unquam poterit, quo regiae domus principibus vel leuis causa, et occasio fuisset oblata vitae regis sui insidias struendi. Mala haec omnia, quibus tum regnum Hungarianum agitatum fuit, scriptores domestici nominis, vt iam superius indicauimus, similitudine decepti *Gisellae* reginae, S. *Stephani* coniugi, adscribunt, verum nos eam ob insignem morum probitatem, vitaeque sanctimoniam ab omni crimine eo libentius absoluimus, quod constet, illum a morte mariti viduitatis suae dies san-

ete, ac tranquille in Hungaria exegisse, naturalique morte defunctam, in dotata a se Vespriensi basilica honorifico tumulo fuisse conditam (*a*); quae si in excaecando *Basilio*, in eiiciendis e regno *Andrea*, *Bela*, et *Leuenta* ducibus, in *Petro* denique ad solium Hungaricum euehendo, praecipuas egisset partes; haud scio, an sub *Samuele Aba* rege, aut sub initia regni *Andreae*, urentium in quosuis *Petri* fautores Hungarorum vindictam evasisset: quo tempore tot caedes impune patratae sunt, ut neque numerus interemotorum iniiri potuerit (*b*). Quapropter coniurationes illae, quibus aulam regiam, vniuersamque rem publicam perturbatam patrii scriptores meminerunt, alteri *Giselae Hungarae*, *Ottonis Vrseoli Venetiarum* ducis viduae, et S. *Stephani* sorori apprime conueniunt; huic quippe quam maxime vtile fuit, vniuersos regiae domus Hungaricae principes opprimere, vt sic sublati aemulis omnibus facilior esset *Petro*, eius filio, ad solium aditus: Hanc idmodi machinis agere oportuit, quod videret S. *Stephanum*, fratrem suum, induci non posse, ut virili sexu Arpadiano superstite, *Petrum* heredem

(*a*) *Hermannus Contractus apud Henricum Canisium Tom. III pag. 262.* *Huius S. Henrici imperatoris soror Gisela*, *S. Stephano regi Hungariorum*, *in coniugium data*, *eleemosynis*, *ceterisque bonis operibus inibi*, *in Hungaria*, *intenta consenuit*. *De obitu*, *et loco sepulturae Giselae* *lege Cl. Pray. dis fert*. *de S. Ladislao* *a pag. 114.* *Item Cl. Cornides genealog. reg. Hung.* *a pag. 265.*

(*b*) *Chronicon cap. XXXVI, VII.IX. et XL.*

scriberet. Talia vero aggrediendi audaciam praebuit, quod plurimi e primoribus aduenae, aulaeque ministri ab illius stabant partibus, stipendiarii regii milites omnes *Petro* adhaerebant, rex denique aliquot ante mortem annis aeger decumbebat, neque omnia, quae scire eius intererat, e suis rescire, neque ea, quae voluerat, executioni dare poterat. Haec illa est regina *Gisela* Hungara, quam exteri scriptores multa mala in Hungaria perpetrasse, ac post S. *Stephani* obitum, ita exigentibus eius demeritis, imperfectam fuisse affirmant (*a*). Quae caedes haud dubie tum acciderit, cum *Petro* exautos rato, *Samuele*que electo, comes *Buda*, eiusdemque filius *Sebus*, praecipui *Giselae* Hungarae consillorum administri, ac plurimi alii *Petri* fautores crudelem in modum trucidati sunt (*b*). Ut vituperium hoc, ita neque violentae mortis genus *Giselae* Bauarae regiae tribui potest. Denique ne quid dissimulemus: si quis in mentem reuocet, *Petrum* perpetuis suorum odiis, et seditionibus exagitatum, regnoque ejectum, effossis demum

(*a*) *Albericus*, monachus trium fontium, in chronicō ad A. 1010 refert. Sed illa *Gisla* regina, ut dicunt, multas malitas in terra illa, Hungaria, fecit, et ex extremum post mortem S. regis meritis exigentibus imperfecta est. Eadem habet chronicon magnaum Belgicum. Vide Cl. Cornides a pag. 299: et Cl. Pray dissert. de S. Ladislao a pag. 130.

(*b*) Chronicō Turotzii cap. XXXVI. Simon Keza §2. et §3. edit. Horanyanae.

oculis acerbissimos inter cruciatus vitam finiuit, diuinam agnoscet nemesin, quae coniurationem in S. Stephanum, regiosque principes, Petri vnius causa suscitatam, ac imprimis Basili excaecationem, consimilibus poenis vindicatum iuit. Haec paulo prolixius, quam instituti nostri ratio postulabat, hic loci persequi placuit, eo potissimum consilio, ut suffragantibus domesticis scriptoribus, Keza, atque Tarotzio, Andreae, ac Belae ducum, postea vero regum, famam pro viribus tueremur, inustamque sanguini illi, qui CCC fere annis Hungaris cum laude imperauit, notam abstergeremus.

## §. XVII.

*Vltimae S. Stephani curae, et obitus.*

Perturbatis hunc in modum, vnius mulieris ambitione, et aulae Hungaricae, et totius regni rationibus, D. Stephanus defientibus in dies viribus, proximam sibi instare mortem persentiscens, episcopos, et eos ex regni primoribus, quos Christianis sacris addictos esse nouerat, ad se euocauit, quibuscum ante omnia de idoneo successore constituendo consilia iniret (a). Ardua profecto fuit iis

(a) Carthuitius cap. V. pag. 159. Tandem per misericordiam Dei dignus cencuplicari retributionis braui S. Stephanus, ractus febri, cum sibi diem transitus imminere non ambigeret, accersitis episco-

terum adiunctis de grauissimo hoc negotio de-liberatio: non ignorabat S. rex, principatum apud Hungaros familiae Arpadianae esse hereditarium, seque sine sobole decedente, regni successionem ad patrui sui *Michaelis posteros superstites deuolui oportere*, a qua sine grauissima iniuria nequeant excludi: at enim *Basilius* oculis, auribusque foedum in modum orbatus, et si adhuc in viuis fuisset, minime iam regno idoneus fuit: duces reliqui, ad quos post *Basilium* succedendi ius spectabat, ut vitae, membrorumque suorum saluti, atque integritati structas euitarent insidias, rege ipso autore, fuga ex Hungaria elapsi, procul iam tum domo aberant, neque tam cito reuocari poterant. Ex aduerso regni primores Christiani, aduenae plerique, aut aduenarum filii, vni fauebant *Petro*; consentiebant cum his episcopi, qui tum fere omnes exteri: Itali, Germani, et Bohemi fuere, atque ab eligendo e domesticis principibus rege, religionis potissimum causa, abhorrebat; nisi *Petrus* successor constituetur, nascentis ecclesiae Hungaricae ruinam, certo certius fecuturam uno ore vaticinabatur; eo quod non omnes adhuc Hungari Christiana sacra erant amplexi, multique etiam ex iis, qui metu inducti, baptismum

*pis, et primis palatii de Christi nomine gloriabantur, primum cum eis tractauit de substituendo pro se rege, deinde paterne monuit illos Catholicam fidem obseruare.*

suscepserant, clam gentilismo adhaererent (<sup>a</sup>). Res ipsa loquitur agitatas tum fuisse quæstiones grauissimas; an, cum subest religio-  
nis Christianæ euertendæ periculum, legi-  
timus successor a regno excludi, eidemque  
exterus, illi tuendæ idoneus, possit substitui?  
an mutata iam religione, noua dignitate re-  
gia per D. Stephanum introducta, veterum  
pactorum gentiles inter Hungaros, et Ar-  
padi stirpem solenniter initorum vis, et ob-  
ligatio desierit: de quibus magna in ytram-  
que partem rationum vi, et animorum con-  
tentione in ultimo illo apud D. Stephanum  
senatu disceptatum fuerit: quam porro par-  
tem religiosissimus, aequitatisque studiosissi-  
mus princeps tum amplexus fuerit, non  
ita primum est definire. Si enim vera sunt,  
vt re ipsa haberi debent, ea, quae chronica  
domestica ynanimi confessione testantur, de  
Basilio iam antea regni successore constitu-  
to, de acerbissimo S. regis ob eundem ex-  
caecatum dolore, de paterna denique ad An-  
dream, Belam, et Leuentam duces discrimi-  
ni eripiendos sollicitudine; haud scio, an  
quis induci poscit, vt credat, diuum Ste-

(a) Hinc anxius ille timor D. Stephani, quem chrono-  
nicon describit cap. XXXIII. - - - tristitia, et ge-  
mitibus afficiebatur, praesertim propterea, quia  
nullus videbatur de consanguineis eius idoneus ad  
hoc, ut, eo mortuo, regnum in fide Christi conser-  
varet, pronior enim erat gens Hungarica ritui pa-  
ganico inclinari, quam fidei Christianæ. Consi-  
milia his refert Simon Keza pag. 79.

*phanum regiae domus stirpem virilem hereditario suo ad regnum iure in perpetuum spoliare voluisse, ac in id sponte consentire potuisse, vt homo exterus legitimis heredibus anteferretur. Id enim et regis, et congregatorum illic antistitum, atque procerum potestatem excessisse videtur. Non desunt quidem scriptores, iidemque aetate illi proximi, qui Petrum, Giselae Hungarae filium, a S. Stephano paulo ante mortem, in regno successorem, ac regem constitutum fuisse tradunt (a). Verum hi, vt nobis quidem videtur, compendio vsi, id quod re ipsa post S. Stephani mortem euenerat, vt Petrus in regno succederet, tamquam rem ante obitum iam constitutam, decretam referunt, ac ea omnia, quae cum Basilio, ceterisque ducibus sub idem tempus in Hungaria acta fuerent, studio silentio praetermittunt: quae tamen re ipsa euenisse, consentiens, et repetita scriptorum domesticorum narratio est.*

(a) Sic Hermannus Contractus ad A. 1038 Petrum sororis suae filium de Veneria natum pro se regem constituit, apud Pistorium Tom. I. pag. 280. Chronicon Melicense, quod cl. Pray recitat Annal. P. I. pag. 40 Primum tractavit de substituendo rege pro se, Petro videlicet sororis suae filio, quem in Veneria genitum, ad se vocatum, iam dudum exercitui suo praefecerat lucem, deinde monuit illos paternae, fidem orthodoxam seruare - - Cetera quae adduci solent testimonia, successisse Petrum D. Stephano affirmant; non item eius voluntate ante mortem regem nominatum.

uincit; cui profecto potior fides, quam exterorum silentio haberi debet. Praeterea chronica nostra, et *Cartbuitins* ipse eo plane loco, vbi de successore constituendo tractatum fuisse narrat, ne verbula quidem *Petri* meminere: imo vero et *Simon Keza*, et *M. Turotzius* nonnisi post mortem S. regis, coniurationem in apertum erupisse, atque *Giselam* collato cum *Buda*, et reliquis eiusdem farinae hominibus consilio, tum primo *Petrum* per vim, ac fraudem ad Hungaricum solium euexisse affluerant (a): quae *Giselae* Hungarae molimina minime iam tum necessaria fuissent, si D. *Stephanus*, priusquam obiret, consentientibus regni ordinibus, *Petrum* successorem constituisse. Quapropter patriorum scriptorum fide, et autoritate nixi: vltro quidem concedimus, in postremo illo senatu regio, de creando rege fuisse deliberatum; verisimilius tamen censemus, D. *Stephanum*, ne regnantis stirpis principibus grauissimam inferret iniuriam, a *Petro* successore nominando consulto abstinuisse, totumque regis eligendi negotium,

(a) *Simon Keza* pag. 80. *Regina vero Kysla auxilio iniquorum: Petrum Venetum - - - cuius pater dux fuerat Venetorum, regem fecit per Hungaros*, ut pro libitu posset motus suae voluntatis perficere. *Chronicon cap. XXXIV.* At *regina Keisa cum Buda* satellite scelerum, *Petrum Alemannum vel postius Venetum - - - praeficere statuerunt*. Vterque loquitur de tempore, quod mortem S. Stephani consecutum est.

antistitum, regnique primorum apud se tum praesentium iudicio, et conscientiae a morte sua terminandum reliquisse. Quia vero non ignorabat, potentem esse pro *Petro* factionem; sed neque dubitabat fore quam plurimos ex Hungaris, qui exulum ducum *Andreae*, *Belae*, ac *Leuentae* iura, partesque acriter essent propugnaturi; non immerito veritus, ne seditionibus intestinis monarchia Hungarica conuelleretur, mirum sane iniit consilium, cum regnum legitimo rege destitutum, in antistitum, regnique primorum corona, solenni plane ritu, *Deiparae Virginis testamento legauit*, hancque, et heredem, et reginam Hungarorum instituit (a). Vnde pius ille mos inualuit, Deiparam Virginem Hungarorum dominam, atque reginam compellandi. Testamentum hoc apprime conuenit perturbatis rerum, temporumque, queis D. rex animam agebat, rationibus; conforme item est rarae illius in Deiparam Virginem fiduciae, atque deuotioni, quam multiplicibus per vitam omnem argumentis testatus fuit: consentit denique *Carthuitii* narrationi. Postquam enim retulisset, praesentes omnes paterne plane a morituro iam rege fuisse admonitos, vt Catho-

(a) Pelbartus de Temesuár sermone I. de laudibus S. Stephani haec de illo moriente refert: *Eleuatis in coelum manibus, testamentaliter hoc regnum eidem Deiparae Virginis commendauit.* Rursus sermone altero: *Valedicens se, et regnum in manibus gloriac Virginis testamentaliter legauit.*

licam fidem obseruarent, amarent iustitiam; caritatem mutuam diligenter, humilitati, quae arrogantiae, et ambitioni opponitur, vacarent, prae omnibus vero nouellae Christianitatis plantationi custodiam adhiberent: haec subiungit: *His dictis manus, et oculos levans ad sidera sic exclamauit, regina coeli! reparatrix inclita mundi! tuo patrocinio sanctam ecclesiam cum episcopis, et clero, regnum cum primatibus, et populo, sub tuis precibus committo: quibus ultimum valedicens, manibus tuis animam commendam.* Qua in precatione postrema, quod mirere, nulla regis successoris, quem praeceteris omnibus Deiparae Virginis patrocinio commendare oportebat, fit mentio: qui si voluntate S. regis iam ante obitum nominatus fuisset, certo certius illius etiam meminisset. Aderat iam tum dies assumtae in coelos Virgini Deiparae sacer, quo ut mortem obiret, multis iam diu precibus Deum orauerat. Illo itaque die Strigoniis, circumstabant cum clero paternitas episcoporum; cum magno ministrorum principalis chorus comitum, ubi rex dilectus in medio iacens, acceptaunctione spiritalis sacramenti, extremae scilicet unctionis, sanctam animam corporis, et sanguinis Domini nostri Iesu viatico recreatam, anno Dominicæ Incarnationis M. XXXVIII. in manus perpetuae Virginis, et Sanctorum Angelorum, aeternae quietis beatitudini inferendam tradidit (c). Vi-

---

(a) Haec ex Carthuitii cap. V. quo cum in die obitus XV. Augusti defigendo scriptores domestici

xit annos LX. regnauit ab inauguratione sua XXXVIII postquam ab obitu patris sui uno supra quadraginta annis in stabilienda religione Christiana, et condenda noua monarchia immortali cum laude desudasset.

### §. XVIII.

#### *S. Stephani funeratio, encomia, coniux, ac liberi.*

Illic igitur, atque eo die, viuere, et regnare desiit D. Stephanus vbi ante octo supra triginta annos, sacro diademe incinctus, regio titulo imperare cooperat, vnde corpus illius exanime Albam Regiam deuenctum fuisse, Carthuitius memorat (a). Diem funerationis longius differri placuit, vt ad ultimum pietatis obsequium meritissimo de religione, et patria principi praestandum, Hungaria omnis eo maiore numero posset confluere, basilica B. V. Mariae, quam haud ita pridem ad apicem adduxerat, vbi locum sepulturae sibi viuens delegerat per praesentes illic antistites ex ecclesiae ritu prius consecrata fuit, ac tum demum sacrum illud pignus, deferentibus episcopis, eodem illuminatum, candidique marmoris sarcophago est

omnes consentiunt. Simon Keza pag. 80. M. Turtius cap. XXXIV.

(a) Cap. V. *Ad exequias funeralis eius ex omnibus Pannoniae plagis concurritur, corpus ad sedem regalem, Albam videlicet ciuitatem, deducitur.* p. 162.

impositum. Hic illud XLV annis quieuit, vsquedum agente S. *Ladislao*, iussu Gregorii VII. pontificis, A. 1083. leuaretur: quo tempore sacra Diui *Stephani* dextera in singularis aduersus egenos et res sacras munificentiae praemium, corruptionis omnis expers reperta, in pretio haberri coepit; quam hodie dum in regiae Budensis templo, augustae *Mariae Theresiae* pietate colloca-tam, pia grataque memoria prosequimur (a). Luxit Hungaria primum regem suum trien-nio integro, et atro vestium colore, et aliis quamplurimis exterioris luctus argumentis. Et merito sane; hunc enim Diuinum numen sibi delegerat instrumentum, per quod Hun-gari a gentilis superstitionis tenebris ad Christi fidem, aeternaeque beatitudinis post obitum consequendae viam deducerentur. Religionem porro Christianam undecim epi-scopatibus, compluribus S. Benedicti mona-chorum coenobiis, paraeciis, et templis in-numeris, gymnasii denique constitutis op-portune, ac munifice communiuit. Insigni vitae sanctimoniae coniuncta fuit eximia in gubernando seu belli, seu pacis artibus pru-dentia: bella quidem plurima per vicinos si-bi illata gloriose confecit, ut ipse in suis ad filium S. *Emericum* monitis commemorat (b),

(a) Copiosius haec videri possunt apud cl. Pray in dissertatione histor. crit. de sacra Dextera D. Ste-phani. Vindobonae A. 1771. edita.

(b) Hoc faciat verba illa, quibus in praefatione filium alloquitur: Puer, inquit, es, deliciarum vernu-

ex quibus tamen pauca admodum a scriptoribus adnotata sunt. *Cupa*, Simeghieni capitaneo A. 998. victo, ac interempto, re-<sup>998</sup> fractarios suorum animos vehementer fregit, ac ad obsequium reuocauit. Gyulam cognatum suum, Transsiluanarum partium itidem capitaneum, nonmodo promulgationi Euangelii, et mandatis suis constanter obnitem; verum etiam rebellia arma in legitimum principem corripere ausum A. 1002. <sup>1002</sup> feliciter debellatum, captumque dignitate, et bonis spoliauit; sicque Transsiluaniam in comitatus diuisam ad eamdem cum cetera Hungaria regiminis formam rededit. Tsalnadiensem agrum, cum tota ea regione, quae Marusio, Tibisco, atque Danubio concluditur, veteribus Hungariae limitibus restituit, postquam Sunado, seu Chanado duce, *Och-tumum* Bulgarum illic imperitatem A. 1030. <sup>1030</sup> prostrauisset (a). Quantus porro pacis artibus fuerit D. Stephanus, vel egregium illud, quod hodieum perdurat monarchiae Hungaricae systema per eundem introductum, legesque municipales tum conditae satis, superque testantur. Ea profecto de D. Stephani aequitate, et prudentia, quauis aeta-

la, puluinaris accola, fatus, educatusque in deliciis cunctis, *expeditionum laboris*, atque diuersarum gentium incursionis expers, in quibus ego iam fere totam meam contribui aetatem.

(a) Belli huius meminuit biographus S. Gerardi cap. X. et anonymous Belae regis notarius cap. XI.

te apud Hungaros fuit existimatio, vt quoties Hungaria intestinis motibus agitata medelam exposcebat, eamdem ad visitatas sub eo leges atque consuetudines reformari postulauerint. Non domi modo, verum etiam foris complura posuit pietatis suae, et regiae munificentiae monumenta. Cum aetate illa in more esset positum, vt Christiani partim Romam ad salutanda SS. Apostolorum limina, partim Jerosolymam ad crucem Christi venerandam adirent; Rauennae, ac Romae, Constantinopoli item, ac Ierosolymis hospitalia erexit, perpetuoque redditu dotauit, peregrinantium Hungarorum commodo, hospitioque deseruitura (a). Edomitis circumquamque hostibus, paceque cum vicinis principibus, atque populis composita, regnum belli omnis expers moriens reliquit (b): nisi quod iam tunc seditionum, quae mortem illius mox consecutae sunt, semina iacta fuerint, quibus non monarchia solum in ruinam paulo vehementius impelli; verum etiam religio Christiana opprimi coepit, vt prope exterminanda videretur. Quam procellam idcirco fortasse Deus in ecclesiam Hungaricam desaeuire sicut, vt Hungari intelligerent, vt initia saluificae fidei, ita etiam progressum a sua vnius diuina gratia,

(a) De hospitalibus his cōsule cl. Katona Histor. crit. reg. Hung. P. I. pag. 177. 304. 429 et. 431.

(b) Cetera S. Stephani gesta vide apud laudatum cl. Katona Part. I. usque ad pag. 470.

prouidentiaque pendere. Coniux Diuo Stephano vnica fuit *Gisela Henrici rixosi*, Bauariae ducis filia, *S. Henrici* imperatoris soror germana, ab eximia pietate, ac in res sacras munificentia commendata (*a*). Complurium prolium eam fuisse matrem, pro certo constat, etsi duorum solummodo filiorum nomina nobis sint cognita: *Ottonis* scilicet primogeniti: qui, quod viuente fortassis adhuc *Ottone III* caesare in lucem editus fuit, ab eodem in baptismo nomen mutuatus est, ac infans adhuc obiit. Alter ob aui materni, vel auunculi memoriam *Heinrici* nomen accepit, quem Hungari *Hemericum*, *Emericum*que dixerunt: qui patri suo ut meminimus praemortuus, subinde ob vitae sanctimoniam vna cum illo sanctorum fastis ab ecclesia adscriptus fuit (*b*).

(*a*) Chronicon cap. XXX. et XXXI.

(*b*) De ceteris D. Stephoni prolibus, quae tamen extra omnem dubitationem eidem attribui nequeunt consule cl. Cornides in genealog. reg. Hung. pag. 228. nomina eorum sunt: *Bernhardus*, dein *Agatha*, Eduardo filio Edmundi regis Angeliae; *Hedwigis* Epponi Nellenburgensi comiti, ac denique *anonyma* Sunado seu Chanado Ochtumi debellatori nuptui collocatae.



## P E T R V S

R E X II.

A. C. 1038.

§. I.

*Petrus matris Giselaë factione regno potitur.*

Post mortem S. Stephani, *Gisela* Hungara cum comite *Buda*, eius filio *Sebo*, ac reliquis coniurationis suae affeclis eo curas suas intendere, ut, quod prospere iam ante cœperant, quantocius absoluarent (*a*), *Petrum*que et eligi, et inaugurarri procurarent, priusquam D. Stephani mortis fama ad exulum regiae stirpis ducum notitiam perueniret. Verebantur quippe, nec immerito, ne, si illi interregni tempore Hungariae fines subiarent, validam pro se factionem suscitarent, remque optime coeptam praesentia sua corrumperent. Et vero fauebant *Giselae* Hungarae votis omnia: regni aemuli procul domo abefrant: militia regia in *Petri* potestate fuit:

au-

(*a*) Simon Keza. *Regina vero Keysla auxilio ini- quorum Petrum Venetum - - regem fecit per Hungaros*, pag. 80. *Chronicon Turotzii: At regia- na Keisla cum Buda satellite scelerum Petrum Ale- mannum, vel potius Venetum praeficere statuerunt cap. XXXIV.*

aulae ministri, et proceres aduenae, Christianae religionis conseruandae studio cum praelatis consentiebant. Ex Hungaris ipsis multi *Giselae* pariter Hungarae artibus, et pollicitationibus ad *Petri* partes transfierant; vt adeo illi, qui regiae domus principibus ad eum diem studebant, aduersae partis potentiam extimescentes, nil aperte moliri auderent. Quapropter cum de noui regis electione agi coepit, omnium, qui aderant, suffragia in *Petrum* conspirauerunt. Peracta igitur *S. Stephani* funeratione, *Petrus* rex eadem adhuc aestate A. 1038. ex ritu ecclesiae 1038. vncutus, sacroque diadematè coronatus fuit, cui eo die omnes regni ordines fidelitatis sacramentum dixerunt (*a*). Quia vero *Gisela* Hungara sagaciter praeuidebat, extores tum regno duces minime diu quieturos, conatusque omnes adhibituros esse, vt auitum sceptrum recuperarent; sed neque ex Hungaris defore, qui ducum partes essent amplexuri, illud cum praecipuis aulae ministris consilium iniit, vt regnum Hungariae ad eum diem liberum, imperii Romano-Germanici corpori, atque iuribus infereretur: quod si impletaretur non modo sperare; verum etiam tutto confidere poterat, *Conradum II. Salicu*m imperatorem (*b*), eiusdemque in imperio

(*a*) *Biographus S. Gerardi*: Successit autem ei *Petrus rex*, cui, cum omnes Pannoniae principes fidem, et amorem se conseruatores iurassent, unus ex eis,,, cap. XVII.

(*b*) Coepit *Conradus Salicus* A. 1024. obiit XIV. Junii 1039.

successores, *Petrum* regem, ac illius heredes aduersus omnia Arpadianae stirpis molimina totis viribus adiuturos, ac in folio conferuatuos esse. Ab illis enim postea regum Hungariae confirmatio, ac inuestitura constanter fuisse petenda. Atque hoc consilio *Gisela* Hungara in id incubuit, ut regnum Hungarorum amissa libertate Teutonicis subiiceretur (*a*). Haec eadem verba spectatis rerum, temporumque adiunctis non aliter accipienda sunt, quam quod Hungariam imperio Romano feudatariam efficere intendet. Quis enim credat *Giselam* Hungaram eo imprudentiae prolapsam esse, ut non plebem modo Hungarianam, verum etiam Hungaros nobiles Teutonicis in regno degentibus mancipiorum instar subdere voluerit. Consilia haec iam tum agitata fuisse vel inde colligas, quod *Petrus* rex non multo post, cum aduersus Hungaros auxilia ab *Henrico III. caesare* (*b*) flagitaret, Hungariam imperio fiduciariam, atque tributariam reipsa obtulerit.

(*a*) Simon Keza pag. 81. Idem testatur chronicon cap. XXXIV. *Hoc intendentes, ut regina Keisla motus suae voluntatis pro libitu suo posset complere, ut regnum Hungariae amissa libertate Teutonicis subderetur sine impedimento.*

(*b*) *Henricus III. Conradi Salici filius* successit patri in imperio XIV. Iunii. A. 1039. desit regnare, et viuere die V. Octobris A. 1056.

## §. II.

*Inconsulta Petri cum Hungaris agendi ratio.*

Petrus voti damnatus, vt omnibus, qui fraude potius, ac dolo, quam iure, et merito ad summas dignitates eluctantur, vsuennit, coepit de sincera Hungarorum in se fide dubitare; quam cum amoris, ac clementiae signis paulo arctius sibi adstringere poterat, atque debuerat, pessimo plane consilio, minis, atque terroribus extorquere instituit. Enato enim e suspicione odio, coepit atrocem in modum vniuersam gentem Hungaram diuexare, principes aequae, ac nobiles viros despiciatui habere, illorum consuetudinem, et alloquium arroganter aspernari, munericibus publicis, atque dignitatibus, quibus a D. Stephano admoti erant, citra omnem causam spoliare: ex aduerso populares suos, Italos, ac etiam Teutones impense diligere: cum his versari familiariter, et omnia inire consilia, possessiones, terras, et praedia inter hos profuse diuidere: hos solos cum ciuilibus, tum militaribus officiis admouere: his denique omnium arcium, castrorumque regiorum praefecturas, Hungaris ademtas, tradere. Publica haec et contemtus, et odii argumenta quantum genti Hungaricae, paterne, atque clementer a D. Stephano gubernari assuetae vulnus infixerint, facile quisque intelliget, cui excelsa nobilissimae

gentis indoles est perspecta (*a*). Ad ceteras iniurias vniuersae nationi illatas, cumuli instar accessit intoleranda, et ad eum diem inaudita apud Hungaros, *Petri* regis lasciuia, ad aulae ministros, seruos, ac ipsos adeo satellites propagata, vt quacumque rex cum suis iter haberet, matronae spectatissimae, virginesque castissimae impune violarentur (*b*). Quam iustus inde in maritos, parentesque dolor redundauerit, vel inde liquet, quod Hungari etiam tum, cum gentiles erant, a lasciuia quam maxime abhorruerint, neque de eo crimine vñquam a scriptoribus accusentur. Haec si a patriis scriptoribus vere, vt dubitari nequit, consignata sunt, mirum sane videri potest, *Petrum*, crudelem suam, ac in omnem libidinem pronam indolem adeo

(*a*) Simon Keza haec refert pag. 81. Postquam autem Petrus regnare incepisset, omnem mansuetudinem regiae abiecit maiestatis, et furore Teutonico desaeuiens, regni nobiles contemnebat, cum Alamannis, et Latinis bona terrae superbo oculo, et insatiabili corde deuorando, munitiones autem, castra, et omnes regni dignitates ab Hungaris auferrens, tradebat Teutonicis, et Latinis, Eadem prope ad verbum narrat chronicon M. Turotzii cap. XXXV.

(*b*) Simon Keza pag. cit. Erat quoque idem lascivius ultra modum, cuius satellites turpitudinem intemperatae libidinis operantes, uxores, filiasque Hungarorum, vlicumque Petrus rex ambulabat, violenter opprimebat, nullus etiam eo tempore de uxoris, filiaeque castitate certus erat, propter insultus aulicorum Petri regis. Eadem habet chronicon M. Turotzii cap. cit.

dextre tam diu celare potuisse, vt D. *Stephanus*, antistitibus, et Christianis regni primori-  
bus omnibus imposuerit, qui hominem tam  
foedis praeditum moribus, solio Hungarico  
prae domus regiae principibus dignum exi-  
stimabant, eximiumque religionis Christianæ  
defensorem, atque propagatorem fore pro  
certo confidebant. Vnde novum robur acce-  
dit illis, quae patriorum chronicorum fide  
nixi, de pessimis *Giselae* Hungarae ad pro-  
mouendum filium artibus commemorauimus:  
per dolum nempe, atque vim omnia a D.  
*Stephani* morte agebantur, vt *Petrus* solium  
conscenderet.

### §. III.

*In Giselam Bauaram reginam, S. Stephani vi-  
duam, inhumanitas.*

**F**oeda haec *Petri* regis, et viuendi, et cun-  
cta pro libidine agendi ratio dolere imprimis  
debuit reginae *Giselae* Bauarae, S. *Stephani* vi-  
duae, vt quae pietate, innocentia, benigni-  
tate, religione, gratia, atque hospitalitate  
adeo insignis fuit, vt in toto orbe ei non in-  
ueniretur consimilis (a). Haec eadem vnicā  
tum erat, quae a sanctissimi mariti sui mori-  
bus adeo degenerem successorem pro potesta-  
te admonere, corrigereque poterat. Nam,

(a) Iac. Philippus Foresinus Bergomensis in supple-  
mento chronicorum ad A. 1012. Lib. XII. apud  
cl. Cornides pag. 267.

vt suo loco diximus, eodem cum D. Stephano ritu caput diadematè redimita, ac in maiestatis regiae communionem per eundem adscita, ab illius etiam obitu summa in regno pollebat autoritate, sub titulo *Reginae senioris*: neque dubitandum est, tum, cum Petrus regnum adiit, hanc illi datam fuisse regni sociam (a). Quapropter antistites, ac regni primores de religionis, regnique salute solliciti, cum *Gisela* Bauara regina sua conferebant consilia, idoneamque rationem quaerebant, regem a coepto tramite retrahendi. Communi itaque omnium nomine, nuncii ad eum mittuntur, supplices deprecaturi, vt gentem Hungaram adeo atrociter diuexare desisteret; aulae autem ministros, et famulos, ab inferendis porro iniuriis prohiberet (b). Grauiter eam intercessionem tulit Petrus, furoreque paulo grauiore correptus, multo se deinceps acerbius Hungaros afflictuum comminatus fuit: *Si aliquamdiu, inquit, sanus ero, omnes iudices spectabiles, centuriones, principes, et potestates statuam Teutoni-*

(a) Ioannes archi-diaconus de Guertse, qui ineunte seculo XIV. apud nos floruit, innuit Giselam cum Petro aequato iure Hungaris imperasse apud cl. Kerchelich in notit. praelatin. Dalm. Croat. et Sclav. pag. 101.

(b) Simon Keza pag. 81. *Videntes ergo principes, et nobiles regni mala gentis suae, quae fiebant contra legem, communicato consilio rogauerunt regem, ut suis iniungeret a tam detestabili opera desistere sine mora.* Idem narrat chronicon cap. XXXV.

*cos, et Latinos, terramque Hungariae hospitibus adimplens, in dominium tradam Teutonicis* (a) *Quin etiam eo demum prorupit; vt diceret: Vngaria deriuatum est ab angaria, et ipsi Hungari debent angariari* (b). *Quibus verbis incredibile prorsus aduersus gentem Hungaram, cuius rex, atque pater constitutus erat, odium quam luculentissime patefecit.* Neque hic quieuit eius furor, ac vindictae cupiditas. *Cum enim Giselam Bauaram reginam moribus, ac factis suis contrariam else animaduerteret, neque diutius tolerandum putaret, vt eadem aequato secum iure imperaret; quo solus deinceps sine arbitro, ac sine monitore cuncta pro libidine agere, miscereque posset, hanc regiminis societate priuatam, ac e dignitatis, quam ad eum diem regni ordinum voluntate obtinebat, gradu deiectam, in ordinem redegit, custodiaeque tradidit* (c). Quia vero male sibi conscientius Petrus, verebatur, ne Gisela Bauara illatam sibi iniuriam vindicatura, pro ea, qua apud omnes et aduenas, et Hungaros primores atque nobiles in regno pollebat gratia, et autoritate, noua factione concita, ta, de eo exautorando, alioque rege sufficiendo consilia iniret, atque etiam cognatos

(a) Keza pag. 82. et chronicon cap. cit.

(b) Chronicon cap. cit.

(c) Ioannes archidiaconus de Guertse apud Kerche, lich loc. cit. haec habet: *Sed is Petrus totum halere cupiens, eam Giselam Bauaram custodiae angustissimam conclusam misere babuit.*

Germaniae principes ad partes suas pertraheret, media illi omnia, occasionemque noui aliquid moliendi praecidit. Dote enim amplissima, opibus, ac thesauris, quos a marito liberaliter acceperat, per summum nefas spoliatam, iis custodiae angustiis, incertum tamen quo loco, circumscriptis, ut non modo publico arceretur; verum etiam a familia-  
rium suorum congregatu, ac alloquio prohiberetur (*a*). De hac Petri in *Giselam Bauaram* inhumanitate etsi neque *Simon Keza*, neque chronicon *Turotzianum* meminerit, nos tamen exteris eamdem narrantibus fidem minime denegandam putamus, propterea, quod *Ioannes archidiaconus de Guertse* seculi XIV. ineuntis scriptor domesticus, idem dis fertis verbis narret, qui notitiam hanc e chronicis vetustioribus, quae iniuria temporum interciderunt, hauserit, neque ullam causam habuit, cur rem tantam ingenio suo consingeret. Sic in ordinem redacta, ac tam atrocibus iniuriis affecta regina *Gisela Bauara*, quid deinceps in Hungaria egerit, ac

(*a*) *Annales Bambergenses*: *Proximo, inquiunt, anno 1041. Petrus Hungariae rex Giselam reginam Stephani regis, auunculi sui, viduam ,,, in potestatem adduxit, et dote, ac rebus aliis omnibus nudaram in teterrimum carcerem condit iussit, veritus, ne, si libera esset, per exteras copias tumultus in regno exciret, et se inuitu ad alios illud transferret.* Apud cl. Pray in dissert. de S. Ladislao pag. 116. *Consumilia narrat Brunnerus in annalibus Boicis ad A. 1042.*

quousque vitam adduxerit, a nemine posterorum memoriae proditum reperimus: id solum e coaeuorum scriptorum testimonio certo constat, *Giselam* Bauaram D. Stephani viduam piis operibus intentam in Hungaria consenuisse (*a*); ac Vesprimii in condita per se, multisque donis exulta S. Michaelis archangeli basilica, honorifico tumulo fuisse illatam: id quod eruditissimorum virorum calamis ita iam in luce positum esse censemus, ut dubium omne excludat (*b*).

#### S. IV.

*Seditione domi coorta, Petrus exauoratur.*

Astrox, cuius mox meminimus, responsum a Petro datum, grauissimaeque comminationes tum per eum iactatae, vbi in vulgus dimanarunt, acerbissimum speciatim Hungarorum animis vulnus influxere. Verum episcoli, regnique primores, etiam aduenae,

(*a*) Testatur id Hermannus Contractus scriptor coaeuus, vt qui A. 1013. natus A. 1054. obiit; *Huius Henrici II. caesaris soror Gisela Stephano regi Vngariorum, cum se ad fidem Christi conuerteret, quasi vero iuxta nomen fidei obses, in coniugium data, eleemosynis, ceterisque bonis operibus inibi in Hungaria intenta consenuit.* Ad A. 995. apud Cl. Cornides pag. 266.

(*b*) Lege Cl. Pray dissert. de S. Ladislao rege. Cl. Cornides Genealogiae reg. Hung. caput I. IX. et X. Cl. Katona Histor. crit. reg. Hung. parte I. pag. 551. et sequ.

qui ad eum diem *Petro* intemeratam seruarant fidem, multo adhuc grauius tulere summam illam ingratitudinem, qua in *Giselam* reginam, auunculi sui viduam, vsus erat: male iam sibi, totique regno metuebant a rege sui impotente; non ex vano ominantes, a nemine suis cupiditatibus aduersante manus deinceps cohibiturum illum, qui in reginam *Giselam* tanto furore desaeuire nulli sibi vel pudori, vel religioni duxerat (a). Damnabant iam aperte conatus suos, quibus pessima *Giselae* Hungarae ad excludendos a regno Arpadianae stirpis duces, *Petrumque* folio imponendum consilia adiuuerant, spesque suas, quas in eius religione prudentiaque collocauerant, ita foede nunc delusas deplo-rabant. Cum itaque *Petrum* a matris suae impotentis feminae, et sceleratissimi hominis *Budae* comitis consiliis vnice pendentem, ad saniora reduci posse desperarent; quorumdam ex episcopis consilio, regni primores, milites, atque nobiles Hungari secessio-ne facta, in vnum conuenere, de exautoran-do *Petro*, nouoque rege substituendo delibe-raturi. Ante omnia illud, tamquam ad com-munem regni salutem, stabilitatemque sum-me necessarium, constitutum, ac decretum

(a) Ioannes archidiaconus de Guertse loco cit. sub-iicit; *Duces, episcopi, comites, ad quos regno pro-uidere pertinebat, sibi metuentes, dum haec patra-ri cum regina videbant, Samuelem ducem, Oba di-catum, qui ex primis Vngarorum ducibus Ethbeq nempe descenderat, regem dicunt.*

fuit, ut regnum Hungariae legitimis heredibus, regiae domus principibus, restitueretur: sollicite postea inuestigatum fuit, an non eorum aliquis alicubi in regno lateret, quem in solium eueherent, cuius auspiciis *Petrum* imperio priuatum e regno exigerent (*a*). At postquam omni adhibita diligentia, nullus virilis Arpadianae stirpis dux domi repertus fuit, neque tamdiu quiescendum videretur coniuratis, dum exulum ducum aliquis dominum reuocaretur, communibus suffragiis ducem potius secessionis, quam regem sibi elegere *Samuelem*, D. *Stephani* sororis *Saroltae* maritum, comitem *Viuariensem*, et regni Hungariae palatinum, vetustissima e domo ex *Ethe* Cumano capitaneo progenitum (*b*). Id quod ineunte tertio *Petri* regis anno, et Christi 1040. accidit: quo tempore cum po-1040 pulus omnis *Samuel*, patro nomine *Aba*,

(*a*) Simon Keza pag. 82: *Hoc itaque fuit, discordiae seminarium inter Petrum regem, et Hungaros. Anno ergo regni Petri tertio principes, et nobiles regni Hungariae episcoporum consilio, in unum conuenerunt contra Petrum, quaerentes sollicite, si aliquem de regali genere possent requirere, qui esset idoneus regnum gubernare, eosque a Petri tyrannie potenter liberare.* Idem habet chronicon cap. XXXVI.

(*b*) Ioannes archidiaconus de Guertse citatus not. a) Simon Keza pag. 82, *Cumque in regno talem inuenire non posuissent nullo modo, ex semetipuis quendam comitem nomine Aba sororium S. regis Stephani super se regem praefecerunt.* Idem chronicon cap. XXXVI. Biographus S. Gerardi cap. XVII.

seu patrem inclamasset, id ei postea nomen adhaesit (*a*). Nec mora, incredibilis Hungarorum multitudo sub signa *Samuelis* confluxit, non nisi gente sua a *Petri* iugo libera-ta, arma posituri. Placuit *Samueli* recta copias Albam-regiam versus, festinatis itineribus traducere, ut illic *Petrum*, antequam ad vim sustinendam se praeparare posset, oppri-merent (*b*). *Petrus* iis, quae aduersum se gesta sunt, cognitis, cum se tantae multitu-dini, quantam *Samuel* secum trahere fereba-tur, retundendae imparem esse cerneret, gra-uissimo correptus metu, clam in Austriam profugit ad marchionem *Adalbertum*, sororis suae *Adelhaidis*, passim *Froilae*, *Froizae*, a *Fro-me*, quod dominam significat, dictae mari-tum (*c*), vt eius ope, atque intercessione apud *Henricum III.* caesarem auxilia aduersus Hungaros impetraret (*d*). *Petro* hac ratione fuga elapso, Hungari audaciores reddit*i*, ne-mine iam resistere auso, regnum omne e-

(*a*) *Anonymous Belae regis notarius* cap. XXXIII. habet: *Ex quorum Ethu progenie longo post tem-po-re rex Samuel descendit, qui pro sua pietate in pa-triam Oba, id est Apa vocabatur.*

(*b*) *Keza* pag. 82. *Aba vero rex congregato exer-citu Hungarorum processit contra Petrum pugnaturus.* *Chronicon* cap. cit.

(*c*) *De Froiza* hac lege Cl. Schier in reginis Hung. Cl. Cornides pag. 165. Cl. Katona pag. 600.

(*d*) *Hermannus Contractus* ad A. 1041. *Otto Fri-singenensis* lib. VI. cap. XXXIII. *Simon Keza* pag. 82. *Chronicon Turotzii* cap. XXXVI.

mensi, eos aulae ministros comprehendere, quorum consiliis Petrus adeo atrociter in gentem vniuersam desaeuierat. Hos inter comes quidam in frusta concisus, geminique illius filii oculis orbati sunt (*a*). Alii e ministris, aulicisque Petri confractis membris, alii lapidibus obruti vitam finiere. *Sebus* autem *Budae* filius, qui *Giselae Hungarae* ius-*su*, *Basilio* duci *Nitriae* olim oculos eruerat, pedibus, manibusque rota contritis, barbari facinoris sui meritas poenas dedit. Hac eadem tempestate *Gisela Hungara Petri* mater, cuius intoleranda ambitio, et crudelitas mala haec omnia Hungaricae genti consciuerat, a furentibus Hungaris intercepta, trucidataque fuit (*b*); ab altera autem *Gisela Bauara* re-

(*a*) Simon Keza pag. 82. *Petru itaque de regno effugato, illi tyranni, quorum consilio afflicti erant Hungari, sunt detecti, ex quibus vnum, non hic nominatur Buda, in frusta conciderunt, oculos duorum filiorum eiusdem eruentes.* Chronicon Turotzii cap. XXXVI. Anonymum hunc *in frusta concisum* per errorem *Budam* appellat, quem tamen mox cap. XXXIX. superstitem fuisse, rursusque consiliis suis *Petrum* restitutum in transuersum egisse memorat. Quare plus Simoni Kezae deferendum est, dicendumque, non *Budam* tum, sed alium aliquem e ministris fuisse suppicio affectum.

(*b*) Albericus, monachus trium fontium, caedis hu-  
iis, fama ad se perlatae, meminit ad A. 1010. Apud Leibnitzium: *Sed illa Gisela regina, ut di-  
cant, multas malitias in terra illa fecit, et ex-  
tremum post mortem S. regis, meritis exigentibus  
interfecta fuit.* Eadem habet magnum chronicon  
Belgicum apud Pistorium script. rer. Germ. Tom.  
III, pag. 102. vt refert Cl. Cornides pag. 299.

gina, Hungaros in communi illo furendi aestu violentas manus cohibusse, vel inde certum est, quod coaeuorum scriptorum testimonio tranquille, sancteque in Hungaria consenserit; id quod rursus argumento est, eam nec *Basilii* excoecati; nec *Andreae, Belae,* ac *Leuentae* ducum in exilium actorum ream fuisse, nec in *Petro* ad solium per vim intrudendo, praecipuas egisse partes: quod iam alibi ostendimus.

---

## SAMVEL ABA

R E X III.

A. C. 1041.

### §. I.

*Samuel crudelibus artibus inaugurationem suam extorquet.*

*Samuel Aba*, quem coniurati Hungari interea solummodo, dum Arpadianae stirpis principes in patriam redirent, ducem sibi aduersus *Petrum* elegerant, neque regem creare tum intenderant (*a*), postquam Alba re-

---

(*a*) Hanc re ipsa fuisse mentem praecipuorum coniurationis capitum eruitur ex chronicis cap. XXXVI. In his autem rebus gerendis, id est seditione commouenda, et Samuele duce eligendo, tres de prin-

gali potitus, sacrum regni diadema illic afferuari solitum, in suam redegit potestatem, eo iam cogitationes suas transtulit, ut ritu solenni inauguratus, pleno iure Hungarici regni possessionem caperet. Obstabant consilio huic aliquot episcopi, et regni primores, qui *Petrum* regem, cui coronationis tempore fidelitatis sacramentum vltro dixerant, fine sacrilegio exautorari, regnoque priuari posse negabant; sed neque coniurati Hungari omnes id probabant: ut qui ardentissimis votis exulum regiae domus ducum redditum opperiebantur, vt eosdem hereditario folio postliminio restituerent. In tam sibi contrariis geminae, quae tum Hungariam diuidebat, factionis studiis, haud facile se voti damnatum iri praeuidens *Samuel*, quod bonis artibus nequibat, terrore incusso extorquere statuit. Dissimulato igitur aliquamdiu irae impetu, ipso sacri verni ieiunii tempore A. 1041. episcopos, proceres, 1041. nobilesque plurimos, consilii de republica cum eisdem ineundi specie, ad se euocauit, atque ex eo numero, quinquaginta illustres

*cibus regni, praecipui fuerunt. Vnus vocabatur Viske, secundus Toizlan, tertius vero Pezli, qui libertatem gentis suae quaerebant, et regnum regali semini restituere fideliter nitebantur. Id si fideliter nitebantur, Samuelē regem velle, ac inaugurate non poterant. Ipse etiam Biographus S. Gerardi cap. XVII. diserte ait: Abbam, qui erat comes palatii, illo Petro exturbato, regium sibi autoritatem per vim usurpasse.*

viros, quos voluntati suae aduersari compenerat, nil tale ominantes comprehendendi, nulloque dato respondendi spatio, palis affigi iussit (a). Crudeli hac caede peracta cum ceterorum omnium, qui illic aderant, animos vehementer percussoles esse cerneret, occasione vtendum ratus, in eorumdem comitatu Tchanadinum tetendit, eo consilio; vt ibidem per S. Gerardum loci episcopum ipso resurrectionis Christi die, qui eo anno in XXII. Martii inciderat, sacro diadema incingetur. Quo die illucescente, episcopi, principesque viri aliquot *Samuelis* nomine ad D. Gerardum nuncios misere orantes, vt ad cathedrali D. Georgii basilicam veniret, nouum regem inauguraturus: quod cum ille fidei Petro regi datae memor, facere detrectasset, *Samuel* episcopi vnius absentiam parvus pendens, solenni pompa templum ingressus, a ceteris antistitibus vinctus, coronatusque fuit (b). Terminata inauguratione D. Gerar-

(a) Biographus S. Gerardi cap. cit. Namque *ipsi* sanctis quadraginta diebus, honestissimos quoisque sui consilii viros sudibus, ac palis perinde ut immunda pecora interficere non dubitauit. Keza pag. 85. Nam viros quinquaginta consiliandi causa in unam domum euocauit, quibus in eadem inclusis, crimen non confessos, nec conuictos legibus, caput fecit detruncari. Eadem refert chronicon cap. XXXVII.

(b) Biographus cap. cit. *Ipsa* die dominicae resurrectionis, vt pater eiusdem loci, Gerardus regio capituli diadema impositurus adueniret, ab episcopis, et principibus per honestissimos viros iuuitatur; at illo renuente reliqui pontifices regi coronam impo-

dus suggestum condescendit, *Samuelemque ob iniquam tot virorum illustrium caedem acriter obiurgauit*, quin etiam in regni per fraudem, ac vim occupati poenam, tertio post anno, regni, ac vitae finem eidem vaticinatus fuit (*a*). Atque haec est *Samuelis regis coronationis historia*, cuius seriem ex *D. Gerardi biographo* potius, quam ex *Simone Keza*, et *Turotzio texendam esse putauimus*, propterea; quod hi quidem pleraque haec narrent, verum ordine admodum perturbato (*b*). His artibus regnum adeptus *Samuel*, ut aliquo clementiae argumento Hungaros sibi conciliaret, constitutiones impri- mis omnes a *Petro* rege latas, formamque regiminis ab eodem introductam antiquauit, tributa deinde, ac vectigalia, quibus ille gentem Hungaram contra, quam prius visitatum fuit, subiecerat, sustulit, ac cuncta denique ad pristinum morem patrium, eum haud dubie, quem *Geisa* dux, ac *D. Stephanus* instituerant, iussit reuocari (*c*): qua indulgentia multorum praesertim de vulgo Hungarorum, antiqui moris studiosorum, voluntates ad se attraxit.

*nunc, magnoque cleri, et populi comitatu rex ornatus ecclesiam ingreditur.*

(*a*) *Vaticinium lege ibidem cap. XVIII.*

(*b*) *Consule el. Katona Histor. crit. Tomo I. pag. 617, et 623.*

(*c*) *Simon Keza pag. 83. Aba vero in regem consecrato, ea, quae *Perrus* statuerat, in irritum reuocans, Hungarorum scita iussit obseruari.* Et chro-

## §. II.

*Henrici caesaris conatus pro rēducendo Petro  
irriti.*

Hæc inter *Petrus*, vt diximus, aegre fuga in Austriae elapsus, inde ad *Henricum III.* caesarem se contulit, eiusdemque pedibus aduolatus, veniam imprimis iniuriarum, quas antea eidem, Germaniae fines lacefendo, Bretislauumque Bohemiae ducem caesari refractarium copiis adiuuando, intulerat, deprecatus, maiorem in modum oravit, vt se folio, vnde inique a suis depulsus erat, restitueret. *Henricus* difficilem se initio supplici praebuit; verum Adalberti marchionis Austriae intercessione placatus, vt erat clementi, excelsoque animo, condonatis generose iniuriis, operam, viresque omnes se ad eum folio reddendum impensurum est pollicitus (*a*), quam promissionem suam iurejurando interposito roborauit (*b*). Atque hac occasione pactio illa inita fuit, per quam

nicon M. Turotzii cap. XXXVI. *Aba regali potestate sublimatus, consecratus est in regem, omnes autem constitutiones, et exactions, quas Petrus rex secundum consuetudinem suam constituerat, Aba rex in irritum reuocauit.*

(*a*) Hermannus Contractus ad A. 1041. Otto Frisigenensis Lib. VI. cap. XXXIII.

(*b*) Simon Keza pag. 84. *Obligatus enim ei, Petro, erat iuramento Henricus III. ut ipsum in regnum Hungariae iterato collocaret.*

*Petrus* se vna cum regno Hungariae *Henrico III caesari*, imperioque Romano fiduciarium obtulit : quae praecipua causa fuit, quae *Henricum III* permouit, ut bello et difficulti, et sumtuoso *Petri* causa se se implicaret. His, quae in aula caesaris agebantur, intellectis, *Samuel* legatos A. 1042 misit ad 1042. *Henricum III*, qui illius animum pertarent, ac, si fieri posset, ad ineundam secum honestis conditionibus pacem inducerent : quibus cum ille firmam suam de restituendo in solium Hungaricum *Petro* voluntatem significasset, *Samuel* bellum anteversurus, infestis signis Austriae, Bauariamque euastauit; in reditu tamen insigni clade per *Adalbertum Austriae marchionem* multatus fuit (a). Hostilitate hac ultra modum irritatus caesar, eodem anno acceleratis itineribus in Hungariam irrupit, Hamburgoque, quod tum iuris fuit Hungarici, et Posonio potitus, regionem omnem ad Granum usque fluuium impune depopulatus fuit. Ea re perculsi Hungari, grauioraque mala pertimescentes legatos de pace ad caesarem misere : is non aliter se a bello prosequendo destitutum edixit, quam si Hungari, *Samuele exautorato*, *Petrum* reciperent. At cum Hungari id constanter abnuerent, ac quiduis aliud, quod caesari libuisset, se facturos pollicerentur; *Henricus* in tanta animorum alienatione de *Petri* resti-

(a) Hermannus Contractus ad A. 1042. Keza pag. 83. Chronicon M. Turozij cap. XXXVI.

tutione tum quidem desperans, id demum peruerit, vt, *Samuele* in ordinem redacto, principem quemdam ducis titulo interea Hungariae imperaturum admitterent, qui regiae stirpi Hungaricae sanguine, vel affinitate iunctus, in Bohemia tum exulabat, quem alii *Belam* Ladislai Calui filium (*a*), alii *Darnoslaum* ducem fuisse suspicantur (*b*). Hoc itaque exule, quisquis demum ille fuit, duce Hungaris imposito, *Henricus* in Germaniam rediit, opportuniorem alias *Petri* in regnum reducendi occasionem praestolaturus: quo ex Hungaria digresso, *Samuel* collectis viribus anonymum hunc ducem toto regno exegit (*c*).

### §. III.

*Altera Henrici caesaris in Hungariam expeditio pace composita finitur.*

Eugato hunc in modum aemulo, *Samuel* caesaris vindictam veritus, legatos ad eum Gozlariae tum incarnationis Domini festa eodem

(*a*) Cl. Katona Histor. crit. reg. Hung. Tom. I.  
pag. 638.

(*b*) Cl Cornides Genealog. reg. Hung. cap. X.

(*a*) Hermannus Contractus ad A. 1042. *Subactis*, inquit, *partium illarum Hungariis*, *cum Petrum recipere nollent*, *quemdam alium ex illis*, nempe Hungaris, item apud Boemannos exulanter ducem eis constituit, quem tamen Ovo, Aba, statim post discessum regis Henrici III resistere non valentem, in Bohemiam repulit ex editione Canifiana.

anno 1042 celebrante misit, qui non modo factum excusarent; verum etiam pacem, quibus ei collubisset conditionibus, sancirent. Et vero *Henricus caesar* belli difficultate absterritus, non alienum admodum ab ea praefererebat animum; verum *Petrus* illic praesens, si concordia caesarem inter, et *Samuel* stabiliretur, actum de suo in regnum reditu existimans, omnem ad illam interturbandam mouit lapidem. Rursus enim caesaris pedibus supplex, non ante orare destitit, dum denique secundam in Hungaros expeditionem ille decerneret (*a*). Igitur aestate A. 1043 copias suas Hungariae iterum infudit 1043. *Henricus III.* a pugna nihilominus, seu quod opportunitas deesset, seu quod *Samuel* studiose eam declinaret, abstuluit, virium potius ostentatione, quam aperto marte Hungaros ad obsequium reuocaturus. Progredientem cum exercitu *Henricum* rursus fitere Hungarorum legati, pollicentes, se imperata omnia facturos; modo ne *Petrum*, quem regno exegerant, recipere cogerentur (*b*). Hac animorum aduersus *Petrum* obstinatione visa caesar; ne vires imperii Romani, exulis vnius causa, inutiliter prodigeret, satius

(*b*) *Lambertus a Schaffnaburg* ad A. 1043. *Simon Keza* pag. 84.

(*a*) *Simon Keza* pag. 84. Legati vero *Abae regis*, et Hungarorum promittebant caesari, ut in omnibus satisfacerent, nisi quia *Petrum* in regem non susciperent, quod caesar summopere perficere affectabat.

existimauit, pacem sibi, ac imperio utilem non minus, quam honorificam admittere, quae his demum coaluit conditionibus: *Samuel* immensam auri vim cum muneribus caesari numeraret, captiuos omnes sine litro dimitteret, eam denique regionem, quae Leythae flumini circumiacet, Germaniae finibus cederet, ac haec omnia et datis obſidibus, et solenni iureiurando roboraret: quae postquam *Samuel*, et Hungari rata habuissent, caesar incoluim exēcūtūm in Germaniam reduxit (a).

#### S. IV.

##### *Hungarorum a Samuele alienatio.*

Pace hac inopinata etsi *Petrus* spes suas admodum afflictas cerneret, minime tamen despōndit animum, quin potius maiore, quam vñquam conatu rem suam agere instituit. Ante omnia, cum optime perspectum haberet, magnam esse iam inde a D. Stephani temporibus, Romanorum pontificum apud Hungaros venerationem, māgnam item autoritatem; ad *Benedicti IX* papae opem, atque patrocinium confugit, facileque impetravit, vt is misso in Hungariam anathemate a fidelium communione reficerit eos omnes, qui ab illius

---

(a) *Lambertus a Schaffhaburg* ad A. 1043. *Hermannus Contractus* ad eundem annum. *Hepidianus* apud du *Chesne* ad h. a. *Simon Keza* pag. 84. *Et chronicon M. Turotzii* cap. XXXVII.

obedientia fecerant (*a*). Anathema hoc in regno promulgatum, indubium est, non leuem fecisse in multorum animos impressionem. Id cum Petrus non ignoraret, coepit per occultos nuncios antistitum, primorumque regni animos, benevolentiamque captare: quo factum est, vt multi ex Hungaris deserto *Samuele*, aperte ad *Petri* partes transferint; plurimi autem clam eidem fauere inceperint. Id subodoratus *Samuel* rex, quo defectionem proliberet, quotquot *Petro* studentes opinabatur, atrocissimis subiecit suppliciis: qua severitate cum potiorum regni animos a se vehementer alienari sentiret, eorum fidei diffusus, pessimo rebus suis consilio, primorum, nobiliumque ordinem aspernari, ac insectari incepit: ex aduerso autem eo studia omnia transtulit, vt vulgi, ac infimae plebis voluntates ad se attraheret. Apud hos igitur degere, cum his conuiuari, in horum semper comitatu, et custodia in publicum prodire; cum his denique ad sibi aduersantem nobilitatem opprimendam consilia agitare, non sibi duxit dedecori. Foeda hac regis absentatione animata plebs eosque processit, vt vniuersam nobilitatem, herosque suos vilipenderet. Sublato hunc in modum, quod nobilium ordinem a vulgo secernebat, scri-

(*a*) Chronicon cap. XXXVII. Quos, Hungaros, iam pridem, ut dicitur, quia Petrum suum regem defonestauerant, dominus apostolicus anathemate damnaverat feriendo.

mine, quantam totius regni perturbationem consequi necesse fuerit, facile quisque arbitrabitur (*a*). Ex hac profecto *Samuelis regis* indulgentia, cum in dies creuisset vulgi audacia, fatalis demum illa seditio erupit, quae *Andreae I.* regis regni initia obscurauit, ac tot illustrium virorum, antistitum, sacerdotum ex odio religionis Christianae a vulgo, ad gentilissimum redeunte, occisorum sanguine aegre potuit restinguiri, ut suo loco narraturi sumus.

### S. V.

#### *Tertia Henrici III in Hungaros expeditio: Samuelis regni, et vitae finis.*

Praepostera hac *Samuelis* agendi ratione paucilo vehementius irritati quam plurimi e primis, quo vitam, salutemque tuerentur, secessione facta in Germaniam ad *Henricum III* caesarem abiere, grauiterque de *Samuelis* crudelitate, et in nobilitatem inhumanitate conquesti, orauere caesarem, ut *Petrum*

(*a*) Idem ibidem. *Ex hinc*, pace neimpe confecta, rex *Aba* securitate accepta, factus est insolens, et coepit crudeliter saeuire in Hungaros. Arbitrabatur enim, quod omnia communia essent dominis cum servis, sed et iuriandum violasse pro nibilo reputabat, nobiles enim regni contemnens, habuit semper cum rusticis, et ignobilibus communies. Idem innuit *Keza* pag. 84.

in solium restitueret (*a*). Neque illum in vota sua difficultem habuere: cum quod suapte in *Petrum*, quem iureiurando interposito se regno redditurum promiserat, propenderet; tum vero quod *Samuel* pacta anno superiore in Hungaria solenniter conclusa violasset (*b*). Currenti calcar addiderit *Benedictus IX* pontifex, qui suarum esse partium existimabat, ut *Petrus* apostolica redimitus corona, regnum iniquitate temporum amissum recuperaret (*c*). Itaque *Henricus caesar* opportunitate vtendum ratus, ut et pontificis commendationi, et suae ipsius voluntati morem gereret, vere anni 1044 teriam in Hungaros adornauit expeditionem. *Samuel* caesaris consiliis, et apparatu cognito, incredibilem agrestium, in quorum fide, ac virtute vnicē confidebat, multitudinem

1044.

(*a*) *Chronicon cap. XXXVII. Quidam itaque ex coniuratis propter hoc magis incitati fugientes venerunt ad caesarem, et oblocuti sunt contra Abam, dicentes: quod pro nihilo iuramentum reputaret, nobis esque, qui eum regem super se constituerant, contemneret, et cum rusticis ignobilibus ederet, equitaret, et continue loqueretur.*

(*b*) *Hermannus Contractus apud Pistorium ad A. 1044. Keza pag. 85. Chronicon cap. XXXVII.*

(*c*) *Benedicto IX pontifice hortante bellum hoc ab Henrico III susceptum fuisse eruitur ex literis Gregorii VII. ad Salam nem datis: Praeterea Henricus III. piae memoriae imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans, victo rege, et facta Victoria ad corpus B. Petri lanceam, coronamque transmisit. Apud cl. Pray annual. Tom. I. pag. 74.*

sub signa collegit : cuius numero fretus , adeo caesaris copias parui pendit , vt missis obuiam legatis , Hungarorum primores , qui ad eum se receperant , captiuos sibi sine mora remitti arroganter flagitauerit ( a ). Caesar rejecta legatorum petitione , dissimulatoque Hungariam inuadendi consilio , Samuel vicissim admoneri iussit , vt , quemadmodum nuperna pace cautum erat , captiuos restitueret , et pactam ad damna superiore bello Germanicis terris illata sarcienda pecuniam numeraret . Interea promoto per Sopronensem comitatum exercitu , Arrabone , qui tum ultra modum aquis incumuerat , Hungaris ductoribus feliciter superato , haud procul Laurino in *Samuelis* conspectu caesarea signa explicuit . Hic decretorio certaine magno vtrimeque impetu , et obstinatione concursum est : et retulisset sane eo die , qui V. Iulii fuit , insignem de *Henrico* caesare victoriam *Samuel* , nisi nobiles Hungari , qui tacite illum auersabantur , in medio pugnae aestu , cum fidissimis suorum ad caesaris partes transiissent : tum enim vero incondita illa vulgi multitudo , idoneis destituta ducibus , abiectis et animis , et signis effuso cursu in fugam abiit , victoriamque *Henrico* caesari reliquit : quae quidem illi multa suorum caede , et

(a) Simon Keza pag 85. Tunc nuncii Abae regi repetebant incessanter a caesare Hungaros , qui ad caesarem fugerant. Chronicon item cap. XXXVII.

sanguine constitit (a). Samuel cum Sarolta coniuge, et liberis interceptus, subinde Petri iussu obtruncatus, coronam, et vitam perdidit (b). Corpus eius in monasterio de Sár, quod olim ipse condiderat, tumulum inuenit (c). Ex illis, quae de Samuelis rebus gestis succincta narratione retulimus, clarum fit, eum nec prudentia, nec virtute, neque vllis ad imperandum dotibus fuisse instructum, vt adeo odio potius Petri regis, et errore hominum, quam suomet merito solium conscenderit. Regnum, quod clemencia, et humanitate facile conseruare poterat, inconsulta sua severitate alienatis primorum animis, culpa sua amisit. Etsi porro Hungaricae genti a Christianismo ad gentilissimum redeundi minime fecerit potestatem; nimia tamen sua cum infima plebe familiaritate, aliquam defectioni huic occasionem dedit.

(a) Keza pag. 86, et 87, Chronicon cap. cit.

(b) Hermannus Contractus ad A. 1044. Postea vero Petrus in regno confortatus, eundem Ovom, Abam, cum uxore, et filii comprehensum decollauit: apud Vrftisium. Item apud Canisium: Nec multo post idem Ouo, Aba, a Petro rege deprehensus, scelerum suorum poenas, capite plexus, persoluit. Itaque Petri iussu caesum Sainuelem certum est.

(c) Keza pag. 87. Corpus initio prope quandam ecclesiam sepultum, serius postea effossum, in proprio monasterio conditum refert. Idem narrat chronicon cap. cit. monasteriumque de Saar appellat.

Ceterum, quacumque demum via regno potitus sit, nos eum ob sacri diadematis, quod eius capiti impositum fuit, reuerentiam in regum nostrorum serie collocamus (*a*).

---

## P E T R V S

## R E S T I T V T V S

A. C. 1044.

## §. I.

*Petrus per Henricum III. regno restitutus.*

*H*enricus caesar ex hostium multitudine, et magna suorum clade, victoriae magnitudinem aestimans, in ipso praelii loco, Deo victoriarum largitori soleunes egit gratias (*b*). Accessere eum postea Hungarorum primores, magno numero congregati, supplicesque veniam deprecabantur; quod tanto tempore

(*a*) Plura de Samuele Aba rege. Vide apud Cl. Katalna Tom. I. pag. 608.

(*b*) Chronicon cap. XXXVII. *Caesar autem reversus ad castra ante sacrosanctum lignum salutis reuecrucis se humiliiter, ac deuote prostravit, discalceatus pedes, et cilicio ad carnem induens, una cum omni populo suo misericordiam Dei glorificauit, quod ipsam illo die liberauit de manibus Hungarorum.*

*Petri* reductioni obstitissent: clementiam denique victoris implorarunt, ac paratos se se ad recipiendum *Petrum* declararunt. Caesar supplices non sine exquisitis benevolentiae signis, in gratiam receptos, blande consolatus, recta cum exercitu Germanico Albam-regiam contendit. Hic caesareo ornatus amictu, *Petrum* in Diuae Virginis Deiparae basilicam manu sua deduxit, ac D. Stephani vestimentis, insignibus, et diademate decoratum, in praeparato ad id folio collocauit. Examinatis postea, quae Hungaros a *Petro* olim alienauerant, causis, lites regem inter, ac subditos summa cum prudentia, et aequitate composuit, cunctisque mutuorum odiorum causis fontem obturauit. Cum enim praecipuam exautorati *Petri* causam eam fuisse comperisset, quod is veteribus legibus, iuribus, et consuetudinibus, quibus siue sub antiquis ducibus, siue sub S. Stephano Hungari assueuerant, arbitrio suo abolitis, novas leges, et consuetudines patriis moribus, ac institutis contrarias introduxerit, ac insolitis tributis gentem vniuersam diuexauerit; his omnibus consilio, et autoritate sua antiquatis, veterem regiminis Hungarici formam iterum reduci, veterique more Hungaricam gentem regi, atque gubernari iussit (a).

---

(a) Keza cap. III. pag. 88. *Caesar vero obtenta victoria, descendit Albam ciuitatem, ubi Petro restituit regnum, et sic tandem reuersus est Ratisponam.* Hoc idem pluribus enarrat chronicon cap. XXXVII. ac subdit: *Et, ibidem Albae regiae, regem*

Sopitis hac ratione discordiis mutuis, Hungarisque *Petro* conciliatis laetus caesar, ne rem optime tum coeptam, intempestiu*a* iuriū recens aquisitorum prosecutione corrumperet, ab *homagio*, vt vocant, per regem, regnique optimates ex pacto sibi praestando, tum quidem consulto abstinuit, ac relictā ad clientis restituti custodiam copiarum Germanicarum parte, in Germaniam recessit. Interea *Petrus* fidei caesari datae, ac beneficii ab eodem accepti memor in id toto conatu incubuit, vt Hungarorum primores, ad amplectendam caesaris, ac imperii Germanici clientelam induceret, agebat id eo libentius, quod maximum inde sibi commodum euenturum credebat, confisus fore; vt caesar eum deinceps, tamquam suum, imperiique clientem, aduersus omnia Hungarorum molimina totis viribus tueretur. Sed et regiae stirpis Hungaricae ducibus, quos vnicē metuendos habebat, spem omnem redditus ad solium p̄aeclusum iri autumabat, quod caesar regni, ad ius imperii sui adscripti, inuestituram nunquam illis concessurus videatur. Postquam itaque complurium e pri-

---

*Hungaris, et Hungaros regi reconciliauit, concessisseque potentibus Hungaris Hungarica scita seruari, et consuetudinibus iudicari.* Hermannus Contractus ad A. 1044. habet: *Hungarios potentes lege Baiuarica donauit fortasse pro ly Baiuarica substituendum est Hungarica, et tum Hermannus cum patriis scriptoribus ad amissim consentit.*

moribus *Henrici III.* vires, et vindictam extimescentium animos consiliis suis obsequentes reddidisset *Petrus*, anno in sequente, *Henricum III.* caesarem ad se inuitauit, ut Hungariam illi, ac imperio fiduciariam faceret (a).

## §. II.

*Hungari suo cum rege clientelam S. R. imperii amplectuntur.*

Vere igitur A. 1045. *Henricus III.* in splendido virorum illustrium, et copiarum comitatu, quartum iam Hungariam ingressus, maxima cum pompa, a *Petro* rege, regnique primoribus acceptus, Albam-regiam deductus fuit. Placuit homagio praestando dominicam Pentecostes, quae eo anno in XXVI. Maii inciderat, designare: quo die *Petrus* rex aurata lancea in manus caesaris tradita, regnum Hungariae eidem vna, atque Romano imperio obtulit. Primores quoque gentis Albae-regiae tum congregati, *Henrico III.* eiusdemque in imperio Germanico successoribus perpetuae fidelitatis sacramentum nuncuparunt. Caesar vicissim oblatam sibi hunc in modum Hungariam *Petro* regi restituit, vita comite fiduciario nomine possiden-

(a) Inuitatum fuisse a *Petro* *Henricum* testis est Hermannus Contractus ad A. 1045. *Petrus rex Henricum regem in festiuitate pentecostes, ad se inuitatum, magno apparatu suscepit.*

dam (a). Hac eadem occasione caesar, ut a cliente, cuius causa in bellum Hungaricum tantos sumtus profuderat, commodi quidam perciperet, aliquod tributorum, vel potius munerum genus in signum clientelae sibi annis singulis pendendum *Petro* regi imposuit: quod onus etiam ab *Andrea I.* rege postea hoc nomine caesar exegit. Atque sic regno tam illustri auctis Romani imperii iuribus, ac finibus, laetus *Henricus* caesar lanceam illam a *Petro* rege sibi traditam, Romanam Diuo *Petro* transmisit, in perpetuum assertae Germanico imperio Hungariae monumentum (b). Etsi porro clarissima sint scri-

(a) *Hermannus Contractus ad A. 1045.* *Petrus rex Heinricum regem, in festivitate pentecostes ad se invitatum, magno apparatu suscepit, et maximis muneribus donauit, eique regnum Pannonicarum, principibus Hungariorum fidelitatem illi, et successoribus eius iuramento firmantibus, reddidit, quod tamen ab eo, ipse dum viueret, possidendum receperit.* Coaequo huic scriptori consentiunt chronica nostra cap. XXXVIII. *Sequenti vero anno reuersus est caesar in Hungariam, cui Petrus rex in ipsa sancta paschali pentecostali solennitate, regnum Hungariae cum deaurata lancia tradidit coram Hungaris simul, et Teutonicis multis etiam insuper et magnificis muneribus caesar honorificatus a rege, ad propria rediit cum gloria.*

(b) Clarum id sit ex literis Gregorii VII. papae ad Salamonein regem A. 1074 datis, in quibus haec leguntur. *Nam sicut a maioribus patriae tuae cognoscere potes, regnum Hungariae S. Romanae ecclesiae proprium est; a rege Stephano olim B. Petro cum omni iure, et potestate sua oblatum,* ex

scriptorum testimonia, quae Hungariam hæc tempestate in S. Romani imperii clientelam concessisse evincant: non defunt tamen recentiores, qui, vt primaevani regni Hungarici libertatem tueantur, testimoniorum horum fidem aut eleuare; aut certe mitius interpretari conentur. At nos id, quod verum est, libere sentire, et citra ambages scribere soliti, reapse id accidisse vltro concedimus; quin propterea genti Hungaricae iniuriā inferamus. Et vero ex hac Petri regis regni traditione Hungaria aliquamdiu, et si satis aegre, in S. R. imperii clientela perstitit: Quin etiam Henricus III. caesar, ordinisque imperii ius inde aquisitum pro viribus tueri, persequique sunt adnisi, vsque ad pacem A. 1052. cum Andrea I. compo-1052.  
tam. Salamone postea in solium Hungaricum electo, Henricus IV. caesar cunctis in Hungariam iuribus A. 1063. renunciavit, ne-1063.  
que eadem vñquam deinceps recuperavit. Atque sic prioribus Petrum inter, et Henricum pactis, posteriori pactio[n]e derogatum, regnumque Hungaricum in pristinam liber-

deuote traditum. Praeserea Henricus III. pia[m] memoriae imperator ad honorem S. Petri regnum illud expugnans neinpe A. 1044. victo rege, Samuele Aba, et facta victoria, ad corpus E. Petri lanceam, coronamque transmitit, et pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum, id est originem dignitatis eius, seu regiae appellationis, attinere cognovit.

tatem vindicatum fuit , quam pluribus deinceps seculis , ad hodiernum vsque diem sartam tectamque seruauit.

### S. III.

*Nova in Petrum regem coniuratio.*

**H**enrico III. caesare in Germaniam reuerso , mox iterum regni Hungarici quies , et tranquillitas turbari coepit ; pars illa regni primorum , cuius fides , et industria in reducendo *Petro* antea eluxerat , praeципua , vt primum erat , apud eum gratia , et autoritate pollere coepit , non sine ceterorum inuidia ; hos inter primi fuere comes *Buda* , quem in remouendis a successione regiae domus principibus , *Petro*que rege creando , plurimum olim elaborasse iam alibi diximus , tum comes *Deuecher* , ac denique recens e Suevia in Hungariam adductus *Guthkeled* (a) . Horum itaque confilio *Petrus* , contra omnes prudentiae leges , Hungaros , proceres , atque nobiles , qui in se olim *Samuele Aba* duce coniurauerant , rursus odio prosequi , ac propalam infectari , contra datam ab *Henrico* caesare fidem , qui omnes vltro ad obsequium redeuntes venia donatos in gratiam receperat . Regis exemplo audaciores redditio partium illius proceres pressae diu vindictae frena impune laxare , Hungarosque modis

---

(a) Chronicon cap. XVI.

omnibus laceſſere non dubitarunt (*a*). Cum igitur hi priora redire tempora cernerent, ac e p̄aefenti regis, atque ministrorum ſecum agendi ratione multo adhuc grauiora ſibi imminere mala non abs re p̄aefagirent; irritatis paulo veheſtientius animis, de exetiendo iugo, reuocandisque ad regnum regiae domus principibus confilia clam agitare cooperunt: quo in numero cumprimis ceneſebantur comes Viske, nec non Gyulae, olim Transſiluaniae capitanei, gemini filii: Bue, et Bukne: quorum etiam ſubſidiis Andreas, ac Leuenta in Russia exules aleban- tur (*b*); occulta haec confilia postquam e

(*a*) Simon Keza cap. III. pag. 88. *Rege ergo Petro, et Hungaris, qui eum in regnum reduxerant, vires, et potentiam resumentibus, cooperant eſſe insolentes.* Chronicō item cap. XXXIX. Petrus verò rex per potestatē regis Teutonicorum Henrici III. elatus, non iam regnabat, ſed potius ty- rannidis ſuae crudelitate Hungariam deprimendō flagellabat. Hae igitur fuere nouae in Petrum coniugatiois cauſae, non item facta Henrico III. regni oblatio.

(*b*) Simon Keza pag. 88. *Qua de cauſa omnes Hungari ſollicite intendebant, qualiter, amoto Petro, filios Zár Ladislai reducere potuiffent.* Chronicō item cap. XXXIX. *Eo tempore quidam magna- tes Hungariae desolationem regni gementes, et li- berationem Hungariae a tyrannide Petri cuſientes, Endrae, Belae et Leuentae, qui de genere S. Ste- phani regis progeniti erant, intemeratam fidelita- tem ſeruabant, et eis per nuncios bona, quae ha- bere poterant, mittendo fideliter ſeruiebant.* Erant autem iſti magnates: Viska, Bua, et Bukna, et alii eorum cognati.

ministris suis *Buda*, et *Deuecher* didicisset *Petrus*, vt gliscentem flammat in ortu ipso vno impetu praefocaret, quos iam nominauiimus coniurationis primipilos, *Viskam*, *Buam*, *Buknam*, eorumdemque cognatos ex insidiis comprehensos, alios quidem equuleo suspensos, alios oculis effossis cruciatos, iussit interfici: sed neque in iusta hac seueritate modum tenuit: paucorum enim crimine toti iam genti offensus, adeo atrociter Hungaros omnes sine discriminē exagitauit, vt illi abiecta spe veniae, in desperationem acti, mori potius, quam adeo miseram vitam duce, mallent (a).

1046. re anni 1046. insalutato rege ad comitia Tsanadinum conuenere: in quibus vnanimi coniuratorum consensione decretum fuit, vt *Petro*, e folio deiecto, *Andreas Ladislai* Calui filiorum primogenitus sufficeretur. Quod vt firmius esset, omnes, qui illic aderant, solenni iuramento fidelitatem, et obedientiam professi cauerunt, vbi primum *Andreas* regni limites attigisset, vniuersos ad eundem tamquam principem suum confluxuros (b). Mittuntur itaque sine mora legati in Russiam, aut

(a) Chronicon cap. cit. *Et sororiam Hungariam tam magnis afflixit angustiis, ut magis eligerent mori, quam ita miserabiliter viuere.*

(b) Idem cap. cit. *Hoc etiam eis iuramento firmauerunt, quod statim, ut ipsi in Hungariam introirent, omnes Hungari vnanimiter ad ipsos confinarent, et eorum dominio se subderent.*

potius vicinam Hungariae Cumaniam (*a*), qui *Andream* de obligata sibi totius gentis fide certiorem redderent, ac ad capessendum ocyus regnum communi nomine inuitarent.

## §. IV.

*Hungarorum a fide Christiana defectio.*

*Andreas* prona gentis Hungarianae in se voluntate ex legatis intellecta; seu insidias vereretur, seu coniuratorum vires ad eiiciendum e regno *Petrum* impares esse putaret; ne quid temere aggrederetur, fidos prius in Hungariam misit exploratores: qui cum ea, quae legati retulerant, vera esse, ac magnam insuper Hungarorum multitudinem in limitibus congregatam renunciassent, accelerato itinere, cum *Leuenta* fratre e Cumania in Hungariam transiit mense Septembri A. 1046. Postquam ad arcem Abauiuariensem, a *Samuele* Aba conditam, peruentum fuit, sistit se ducibus primus religionis Christianae desertor *Vatba*, immensa multitudine armata stipatus, ac communi omnium nomina enormia sane, et vel auditu horrida *Andreae* duci postulata proponit: ut videlicet leges de Christiana religione per D. Steph-

---

(*a*) Simon Reza pag. 88. diserte habet, dum *Andreas*, et *Leuenta* a duce *Lodomeriae* propter *Petrum* regem suscepisti non fuissent, ad terram usque duncum Cumanorum.

*num latas ipso in regni aditu aboleret; potestatem faceret omnibus, ritu pagano vivendi, et pristinos suos Deos colendi: episcopos, sacerdotes, et clericos euangelii ministros occidendi: ecclesias Christianas demoliendi, ac denique aduenas tam Teutones, quam Italos vbiuis impune trucidandi* (a). *Ad insana haec postulata exhorrescentem, trepidanteque Andream vt eo certius flecteret Katha, clare edixit, nisi ea, quae petebat, concederentur, neminem e contribulibus suis ei adhaesurum, neque arma, viresque aduersus Petrum expediturum* (b). *Hoc rerum positu Andreas idoneis ad comprimentam eam secessionem viribus se destitutum considerans, tolerandam interea existimauit, sperans fore; vt ipsa hac sua indulgentia tempestatem exortam mitiget, postea vero, vbi solium consendisset, eauidem prudentia, autoritateque sua componiat.* : *Vixdum connuentia Andreae in vulgus dimanauit, cum continuo vbiuis ad arma conuolatum est, non in Petrum solum, verum etiam in religionem stringenda. An-*

(a) Recenset haec chronicon cap. XXXIX. *Quod permisserent uniuersum populum ritu paganorum vivere, episcopos, et clericos occidere, ecclesias destruere, Christianam fidem abiicere, et idola colere.* Et eius Simon Keza pag. 89. *Quod omnes Teutonicæ, et Latini ubicumque inuenti perimantur, et resumatur ritus paganismus.*

(b) Chronicon cap. cit. *Altiter enim non pugnabant contra Petrum regem pro Eusebre, et Leucente.*

te omnia *Vathae* primipili concionibus inducta plebs, eiurata publice religione Christiana, patriis Diis se se deuouit, atque in suscepti gentilismi signum, idmodi cibis, quibus Hungari olim, sacrificii fortasse tempore, vti confueuerant, propalam vesci coepit (a). Vnde quasi oestro quodam perciti, exteris, imprimis Teutones, et Italos, qui publicis muneribus seu sacris, seu profanis a *Petro* rege praefecti erant, barbarum in modum neci dederunt; multa deinde templa diruta, et solo aequata sunt; saeuitum denique in episcopos, presbyteros, parochos, monachos, ac laicos etiam, eos praesertim, quos pietas, et ip tuenda religione Christiana constantia commendabat. Dies imprimis XXIV. Septembbris ab innumerabili Christianorum caede fuit memorabilis, quo D. *Gerardus Tsanadiensis* episcopus, *Baldus* item, ac *Beszteretus* episcopi, cum comite de *Zolnok Alba-regia* digressi, vt *Andreae* duci ad *Pestinum* occurserent; ad radicem montis *Kelenfelde*, qui nunc a D. *Gerardo* nomen habet, odio fidei Christianae trucidati sunt (b). Atque hi fuere fructus indulgentiae illius, qua insanis inconditae plebis postulationibus

(a) Tunc, inquit chronicon cap. cit. *detestabiliter et execrabiliter admonitione illius Vathae, omnes populi libauerunt se daemoniis, et cooperunt condere equinas pulpas.*

(b) Chronicon cap. XXXIX. et XL. Simon Kera pag. 90. Biographus S. Gerardi cap. XIX, §§ XX.

*Andreas*, quamquam inuitus, conniuit: tri-  
stia haec inter spectacula Pestinum denique  
vna cum fratre *Leuenta* incolumis peruenit  
aemulum, qui illic haerere nunciabatur, op-  
pressurus.

## S. V.

*Lugubris Petri regis interitus.*

Petrus interea, qui conciliato sibi, ac ad  
foedus pertracto Lodomeriae duce, nil du-  
bitabat omnes e Russia in Hungariam aditus  
*Andreae*, et *Leuentae* praecclusum iri, secu-  
tus sui ad Pestinum degebat, cum repente  
nocte intempesta, totam iam gentem Hunga-  
ricam ducibus adhaerere, eosdemque Pestin-  
po appropinquare e coniuratorum praecur-  
soribus intelligit. Nil eo nuncio turbatus,  
neque vilo formidinis signo edito, cuncta  
ad vim repellendam apparat; regiam cum pri-  
mis ciuitatem Albensem idoneo communiri  
iubet praesidio, ipse vero superato Danubio,  
Mosonium versus tetendit, tum ut per iter  
kopias colligeret, tum vero, ut, si quid sinistri  
eueniret, securum in Austriam receptum ha-  
beret. Verum fecus, ac sperarat euenit.  
Fama enim reditus exulum ducum per omnes  
regni partes de industria sparsa, non nobi-  
les solum, verum etiam plebs ipsa Hungari-  
ca, pro ea, qua in domesticorum principum  
fuerum familiam ferebantur propensione,  
desertis Petri partibus, ad arma pro *Andrea*  
duce conuolarunt. Cum itaque omnia tu-

multu ferauere, neque securam villam ex Hungaria in Austria euadendi viam cerneret *Petrus*, Albam-regiam, quam in sua etiamnum fide perstare censebat, reuerti constituit. Sub idem tempus adfuit *Andreae* ducis legatus, qui eum nomine principis sui pariter Albam-regiam inuitabat, vt illic pax honestis vtrimeque conditionibus coalesceret. Aquieuit tum *Andreae* voluntati *Petrus*; at cum redeundum inter suspicio illi oborta fuisset, id moliri legatum, vt eum ex insidiis comprehensum, vinculisque constrictum ad *Andream* ducem deduceret; contumeliae impatiens, se se a legati comitatu eripuit, ac in villa *Zamur* dicta, curiam quamdam ingressus, paucos, quos secum habebat itineris comites, ad fortiter pro se, ac secum dimicandum, vel moriendum cohortatus est. Exorta igitur pugna triduum tenuit; dum denique sociis omnibus pugnandum inter occisis *Petrus* in victorum venit potestatem. Tum enimvero effrenis vulgi licentia in infastum principem vltra modum omnem defaeuit: reuerentiae quippe, quam vel ethnici ipsi summis imperantibus deferunt, obliata, innumeris prius contumeliis, et iniuriis affecto per summam crudelitatem vtrumque effudit oculum: patrato tam enormi criminе, *Petrus* Albam-regiam deuectus, vna cum coniuge sua custodiae mancipatus est (a).

(a) Coningis meipinit Hermannus Contractus scriptor coaeuuus ad A. 1046. *Petrum*, inquit, regem multis aduenarum, qui pro eo pugnauerant, occi-

Hic aliquamdiu superstes miserandus princeps, et vulneris cruciatu, et moeroris acerbitate consumptus obiit (*a*). *Andreas* postea summa in mortuum humanitate usus, non modo exanime corpus in Quinque-ecclesiensi S. Petri apostoli basilica sepeliendum curauit; verum etiam in barbaros illius carnifices se uere animaduertit. Tristem hunc regni, et vitae exitum euitare *Petrus* poterat, si exemplo D. Stephani auunculi sui, subditos suos iuste, clementerque gubernare, ac a totius gentis contemtu, et iniqua vexatione abstinere voluisse. Ope *Henrici III.* regno restitutus, suisque conciliatus, vitia, quibus antea omnibus exosum se reddiderat, nullo negotio corrigere potuit; at ille assentatorum consiliis corruptus, exterorumque viribus ultra quam oportebat confisus, dissidiis domesticis fontem referare, quam obstruere maluit. Nullum profecto securius, firmiusque summo imperanti est praesidium, sincero subditorum amore, quo semel sublatto, nulla iam tam arcta sunt vincula, quae non fraude, ac malitia hominum labefactari, dissoluique valeant. Coniugem *Petro* fuisse ex coaeuo scriptore Hermanno Contracto

*sis, variis cum coniuge sua iniuriis affectum, postrem oculis priuant, et in quemdam locum cum eadem coniuge sua alendum deportant.*

(*a*) Simon Keza cap. III. pag. 89. et sequ. Chro-nicon cap. XL.

certum est, qua autem e domo illa fuerit,  
a nemine posteris consignatum habemus. Sed  
neque prolis alicuius *Petri* regis ullus me-  
minit (a).

---

# ANDREAS I.

## R E X IV.

A. C. 1047.

§. I.

*Andreas in regem inauguratus religionem Chri-  
stianam restituit.*

*Andreas* inter continuas Christianorum cae-  
des, et templorum incendia Albam regiam  
de luctu, aliquamdiu ab inaugurationis so-  
lennitate abstinuit; vsque dum tumultus, qui  
omnes regni partes corripuerant, conque-  
serent, ut antistites, regnique primores ad  
habenda pro more comitia tuto possent con-  
uenire; postquam igitur gentilium furor tot  
iam caedibus satur, vulgata *Petri* morte ali-  
quantum deferbuisset, ac ipse hyemis rigor  
vulgus inconditum ad sua mappalia reuocas-  
set, reddita iam patriae tranquillitate princi-

---

(a) Plura de Petro petenda sunt ex Histor. crit. cl.  
Katona Tom. I. in rebus Petri.

1047 pio A. 1047 a tribus solum episcopis tum  
superstitibus, ritu solito vinctus, coronatus  
que fuit (a). Eadem occasione cum dilat-  
piss gentilibus, praeter primores, nobiles-  
que regni, ingens insuper Christianorum  
multitudo Albam confluxisset, Andreas ali-  
quid iam audendum ratus, solenne edictum  
per vniuersum regnum promulgari iussit, quo  
sub capitib poena praecipiebatur omnibus,  
*ut deposito paganismo prius eis per connuen-  
tiam concessso, ad veram Christi fidem reuerte-  
rentur, et in omnibus secundum legem illam  
vuerent, quam sanctus rex Stephanus eos do-  
cuerat.* Seuerum hoc *Andreae regis* edictum  
vehementer gentilium omnium animos fre-  
git; praesertim quod dux *Leuenta* sub id  
tempus obierat, quem chronica nostra a  
Christi fide ad paganismum desciuisse memo-  
rant. Post haec *Andreas* tot innocentum ho-  
minum caedibus, tot templorum euersione,  
et sacrorum profanatione, ac suamet denique  
connuentia Diuinum numen grauiter offen-  
sum esse recogitans, *ut crima haec publi-  
cis, totique genti communibus poenitentiae  
signis expiarentur, tridui vigilias, et ieiu-  
nia ante festum SS. Apostolorum Petri, et*

(a) Haec ad mentem chronicī cap. XLII. Porro  
dux *Andreas* a perturbationibus hostium securus  
effectus in regia ciuitate Alba, regalem coronam  
est adeptus a tribus tantum episcopis, qui in illa  
magna strage Christianorum euaserant, coronatus  
est. A. Domini MXLVII.

*Pauli* habenda preecepit, ac ad ea in perpetuum obseruanda solenni voto se cum vnuerfa gente sua obstrinxit (*a*): id quod longiore postea tempore in Hungaria religiose obseruatum fuit. Hac ratione coercita fidem Christianam deserendi licentia, episcopi, abbates, et presbyteri, qui cladem euaserant, securi iam pristinas repetiere stationes. Verum tot ecclesiae ministrorum per gentiles intersectorum iactura non illico suppleri poterat. Dissipatis enim domestico plurium annorum bello scholis, profligatis e regno magistris, deerat iuuentus sacris apta ministeriis, vt adeo ne populus diutius sine pastoribus viueret, necesse fuerit, clericos aduenas ex aliis regnis profugos, aut homines sacrarum scientiarum rudes, vel certe coniugatos iam ad sacros ordines, et canoniciatus promouere, parochiisque praeficere; quin etiam euenit, vt nonnulli coniugio illicati, collocatis prius in monasterio, auctor seculo loco alio vxoribus, ad episcopatus assumerentur: ex quibus recte inferes, visitata aliquamdiu in Hungaria presbyterorum coniugia non a ritu Graeco, sed a caelibum hominum sacris idoneorum penuria esse repetenda (*b*). Ceterum *Andreas* nulli dein-

(*a*) Decreti S. Ladislai Lib. I. cap. XXXVII.

(*b*) De coniugio Sacerdotum in Hungaria lege S. Ladislai decret. Lib. I. Colomanni decret. Lib. I et II. Canones synodi Strigonensis A. 1112. sub Laurentio archiepiscopo editos. Apud Peterfi concil. Hung. Tom. I.

ceps operae pepercit, vt populares suos, qui coeco potius impetu, quam ratione ducti paganisum suscepserant, ad Christianam fidem reuocaret: vnde honorifica illi regis *Catholici* appellatio adhaesit (*a*).

### §. II.

*Henricum III caesarem sibi conciliare nititur.*

Resumentibus iam vires, animosque Christianis, vt se in solio confirmatum, securumque vidit *Andreas*, exemplo *Dauidis* regis eos omnes, qui effossis crudeliter oculis, decessori suo *Petro* mortem consciuerant, quaestioni subiecit, ac condignis addixit suppliciis; recte sapienterque existimans, nullo vnquam tempore, aut colore a crimine excusari posse illos, qui in coronata regum capita violentas manus exeruisset. Porro cum non dubitaret *Henricum III* caesarem ad *Petri* clientis sui exautorationem, secutamque mortem vescendam, ac etiam sua ad regnum Hungaricum iura persequenda, bellum Hungaris illaturum; mox a coronatione sua legatos ad eum misit, qui pacem deprecarentur, ac vna referrent, nil ab se per vim, aut dolum fuisse actum; se nil tale ominantem, per Hungaros euocatum, ad auitum regnum occupandum vi prope fuisse adactum, ne, si

(*a*) *Chronicon cap. XLII. Iste quidem rex Albus Andreas et Catholicus est vocatus.*

recusaret, Hungaria seditionibus dirum in modum perturbata, penitus interiret; nil se in *Petrum* regem sinistri molitum, nec mortis illius fuisse autorem, atque idcirco paricidii conscos plerosque morti tradidisse; alios autem custodiae datos caesari, si libuerit, resignaturum: petere igitur se maiorem in modum, ut pro ea, qua est aequitate caesar, se ab vniuersa gente electum, et inauguratim regem tranquille deinceps regnare fineret. Ut autem omnem omnino belli ansam caesari praecideret *Andreas*, cum non ignoraret, biennio abhinc a *Petro* rege, consentientibus Hungariae primoribus, clientelam S. R. Imperii professo, tributa insuper annua fuisse oblata, ipse pariter haec eadem se fideliter praestiturum pollicitus fuit. Singulari hac humanitate placatus aliquantum *Henricus III*, etsi *Andream* in folio Hungarico minime confirmauerit, ab inferendo nihilominus bello biennio integro abstinuit (a).

### §. III.

*Difficile cum Henrico III caesare bellum sapienter gestum.*

Quies haec Hungaris saluti fuit. *Andreas* enim illius opportunitate usus, D. *Stephani* regis imitatione, gentem Hungaram clemen-

(a) Hermannus Contractus ad A. 1047. *Andreas*, qui regnum Petri obtinuit, iam crebro legatos suplices miserat, regnum se ab Hungariis coactum sus-

tia, et humanitate paulo arctius sibi deuinxit, adeo, ut exorto postea quadriennali cum caesare *Henrico* bello, eamdem sibi constanter fidelem sit expertus: praeterea, cum repetitis ad caesarem legationibus impetrare non posset, ut in regno confirmationem acciperet, bellum ineuitabile praefagiens, cuncta ad illud fortiter excipiendum tempestive apparauit. Arces igitur, et munita diligerter renouata, maiorum fluminum ripae, qua commeatus erat, castellis erectis communitate, res item militaris ita ordinata, ut bello ingruente facile miles colligeretur: quia vero *Andreas* ipse non admodum in armis exercitatus erat, fratrem suum *Belam* scientia, et virtute militari magnum apud Polonos no-  
1049.men iam consecutum A. 1049. ad se euocauit, copiis Hungaricis summa cum potestate praefuturum. Hic porro ita postea bellum administravit, ut a decretorio certamine constanter abstineret, ac hostem solummodo ex insidiis carperet, atque lacefferet. Omnia ad haec pecora, ne hostis ea occuparet, in remotiora regni loca abigebat; segetes item, qua hosti transiundum erat, et pascua ipsa in-

*cepisse confirmans, de Petri se iniuriis excusans;*  
*quiique aduersus eum coniurauerant, partim a se cru-*  
*cidatos, partim ipsi imperatori tradendos denun-*  
*cians, suamque imperatori subiectionem, annum*  
*censum, et deuotam seruitutem; si regnum sibi ba-*  
*bere permitteret, mandans. Quibus ex causis di-*  
*lata expeditione ita, in Theodoricum arma com-*  
*meuit Henricus.*

incendio corrumperebat: quo factum, ut caesareani inedia pressi paulo citius signum receptui dare, ac ex Hungariae finibus excedere cogerentur. His itaque artibus effectum, ut A. 1049 *Adalbertus* Austriae marchio, quem caesar ad debellandum *Andream* regem destinauerat, ab ipso Hungariae ingressu sit prohibitus. Anno insequente 1050 <sup>1049</sup> pariter inglorius rediit *Gebhardus* Ratisponensis episcopus, caesaris patruus. Neque meliorem successum habuit *Henricus* ipse A. 1051. Quin etiam cum anno insequente maximi instructus copiis Hungariam inuasit, non tam viribus, quam ingenio arteque Hungarorum superatus, ad pacem denique amplectendam adactus fuit.

## §. IV.

*Honorifica, et utili Hungaris pace terminatur.*

Pacis huius tractatio multis obnoxia fuit difficultatibus: etsi enim belli principio minime aduersa vteretur fortuna *Andreas*; cum tamen tot domesticis, et exteris bellis exhaustas sub *Petro*, et *Samuele* *Aba* regibus Hungariae vires, cum *Henrici* III potentia, et, qua ad eum diem usus erat, fortuna contendebat, sinistros belli exitus pertimescens, idem tidem legatos misit ad caelarem, qui ei et suo, et totius gentis nomine clientelam, subiectionem, tributa annua, et quidquid demum *Petrus* rex promiserat, offerrent, modo sibi tranquillam sineret regni Hungarici

possessionem. At caesar non aliam pacis rationem admittebat, quam si *Andreas* abdicata corona, regnum Hungaricum imperii Germanici mariibus, iuribusque resignaret: id quod ille, salua dignitate sua, nequibat admittere; sed neque Hungari vñquam passuri erant, vt is, quem liberis suffragiis regem constituerant, mandato caesaris exau-toraretur. Nullam itaque pacis spem in au-la *Henrici* videns *Andreas* ad S. *Leonem IX* pontificem (*a*) a vitae sanctimonia, prudentia, et sincera in omnes humanitate commen-datum, atque *Henrico* caesari iam ante pon-tifieatum familiariter cognitum confugit, eius-deinde patrocinium imploravit, pollicitus liberaliter eas omnes conditiones se initu-rum, quas toties iam per legatos sine fructu obtulerat. *Leo IX* vere A. 1052 in Ger-maniam adueniens eo libentius Hungaro fa-uebat regi, quo maiore cum solatio intelle-xerat, religionem Christianam in Hungaria, illius exemplo, et edictis prope ab interitu fuisse vindicatam, atque idcirco toto conatu in id incubuit, vt *Henricum* caesarem ad utiles adeo, honorificasque pacis conditiones am-plectendas induceret; sed ille ternis iam ex-peditionibus inutiliter tentatis irritatus, ac quartam totis tum viribus adornans, quin et-iam ministrorum, et aulicorum afflentatione

(*a*) S. *Leo IX* sub finem A. 1048. electus ponti-fex, obiit XIX Aprilis A. 1054.

ecorruptus (*a*) surdas pontifici aures præbuit; nihilque de victoria dubitans, quam maximis potuit copiis in Hungariae limites irrupit, arceisque, ac urbem Posoniensem acerrima cinxit obsidione; ne autem exercitus Germanicus inedia, ut alias, aliquando laborare posset, immensa annonae vis secundo Danubio eodem deuicta fuit. Obsessi in tanto positi discrimine, et si nil, quod fortium erat virorum, ab se desiderari paterentur; plurimum tamen spei, ut Christianos decebat milites, in diuina ope collocabant, quam quotidianis precibus a Deo flagitare non desinebant (*b*). Rex ipse Andreas in Posonii salute suam pariter, regnique totius salutem fitam esse intelligens, praeterquam quod ea omnia, quae ad obsecram arcem tuendam, hostiumque conatus retinendos faciebant, strenue, diligenterque eurasuerit; una etiam soleanni voto se tum obstrinxit, ad coenobium Tihoniense in D. Virginis Deiparae, ac S. Aniani episcopi, et confessoris memoriam condeendum, si Deo opitulante, e praesenti coronam, regnum-

(*a*) Wibertus in vita S. Leonis IX, ait: Sed quia factio quorumdam curialium, qui felicibus sancti viri Leonis P. inuidabant acerbis, sunt Angusti aures obturatae precibus domini apostolici.

(*b*) Breczisburg castrum obsedit Henricus III. et variis belli machinis diu oppugnatum, Deo obsecrisse anxie inuocansibus opitulante, frustratis semper nimibus, nullo modo capere potuit: ita Hermannus Contractus ad A. 1052.

que amittendi discrimine incolimis euasi-set (a). Duos, et amplius menses in loci oppugnatione summa cum pertinacia consumit caesar: at postquam dextre perforatis per Hungaros vrinatores, atque demersis annonariis nauibus, exercitum inopia labrare sensit (b), mitior aliquantum redditus, beneuolas iam *Leoni IX* pontifici aures adhucuit, hocque arbitro, eas ipsas pacis conditiones, quas *Andreas* belli principio aliquoties obtulerat, quasque ipse tum victoriae spe elatus respuerat, Hungaris proponi iussit. Verum *Andreas* fauentiorem iam sibi fortunam aspirare; caesaris autem res deteriores in dies fieri videns, iacentem diu animum paulo altius erexit, habitoque cum suis eonsilio decrevit, nullam pacem admittere, nisi per quam se via, atque gentem suam a caesaris, et imperii Germanici clientela, ac seruitute in pristinam vindicaret libertatem: quare pacem quidem honestam se libenter amplexurum pontifici renunciauit, negauit tamen se porro clientelam, aut servitutem professurum; aut quidquam seu tributorum, seu munerum annuorum deinceps eidem transmissurum. Inopinata haec denunciatio omnium grauissime pupugit *Leonis IX*, animum, ut qui toto negotiationis suaे

(a) Literas foundationis Abbatiae Tihoniensis O. S. Benedicti vide apud cl. Katona histor. crit. reg. Hung. Tom. II. pag. 111. et seq.

(b) Chronicon cap. XLIII.

tempore aegre vel illud ab *Henrico caesare* impetraverat, vt, quemadmodum *Andreas* antea rogauerat, cum clientelae subiectionis que onere, in folio Hungarico stabiliretur, atque idcirco ab *Andrea*, mutata repente voluntate, foede se delusum fuisse credebat. Cum igitur *Andream* ad priores pacis conditiones ineundas permoqueri non posse cerneret, eousque indignationis processit cetera mitissimus pontifex, vt anathema illi comminatus fuerit, nisi pristinis iterum promissis staret (a). At ille nec rationibus vtilis, nec precibus, nec minis denique induci amplius potuit, vt commutata iam in melius fortuna, ac propemodum victor, tam turpem, ac sibi, successoribusque admodum grauem a victo, debellatoque hoste pacem mercaretur. *Henricus* quoque suam in ne ganda prius tam sibi vtili, ac honorifica pace duritiem damnans, pudore, furoreque nouo correptus, obstinato iterum animo arcis oppugnationem resumfit: verum paulo post ferociam deponere coactus fuit; annona enim iam omnis defecerat, nec vlla illius seu e vicinia conuehendae, seu ex Germania obtinendae spes affulgebat: multi e militibus inedia consumuti interibant quotidie; multi per Hungaros noctu ex insidiis in ca-

(a) *Hermannus Contractus ad A. 1052. Andream*, inquit, *consiliis suis minus parentem experiens Leo IX. P. offensus, eique excommunicationem, ut post delusa sede apostolica, minitans.*

stra caesarea irruentes telorum imbre obruti  
cadabant inulti : viae denique omnes , per  
quas ex Hungaria in Austriam transiundum  
erat , ab hostibus magno numero obseciae te-  
nebantur (a). Tam iniquo igitur loco cum  
res suas esse videret *Henricus*, ne suae ipsius  
personae maiestatem grauiori adhuc discrimi-  
ni , aut infamiae obiceret : posita arrogan-  
tia , paulo humanius , atque liberalius sibi  
cum Hungaris agendum putauit. Quapropter  
missis ad *Andream* regem , et *Belam* ducem  
legatis , veniam imprimis et diurnae obsti-  
nationis suae , et damnorum regno illatorum  
deprecatus fuit : tum vero maiorem in mo-  
dum orauit , vt militi suo extrema fame labo-  
ranti aliquid alimentorum submitterent , qui-  
bus ad vitam reuocaretur : subinde vero et  
sibi , et residuo exercitui Germanico liberum  
in Germaniam redditum concederent : ex ad-  
uerso autem pollicebatur *Henricus*, se omni-  
bus iis conditionibus , quas *Andreas* postula-  
bat , quam cumulatissime subscripturum. Haec  
vbi in pleno ducum , primorumue consilio  
relata fuissent , non dearant , qui aut delen-  
dum internecione hostem , aut certe duriori-  
bus onerandum conditionibus censiuerent : ve-  
rum *Andreas* , ac *Bela* modum etiam in vi-  
ctoria tenendum , victumque hostem benevol-  
entia potius conciliandum ; quam inhumani-

(a) Copiosius , haec referuntur , sed perturbatio ad-  
modum ordine , apud Simonem Keza cap. III.  
et in Chronico cap. XLIII.

tate irritandum existimantes, pacem se ex caesaris voto datus renunciarunt; nullaque interposita mora, quae desiderabantur alimenta, ad caesarea castra transmisere. Data postea sibi mutuo fide, conuenere una summi imperantes *Henricus* imperator, et *Andreas* rex *Leone* IX pontifice arbitro, de pacis conditionibus acturi. Hoc igitur tempore caesar cunctis illis iuribus, quae ex *Petri* regis oblatione A. 1045. Albae-regiae ritu solen-<sup>1045</sup>  
 ni facta aquisiuerat, semet abdicavit, ac cum gentem Hungaram, tum regem *Andream* eiusdemque in folio successores a clientela, et subiectione liberatos a tributis, muneribus, aliisque oneribus Romano imperatori, imperioque praestandis absoluit. Iurataam insuper fidem dedit: neque se, neque suos in imperio successores vlo vnuquam tempore *Andream*, eiusue successores seu dictis, seu factis, seu etiam consilio laesuros; minus autem infestis signis Hungariam inuasuros: ea etiam addita cautione, vt si vel ipse, vel ceteri post eum caesares fidem violassent, anathemate percussi a fidelium communione rescinderentur: communi scilicet ea aetate more apud Christianos receptum erat, vt ad maiorem promissorum firmitatem, non priuatorum modo, verum etiam summorum principum pacta anathematis sanctione roborarentur. *Andreas* ex aduerso et res victui necessarias, et liberum in Germaniam redditum exercitui caesareo se bona fide concessurum, ac obliteratis praeteritis iniuriis, nil vnuquam hostile aduersus Germanos acturum ad-

dixit: quae omnia solennibus vtrinque iuramentis confirmata, vt firmiora euaderent, *Henricus III filiolam suam Juditham* recens nato *Andreae filio Salamoni* despondit ea lege, vt hic iam tum regni Hungarici heres, atque successor constitueretur, primo quoque tempore sacro diadematate inaugurandus (*a*).

**1052** Pax haec A. 1052 conclusa, vel eo nomine Hungaris et perutilis, et perhonorifica fuit, quod regnum a subiectione Romanii imperii vindicarum pristinae suae immunitati, libertatique postliminio restituerit. Caesar autem tam potentis, opulentique regni iacturam suae vnius obstinationi attribuere debuit: vt qui belli principio, exercitus sui numero, ac robori confisus, ac ab aulae administris in transuersum actus, nullis *Leonis IX.* adhortationibus, atque precibus permoueri potuit, vt *Andreae* regi, cuncta tum ex eius arbitrio facturum se pollicenti, aequiorem se praebet; vnde mutata fortuna id denique consecutum est, vt imperium Romanum, quemadmodum *Wibertus* archidiaconus eorum temporum testis oculatus perhibet, regni Hungarici subiectionem perdiderit (*b*). Interea

(*a*) Vide Simonem Kezan cap. III. pag. 91. et Chronicon cap. XLIII.

(*b*) In vita S. Leonis IX P. lib. II. cap. IV. Sed quia, inquit, factione quorum lam curialium, qui felieibus sancti viri Leonis IX inuidabant actibus sunt angusti aures obturatae preeibus domui apostolici, id est Romana res publica, imperium intellige Romano-Germanicum, subiectionem regni Hungarici perdidit, et adiuc dolet fuitima patriae praedatis, et incendiis deuastari.

dum de pacis conditionibus principes interagebatur, *Andreas* ut suam in caelareos milites inedia la orantes caritatem, atque munificentiam testaretur, praeter immeissam annonae ac vini copiam, maioris insuper molliis pisces, quos Vzones dicimus, quinquaginta, lardi latera bismille, praegrandes tauros mille, boues, oves, ac ceteras pecudes sine numero ad caesarea castra deuehi curauit: quibus cum famentes ultra modum milites paulo immoderatus semet exsaturos sent, evenit, ut quamplurimi nimiam voracitatem suam morte fuerint: unde imperiti quidam suspicati sunt, oblatas ab Hungaris escas veneno fuisse corruptas: cuius tamen calumniae falsitas euidenter demonstrari poterit innumeris quavis aetate eorum exemplis, qui post toleratam diu famem, mortem sibi immodico esu consuerunt (*a*). His omnibus ex sententia gestis, laetus *Leo IX.* pontifex cum *Henrico III.* caelare in Germaniam recessit.

### §. V.

*Andream inter, ac fratrem Belam ducem disfidiorum causae.*

*O*ptatissimae cum *Henrico III.* pacis fructibus ad obitum usque frui non licuit regi *Andreae* ob atrociam cum *Bela* duce diffidia.

---

(*a*) Simon Keza cap. III pag. 92 et sequ. Chronicon cap. XLIII.

Hunc imminentem iam bello Germanico A.  
**1049** 1049 e Polonia ad se inuitauerat, vt insigni  
 illius bellica virtute, et fortuna vteretur;  
 quo autem eum eo certius ad deferendam  
 Polonię, ac patriam repetendam induceret;  
 quoniam ad eum diem herede carebat, indu-  
 biam illi a morte sua promittebat in folio  
 Hungarico successionem (*a*). Hac spe ani-  
 matus *Bela* cum coniuge *Rischa*, *Casimiri* Po-  
 loniae ducis filia, ac duobus filiis *Geisa*, et  
*Ladislao* relicta Polonia, eodem anno in  
 Hungariam se transtulit; beneuole eum fra-  
 ter accepit, ac, vt promissa sua effectu com-  
 plere inciperet, tertiam illi regni Hungarici  
 partem ducatus titulo, sed plena cum pote-  
 state possidendam tradidit; in regiminis quo-  
 que communionem eumdem adscivit, ita vt  
 nil deinceps fratre inconsulto ageret, atque  
*Bela* solo pene titulo a rege distinguere-  
 tur (*b*). Verum has *Andreae* regis destina-

(*a*) *Nos, teste Chronico cap. XLII. nunciabat Andreas,*  
*qui quondam penuriae participes fuimus, et labo-*  
*rum, rogamus te dilectissime frater, vt ad nos non*  
*tardes venire, quatenus consortes simus gaudiorum, et bo-*  
*nis regni corporali praesentia gaudentes, communi-*  
*cemus; neque heredem enim habeo; nec Germanum*  
*praeter te, tu sis mihi heres, tu in regno succedas.*

(*b*) *De et id clausula diplomatis fundationis Tiha-*  
*nensis, quae sic habet: Anno MLV. feliciter re-*  
*gnante praefato victoriosissimo principe Andrea, an-*  
*no regni sui VIII. et cum nobilissimo duce Bela . . .*  
*Item clausula diplomatis A. MLVII. quo Radonis*  
*Palatini fundatio confirmatur. Ego autem Andreas*  
*rex, ex frater meus dux Adalbertus dilectus . . .*

tiones non multo post ipsa reipublicae Hungaricae ratio immutari coegit: postquam enim ex *Anastasia* Russa regina *Salamon A.* 1052 in lucem editus fuit, vetera Hunga- 1052  
ros inter, et domum Arpadianam de primo-  
genitorum successione pacta, pax item tunc  
cum *Henrico III* caesare, et sponsio nuptia-  
lis cum illius filia inita vetabant, fratrem fi-  
lio hereditario successori anteferri. Qua-  
propter *Andreas* conuocatis A. 1058 regni 1058  
ordinibus, *Bela* ipso tum consentiente, nul-  
lo negotio impetravit, ut *Salamon* filius vſi-  
tato ritu in regem inauguraretur (a). Ve-  
rum eo ipso tempore in coronationis solen-  
niis, cum ab inaugurantibus antistitibus, et  
clero pro eius aetatis more, novo regi cane-  
retur: *Esto dominus fratrum tuorum*, ac, quid  
ea verba denotarent, ex interprete didicif-  
set *Bela*, aliquantum indignatus fuit, fratri  
sui filium puerum, suum futurum dominum.  
Indignationem hanc aliquo, ac lepi fortasse  
indicio proditam atris apud *Andream* depin-  
xere coloribus aulici assentatores, credulum  
que facile principem grauissimis compleuere  
suspicionibus; *Belam* amissæ successionis do-

*suscepimus, et fieri permisimus, et sigillo regali si-  
gillauimus, Apud cl. Koller in Histor. Episco-  
patus Quiue-Ecclesiensis. Tom. I.*

(a) Diserte id affirmat *Keza* cap. III. pag. 93.  
*Andreas autem confectus senio, anno imperii sui  
XII. filium suum Salamonem adhuc puerulum, cum  
consensu fratribus sui Belae, et filiorum eiusdem,  
scilicet Geichae, et Ladislai, regem constituit.*

lore amentem in id incumbere, vt fratrem, vna ac filium e medio tollat. Atrocem opinionem de *Belae* animo conceptam, cum nouis semper narrationibus, ac mendaciis augerent aulici, vsque adeo alienari coepit *Andreas* regis a carissimo antea fratre animus, vt, quoniam eo superstite de sua, filii-que *Salamonis* salute desperabat, eumdem neci dare decreuerit, ac speciosam solummodo causam quereret, quo iure se id fecisse declararet: insidias hunc in modum struere placuit: *Belae* duci ad villam *Várkony* euocato *Andreas* hinc coronam regni; inde gladium *ducatus* insigne obtulit, monens, vt alterum, quod collibuissest, sibi eligeret; alterum autem *Salamoni* filio relinquenter: interea aulicis clam mandatum fuit, vt si *Bela* coronam elegisset; fine mora violentas in eum manus iniicerent. *Bela* de nefario hoc consilio per amicos tempestive edoctus, nil haesitans gladium arripuit, palam professus, se ducatu contentum fore (a). *Andreas* singularem ducis moderationem admiratus, actis tum eidem gratiis, ab omni maleficio abstinuit. Verum non multo post assentatores atrocissimis iterum credulum regem de insincero *Belae* ducis animo compleuere suspicionibus, vnde mutua fratres inter diffiden-  
tia, atque discordia eo progrella fuit, vt *Be-*

---

(a) *Habeat, inquietabat Bela, filius tuus coronam, qui vinctus est, et da mihi ducatum.* In Chronico cap. XLIV.

la omnia iam intuta videns, praecipiti fuga cum coniuge, liberisque ad Boleslaum Poloniae ducem Casimiri filium affinem suum A. 1059 se receperit, auxilia aduersus vim fratris conquisiturus (a).

## §. VI.

*Belli fraterni exitus, et Andreeae mors.*

Ex inopinata ea fuga facile perspexit *Andreas*, sanguinaria consilia sua omnia fuisse prodita, fratremque certo certius bellum sibi illaturum, quare et exiguae suae arti bellicae, et viribus diffusus, ab *Henrici III.* A. 1056. die V. Octobris, praematufo fato 1056 erepti filio, *Henrico IV.* Germaniae rege, adhuc puero, ac illius curatoribus auxilia flagitauit, Adfuere haec aestate A. 1060. ducebibus *Wilhelmo* Thuringiae marchione, et 1060 *Eppone* Citicensi episcopo in Hungariam adducta. Interea *Andreas*, quasi sinistri euentus praesagus, *Anastasiam* coniugem cum *Salamone* filio ad *Henricum IV.* transmisit, vt apud eumdem remanerent, donec belli tempestas conquiesceret; si autem se bello obire contingeret, eiusdem ope, et auxilio regno restituerentur. Hac cura solutus prouidus pater, cum foederatis Germanorum copiis recta versus Tybiscum in *Belam*, Hungarico, quem suo in ducatu collegerat, Polonicoque instructum milite tetendit. Fauit

(a) In chronicō cap. cit.

principio fortuna *Andreae*; verum redintegro bello, non tam viribus, quam virtute fratris superatus denique, in fuga salutem quaerere coactus fuit. Cum in Austria euadere vellet, ad Mosonium captus, ac rursum e custodia elapsus in familiari sua villa Szirtz in medio siluae Baconyiae sita, eodem anno exeunte viuere desit (*a*); ac in monasterio Tihanyensi subinde honorifico tumulo conditus fuit (*b*). Victoriae eo die reportatae magnitudinem auxere illustres captiui, copiarum Germanicarum ductores: *Wilhelmus* Thuringiae marchio, et *Eppo* episcopus Citicensis: qui *Belae* ducis virtute, ac aduersum se humanitate capti; mox ex hostibus amici effecti sunt: ac *Wilhelmus* quidem Thuringus non ante ex Hungaria excessit, quam despontata sibi *Ioiada*, *Belae* ducis filia, quam tamen, priusquam illa adolesceret, morte occupatus, ducere vxorem non potuit. Ceterum amicitia, quam *Bela* dux ea occasione cum illustribus his captiuis inierat, maximo illi postea fuit commodo. Reduces enim in Germaniam commemoratis illius laudibus, tantam illi apud *Henricum IV.* et Germaniae principes existimationem procurarant, ut quamquam *Anastasia* vidua regina suum,

(*a*) In consignando anno mortis *Andreae* regis sequimur vetustum chronicon Posoniense a Cl. Koller Append. II. editum, quod sic habet: A. MLX. Inter *Andream*, et fratrem eius *Bela* grauis discordia oritur, et rex *Andreas* moritur.

(*b*) Keza cap. III. pag. 93.

filiique Salomonis in Hungariam redditum crebro vrgeret; nunquam tamen eo adduci potuerint, vt Belae, quamdiu ille Hungaris praefuit, bellum eapropter inferre auderent (a).

### §. VII.

*Andreae regis encomia, coniux, ac liberi.*  
 Hic igitur fuit *Andreae regis et regni*, et vitae exitus, per cuius principio regni, infurentem plebem connuentiam maxima et religioni Christianae, et regno damna sunc illata, quae tamen omnia quatuordecim, quibus imperauit, annis reparare conatus fuit. Hungariam a Romanorum imperatorum seruitate, quam septennio prope tolerauerat, feliciter liberauit. Primus post octo annorum exilium, hereditariam in regno Hungarico successionem regiae stirpi Arpadianaee restituit; limites Hungariae meridiem versus ad Sauum vsque recuperauit; partem nihilominus Hungariae finium circa Leitham fluuium, quae *Samuele Aba* imperante auulsa erat, pacis conseruandae causa Austriacis marchionibus relinquere coactus fuit. Principi optimo id fere vnum vitio dari potest, quod morbo senibus, ac afflita, qua ipse diu paraliticus vtebatur, valetudine affectis, vstato, suspicionibus ultramodum laborauerit,

---

(a) Plura de bello fraterno vide in Chronico cap. XLV, et apud Lambertum a Schaffnaburg ad A. 1061.

quae eum ad sanguinaria vsque contra meritiſſimum de ſe, et regno Hungarico fratrem *Belam* conſilia egerunt praecipitem, praematuramque mortem conſciuerunt. Coniugem ſecum e Russia adduxerat *Anaſtasiā*, *Taroslai* Nouogrodenſis ducis filiam, ex qua genuit *Salamonem*, poſtea Hungariae regem, *Dauidem* ſine ſobole mortuum, ac filiam inſuper *Adelhaiden* *Wratislao* Bohemiae duci nuptam (a).

## B E L A I.

R E X V.

A. C. 1060.

*Bela I. gentis Hungaricae voluntate inauguratur.*

*Bela* tam insigni victoria potitus, ab inſequendo fratre *Andrea* ſtudioſe abſtinuit, quem etiam, a ſuis forte captum, eo fine negligenter cuſtodiri voluerit, vt eo facilius e cuſtodia poſſet elabi (b). Postquam vero illum *Szirtzii* diem ſuum obiiffe intellexit, vt

(a) Vide Cl Schier O. S. A. in reginis Hungariae primae stirpis. Item Cl. Coraides in Genealog. reg. Hung. cap. VIII.

(b) Chronicen C. XLIV. Captus eſt enim ad portas *Masum*, et negligenter detentus.

erat insigni animi moderatione praeditus, ne quid temere, ac aduersum regni tranquillitas tem ageret, comitia Alba-regiam conuocavit, in quibus de noui regis electione ageretur. Diuisa tum erant primorum regni studia: multi fuere, qui *Salamonem*, cui biennio abhinc gens vniuersa fidelitatis sacramentum nuncupauerat, citra piaculum a folio excludi non posse existimabant, ac idecirco e Germania accersendum esse contendebant: cui parti adeo fideliter multi primi ordinis viri adhaeserant, vt, *Bela* ad solium euecto, spontaneum in Germania exilium eligere, quam datam semel *Salamoni* fidem violare maluerint. Alii a *Salamone* reuocando abhorrebat, quod octennis puer tanto regno feliciter moderando per aetatem impar esset, praeferunt quod iam tum gliscebat iterum feralis illa tempestas, quae *Vatha* duce olim concitata, aegre admodum ab *Andrea* rege sopita potius, quam extincta fuerat: quae si, vt reipla factum est postea, in aperatum erumperet incendium, rege viro, et forti opus videbatur, ad eamdem opprimendam. Quamquam et illud, nec immerito, verebantur nonnulli, ne si puerum octennem, consilii inopem, folio imponerent, *Henricus IV.* et imperii Germanici ordines, quorum euriae pupillus a patre commissus fuit, exteros, aut certe partium suarum studiosos eidem curatores darent: per quos subinde in transuersum actus, gentem Hungaricam peregrinis legibus, et institutis gubernare assueret, siveque funesta illa *Petri* tempora re-

uiuiscerent. Denique tot illustribus bello, et pace meritis conspicua Belae ducis virtus plerosque eidem conciliabat; sperabant videlicet, monarchiam Hungaricam iam inde a sanctissimi regis *Stephani* morte continuis agitatam turbis, multisque partibus labefactatam, atque conuulsam, a nemine facilius, ac prudentius ad pristinum ordinem, firmitatemque posse reuocari. Quapropter insuper habita eorum, qui *Salamoni* constanter adhaerebant, intercessione, potior regni ordinum pars, quibus religionis sacrosanctae stabilitas, et communis patriae salus cordi erat, ad *Belam* regem eligendum conspirauit. Itaque 1060 Albae-regiae, aut exeunte iam A. 1060, aut certe sequentis principio solitis ritibus inauguratus fuit, vt verum sit, eum duobus solum annis imperasse, ac tertio non expleto mortem obiisse (*a*).

## §. IL

*Insigni prudentia, et humanitate res suas  
constabilit.*

**H**oc modo citra omnem regni perturbationem tranquille coronam adeptus *Bela*, ad eamdem sibi affirmandam non vi, atque se-

(*a*) Simon Keza cap. IV. pag. 94. *Regnauit autem duobus annis, et in tertio migravit ex hoc seculo.* Chronicum cap. XLV. *Dux igitur Bela vocatus Benin victor cum triumpho venit in ciuitatem Albam, ibique regali diadematate inungentibus eum episcopis, feliciter est coronatus.*

ueritate; sed insigni plane prudentia, et humanitate vſus fuit. Cum enim vſu ipſo compriſſet, gentem Hungaram tot ſeditionibus domesticis, tamque diuturnis bellis cum imperio Germanico geſtis, per innumerā caedes, incendia, rapinas, ac depopulationes prope exhaustam, ad extremam deueniſſe egeſtatem, pecuniaeque penuriam, vt tempus, et modum eidem praeberet, rem ſuam familiarem instaurandi, priſinasque vires recuperandi; non modo recentius a *Petro* rege introducta tributa antiquauit, verum etiam veteres longaque consuetudine roboratas exactiones magna ſui parte diminuit; qua benignitate, atque clementia aduersus omnes regni ſui ſubditos exercita, quantum ſibi vi- ciſſim omnium amorem conciliauerit, pronum est arbitrari (a). Porrexit etiam ſtudia ſua ad eos, qui *Salamonis* cauſa e regno in Germaniam diſceſſerant, deuinciendos. Cum enim hi ob fidem *Salamoni* feruataſ, atroces a *Bela* rege poenas, bonorum, facultatumque ſuarum publicationem, amicorum, propinquorumque caedeſ, et exilia exſpectarent; is pro ea, qua erat animi moderatione, ab omni vindicta abſtinuit; coniugi-

(a) *Alleuiauit*, inquit chronicon cap. XLV. hic etiā affectu pietatis onus Hungarorum a debito feruifio, relaxans eis confuetas, et antiquas exactiones. Quapropter Hungaria quamplurimum locupletata ſuper omnes circumadiacentes regiones, caput extulit, eas diuiciis vincens, et gloria.

bus eorum, et liberis saluam, ac liberam reliquit bonorum, facultatumque suarum possessionem: quin etiam fide regia cavit illis, qui *Salamonem* secuti erant, si in patriam reuerterentur; bona, dignitatesque, quas ante tenuerant, sine diminutione restitutum iri: neque vlli secessionem illam fraudi, aut damno fore. Insperata hac *Belae* regis clementia capti quamplurimi exules, desertis *Salamonis* partibus, in Hungariam rediere, ut tam magnanimi subditorumque amantis principis imperio securi fruerentur (*a*). Hac arte *Bela* rex conciliatis sibi secessionis primipilis, incendii somitem domi restinxit, ac, ne a Germaniae principibus bellum sibi inferretur, tempestiuē impedivit: ea nempe vis est humanitati, atque clementiae, vt durissimos etiam animos emolliat, atque ex hostibus amicos efficiat.

### §. III.

*Nonnulla in subditorum commodum prouide,  
sapienterque constituta.*

*R*eipublicae deinde curam paulo diligentius complexus, multa sane, quae ad subditorum commodum in Hungaria ad eum diem deside-

---

(*a*) *Omnium enim, qui secuti fuerant Salomonem regem, uxores, et filias, et omnia, quae habebant, integra, et illaes fecit custodiri, ut ad eum sponte reuerterentur, et cum bonis suis in pace degarent, unde plurimi de illis facti fideles redierunt.*  
*Chronicon cap. XLV.*

rabantur, prouide, sapienterque instituit. Difficilis admodum fuit antea rerum ad usum vitae humanae necessiarum procuratio, nulli erant in ciuitatibus, ac oppidis vendendis, emendisque rebus dies constituti; nulla liquidorum aequa, ac solidorum mensura; nulla denique mercibus definita pretia, ut adeo quaestores, ac nummularii merces suas exaggerato, ut eis collibuerat, pretio diuenerent, ac diuites quidem usuris suis egregie emungerent; egentiores autem, misseram praeprimis plebem, ad egestatem deducerent. Communi huic, ac diuturno in Hungaria malo remedium posuit *Bela*: singulis hebdomadis in ciuitatibus, ac oppidis die Sabbati fora haberri voluit, rebusque omnibus et mensuras, et pretium summa sapientia, ac aequitate constituit. Carebat adhuc Hungaria moneta aurea, solique orientales aurei *Bizantii* dicti suum ubiuis per Europam cursum, valoremque habebant, carebat item maioris moduli moneta argentea, solique id genus nummuli, quales hodiecum dui *Stephani*, *Petri*, et *Samuelis* in nummophylaciis Hungaricis est videre, cudebantur: ut adeo difficilis admodum esset mercium exterarum, et *Bizantiorum* aureorum cum pecunia Hungarica permutatio; primus obiceum hunc mutui Hungaros inter, atque exteros commercii sapienter animaduertit, atque etiam sustulit *Bela*: eius enim molis denarios e puro argento cudi fecit, quorum singuli decem nummis vetustioribus aequiualebant, ac quadraginta aureo uno *Bizantio* red-

imerentur (*a*). Vniuersim autem *Bela I.* imperante, eius fuit probitatis moneta Hungarica, vt si quando regum posteriorum negligentia, et monetariorum comitum avaritia per vilioris metalli admixtionem corrumphi coepit, ad *Belae I.* regis argenti probitatem reuocari lege publica iuberetur.

### §. IV.

#### *Foeda plebis seditio.*

Sollicitas has *Belae* regis in suorum commoda curas interrupit funesta iterum plebis ad gentilismum aspirantis seditio. Pessimi hominis *Vatbae* interea demortui, nihilo melior filius *Ianus* toto conatu in id incumbebat, vt ethnicas superstitiones, quas *Andreas* rex seuero suo edicto profligauerat, rursus restitueret. Ingenteum igitur Magorum, Pythonum, Pythonissarum et aruspicum numerum collegerat, qui magicis ritibus, et cantilenis vulgo imponerent: qua arte apud credulam plebem Hungaricam tantum profecerat, vt incredibilis hominum multitudo iterum a fide Christiana aperte deficeret, ac nullam omnino iam religionem sectaretur (*b*). Pestem hanc, quae integrum iam anno Hungaro-

(*a*) *Chronicon* cap. XLV.

(*b*) *Sirbon Keza* cap. IV. pag. 94. *Post hunc recognauit Benyn Bela, quo regnante Hungari fidem derelinquist, et baptismum, anno in fide oberrantes, ut nec pagani, nec Catholicci viderentur.* Vide item *Chronicon* cap. XXXIX.

rum mentes, ac mores corrumpebat, certumque iterum et sacrosanctae fidei, et regno exitium minabatur, exterminaturus *Bela*, episcopos, regnique primores Albam-regiam ad consilia cum eis ineunda euocauit: iussit insuper singulis e villis duos seniores illic adesse, qui decreta regia per eam occasionem publicanda subinde domum reduces suis promulgarent, atque eorumdem obseruantiam vrgerent. Verum consilium hoc sane quam sapientissimum parum aberat, quin regi, regno, ac religioni ipsi funestum euferit. Contra enim, quam *Bela* praeceperat, non modo villarum seniores, verum etiam ingens eorum, qui fidem iam abiecerant, caterua eodem ad constitutum diem confluxerat, qui ipsa sua frequentia audaciores esset, id sibi euincendum proposuere, vt religio Christiana solenni, ac publica regni constitutione aboleretur, liberaque omnibus potestas fieret, impune paganisimum amplectendi. Faex haec perditissimorum hominum quosdam ex illis, qui nativa eloquentia, et proteruia excellebant, tribunos sibi delegit, quorum munus esset, continuis concionibus, et clamoribus sublimiore e suggestu vulgus in proposito confirmare, ac ad seditionem concitare. *Bela* rex periculum, in quo ipse cum regni primoribus, et antistibus versabatur, conspicatus, prouido sane consilio, Albensis civitatis aditus omnes occludi, communisque iussit, vt eo securius de modo sedandi tumultus posset deliberari. Insana plebs vrbe se exclusam videns, nuncios ad

comitia misit, enormia sua postulata proposi-  
tueros. Eadem haec fuere cum iis, quae  
olim *Vatha Andreae I.* regi proposuerat, vt  
videlicet liceret sibi ritu patrum suorum in  
paganismo viuere, episcopos lapidare, presby-  
teros exterminare, clericos strangulare, deci-  
matores praelatorum suspendere, ecclesias de-  
struere, ac campanas denique confringere (a).

## §. V.

*Seuere coercita.*

Postulatorum horum atrocitas grauissimo af-  
fecit moerore cum aliorum, tum vero piissi-  
mi principis animum: vt tamen erat vir mi-  
litaris, ac in periculis intrepidus, dissimula-  
to metu, per triduum quiescere iussit sedi-  
tiosos: quo temporis spatio se cum suis de-  
liberaturum, ac propalam postea responsa  
daturum edixit. Seditiosorum primores in-  
ducias has eo confilio a rege petitas fuspica-  
ti, vt per eam tridui moram vulgi furor ali-  
quantum remitteret, siveque facilius postea  
ad quietem posset reuocari, exquisita pror-  
sus astutia id instituere, vt tribuni suggestus  
suos per vices ascenderent, infami carmine  
fidem et ritus Christianos coram populo tra-  
ducerent, siveque alternis, et cantibus, et  
concionibus, nouum continuo flagranti incen-  
dio oleum affunderent. Rex interea habitu  
cum suis consilio, totam opprimendae sedi-

(a) Chronicon cap. XLVI.

tionis rationem summa prudentia descripsit, opportunaque militiae ducibus, atque praefectis claim mandata dedit. Tertio itaque die cum perfida plebs inconditos inter clamores promissa sibi vrget responsa, milites regii signo dato, in seditiones nil tale ominantes vndique magna vi strictis ensibus irruunt, tribunos imprimis suis e suggestibus detracatos propalam trucidant, ferociores e vulgo partim concidunt, partim vinciunt, promiscuam denique vbiuis caedem edunt: vt adeo tot caedibus perculsi, confernatique reliqui, qua cuique opportunum fuit, in fugam abierint. Dissipata hunc in modum ferali procella, celebre illud *Andreae I.* de obseruanda religione a D. *Stephano* instituta decretum renouatum fuit. Saeuitum postea etiam in absentes sacrilegæ seditionis autores, de quibus seuera pro merito sumta sunt supplicia. Hoc in numero fuit praecipua *Ianusii* pytho-nissa *Rasdy* appellata, quae in carcercm connecta tamdiu inediam tolerare debuit, dum denique vrgente extrema fame, pedum suorum carnibus absuntis, animam exhalauit. Porro cum altera iam Hungarorum a fide Christiana defectio *Vatham*, eiusdemque filium *Ianusium* habuerit autorem, vt domus haec perpetua deinceps notaretur infamia, ac sine posteritate interiret, seuera lege interdictum fuit, ne quis Christianorum ex ea familia coniugem auderet accipere (*a*), id

(*a*) Vide chronicon cap. XXXIX. et XLVI.

quod argumento esse videtur, virilem *Vathae* progeniem in *Ianusio* filio defecisse, de quo nulla deinceps in chronicis nostris fit mentio. Atque hoc tempore Hungari *Belae* regis industria iterum ad Christi fidem reuerteruntur, adeo constanter eidem adhaeserunt, ut nunquam deinceps ad gentilismum rediisse legantur: nisi quod pauci quidam, idque clam ad lucos, et fontes Diis suis sacrificauerint, quem impium morem S. *Ladislaus* rex seuerissima sanctione prostigauit.

### §. VI.

*Belae regis praematurus obitus, coniux, et liberi.*

Haec fere sunt, quae ad immortalem *Belae* regis gloriam domestici scriptores commemorant. Triennio non integro continua cum exteris, praesertim autem cum *Henrico IV.* Germaniae rege pace usus, adeo sapienter, ac feliciter rempublicam Hungaricam moderatus est, ut eadem rara animorum consensione, opibus, diutiis, et gloria nulli vicinarum gentium esset secunda (a): ex quo intelligi potest, ad religionem, monarchiamque restaurandam *Belam I.* regem Hungarum

(a) Quapropter, inquit Chronicon cap. XLV. *Hungaria quamplurimum locuplerata, super omnes circumadiacentes regiones caput extulit, eas diuitiis vincens, et gloria, tum in ea pauperes locupletabantur, et diuines gloriabantur.*

diuinitus fuisse datum. Exiguo, quo imperauit, tempore documentum dedit, non tam longa annorum serie, quam consilio, et industria opus esse, vt labefactata etiam regna, ac imperia ad felicitatis, gloriaeque apicem per principes suos euehantur. Id sane inexplicabili dolori, ac damno fuit Hungaris, quod principem in sua natum commoda praematura ereptum morte amiserint. Dum enim Dömösini, familiari sibi loco, quod regale fuit allodium, rusticatur, corruente sella humo allisus, toto confractus corpore, lethalem sibi consciuit morbum: vnde ad viciniam, negotii cuiusdam praesentia sua terminandi caufa, aegre deductus, in ripa fluminis *Kynisua*, fortasse Schituag, animam egit (a): cuius corpus exame in SS. Salvatoris monasterio est conditum, quod a bruno vultus colore, et caluitie Zugszár appellari voluit (b). Obiit au-

(a) Chronicon cap. XLVI. fluum hunc *Kanisam* appellat, duxeruntque eum *seminecem* ad riuum *Kanisa*. At quis credat regem membris omnibus contractis, et seminecem Dömösino Kanisam usque ad Szaladiensem comitatum deportari potuisse. MS. chronicon *Kynisua*. Chronicon Budense *Kyrusna* habet. Nobis videtur fluvius Schituag, haud ita procul a Dömösino distans, ac supra Comaromium in Danubium influens, hic intelligi.

(b) Simon Keza cap IV. pag. 94. Regnauit autem duobus annis, et in tertio migravit ex hoc seculo, in suoque monasterio dicto Szeugzard sepelitur. Hic enim Calvus erat, et colore brunus, propter quod suum monasterium diminutius sicut erat ipse corpore dispositus, sic vocari iussit.

tem anno regni sui tertio non expleto, Christi vero 1063. Coniux *Belae* I. regi vnicula fuit, *Richeza*, *Micislai* Poloniae ducis ex *Richeza* itidem vxore filia: ex qua genuit I. *Geisam* I. II. *S. Ladislaus* I. reges, sibi mutuo in regno succedentes. III. *Lambertum* ducem infelicis *Almi* ducis patrem, ac *Belae* II caeci regis auum. Filiarum I. *Ioiada*, *Wilhelmo* Thuringiae marchioni A. 1060 1060 desponsata, postea vero *Vdalrico* Carinthiae marchioni nuptui collocata fuit. II. *Helena* a formae venustate *Lepa* dicta *Zuonimirum* Croatiae regem; III. *Euphemia*, alio nomine *Ludmilla*, *Ottонem* Morauiae marchionem; IV. *Amabilitia* anonymous ducem Vochburgensem; V. *Sophia* denique comitem *Lambertum* Bozokinensis praepositurae fundatorem primum, coniuges accepere (a).

(a) De his consule Xistum Schier in reginis Hungariae pag. 64. Cl. Cornides Genealog. reg. Hung. cap. VIII. et Cl. Katona Histor. crit. Tom. II. pag. 199. et sequ.



# S A L A M O N

## R E X VI.

A. C. 1063.

### §. I.

*Salamon, filiorum Belae I. regis consensu,  
regno restituitur.*

Audita Belae I. regis morte, Anastasia Andreae I. vidua regina, et Salamonis mater, Henricum IV. eiusdemque curatores interpellauit, vt filio suo auxilio essent ad regnum, vnde triennio fere exclusus erat, recuperandum. Nec mora: copiis Germanicis profectio in Hungariam imperata est, ac Henricus ipse, etsi nonnisi XIII. annos natus erat, expeditioni interesse voluit, vt affinis restituti gloriam consequeretur. Verum bellico hoc apparatu minime postea opus erat: Geisa enim primogenitus Belae I. filiorum, testibus scriptoribus exteris (a): Satius existimans moderatis opibus in pace perfaci, quam immoderatas ambiendo, calamitatem, atque excidium parere genti suae, nunciauit

---

(a) Omnium instar sit Lambertus a Schaffnaburg ad A. 1063. In Chronico nostro perturbata admidum est de Salamonis in Hungariam reditu narratio cap. XLVI.

*Henrico IV. si sibi apud Salamonem natalibus,  
et meritis suis condignus honor haberetur, ac  
tertia regni pars, quemadmodum eam pater  
suus olim sub Andrea I. tenuerat, ducatus  
nomine possidenda concederetur, subditum se  
ei, fidelemque futurum, et malle beneficiis cum  
eo, quam armis; fide, quam acie dimicare.*  
Eadem haec legati communi gentis Hungari-  
cae nomine in Germaniam missi flagitabant,  
quibus si *Salamon* annueret, nil in mora fo-  
re pollicebantur; quominus in solium repa-  
neretur. Optatissimis his nunciis mirifice  
exhilaratus *Henricus IV.* delectis cum copiis,

1063 adulta aestate A. 1063 in Hungariam tetendit,  
nilque hostile expertus, sororem suam *Iudi-*  
*tham* atque *Salamonem* Albam-regiam felici-  
ter deduxit, a praelatis, regni primoribus,  
et immensa populi obuiam effusi multitudine,  
quam honorificentissime acceptus. Constitu-  
to inaugurationis die *Henricus IV.* habitu  
prius ad regni ordines sermone, quidquid  
ad mutuam regem inter, ac Hungaros pacem,  
atque concordiam necessarium videbatur, fe-  
liciter perfecit. *Salamon* imprimis iureiu-  
rando se obstrinxit, ad tertiam Hungariae  
partem *Geisa* duci, eiusdemque fratribus  
sine diminutione cedendam: tum vero gen-  
tem Hungaram sua in immunitate conferuan-  
dam, atque patriis legibus, et institutis gu-  
bernandam: qua cautione data, dissidiorum  
regem inter, atque duces, ac gentem vni-  
uersam fomes extinctus fuit. Ex aduerso  
*Geisa*, *Ladislaus*, et *Lampertus* duces, anti-  
stites, regnique primores omnes, obedien-

tiam, fidelitatemque suam solenni iuramento nouo regi obligarunt: quo vicissim regiae maiestatis securitati prospectum fuit. Atque sic *Henrici IV. caesaris*, vel potius ministrorum illius prudentia, *ablatis omnibus, quae regi scrupulum mouere vel regni statum labefactare poterant* (*a*), Salomon vnanimi omnium consensu inter faustas populi acclamationes iterum corona redimitus, in regali folio collocatus fuit. Auxere eius solennitatis laetitiam nuptiae *Salamonis* cum *Iuditha Henrici IV.* sorore ibidem celebratae. Quibus omnibus rite et ex sententia gestis *Henricus IV.* nullo sibi in Hungariam iure arrogato, maximis excultus muneribus in Germaniam recessit (*b*).

## §. II.

*Concordia regem inter, ac duces turbatur.*

Vix pedem ex Hungaria extulerat *Henricus IV.* cum regem inter, atque cognatos duces concordia, tanta vtrimeque confensione, et laetitia conclusa, turbari coepit: eius violatae, et malorum, quae inde secuta sunt, culpam omnem chronica nostra tribuunt praecipuo *Salamonis* aulae administro, *Vido* comiti Batsiensi, filio comitis *Guthkeled*, quem e Suevia olim sub *Petro* rege infausto omne in Hungariam aduenisse iam suo loco memini-

(*a*) *Lambertus a Schaffhausen ad An. cit.*

(*b*) *Chronicon cap. XLVII.*

mus. Is cum *Salamone* in Germania exul, pueri regis amorem, fiduciamque sibi conciliauerat, atque in Hungariam subinde redux adeo vnde dennis principis aures, animumque obfessum tenebat, vt eum moderatoris instar, quo collibuiisset, flecteret: ac unus omnia cum in aula, tum in regno pro arbitrio ageret, atque disponeret. Nemini itaque eius suis *Salamon* fidere, nisi quem *Vidus* commendauerat; et quem hic odisset, ille pariter odio habere assueuerat. In id porro praeципue sibi incumbendum putauit *Vidus*, vt *Salamonem* a colenda cum *Geisa* duce familiaritate abstraheret, nouisque semper suspicionum fomentis mutuam eos inter diffidentiam aleret: optime gnarus, ubi primum regem inter, ac ducem amicitia coaluisset, ministerii, dominatusque sui finem fore (a). Et cessit sane vaferrimo homini dolus eius sententia. Eius enim sinistris sermonibus, et afflictionibus adeo credula *Salamonis* aetas in transuersum breui acta fuit, vt luculentis indicis *Geisae* ducis fidei diffideret, nullisque eum amoris, et benevolentiae signis, ut cognatum decebat principem, percoleret. Quin etiam eo demum *Vido* instigante processit, vt, quem iuratus ante promiserat, ducatum eidem consignare detrectauerit. Ex hac odii declaratione, et in obseruandis solen-

---

(a) Vidi comitis imaginem viuis adumbrat coloribus Chronicon cap. L, LI. et LII.

Iennibus pactis inconstantia, male sibi metuens *Geisa* eodem anno 1063 exeunte, cum fratribus suis in Poloniam secessit, a Boleslao II. rege cognato suo auxilia petiturus, quorum ostentatione *Salamonem* ad ducatum sibi fine diminutione cedendum adigeret (a).

## §. III.

*Per solennia pacta restituitur.*

*Boleslaus* cognatorum ducum sortem miseratus, vere A. 1064 non contempnendas copias in Hungariam adduxit, quibus cum multi ex Hungaris *Geisae* fauentibus se coniunxissent, *Salamon* vellementius perterritus, quasi iam de retinendo regno actum esset, deserta Albagria, Mosonium se recepit: cum ut Germanorum suppetias illic exspectaret; tum vero ut in vicinam Austriae eo celerius, si periculum vngeret, euaderet. Episcopi, et regni primores, queis optime perspectae fuere dissidiorum caufae, ut nascentem tempestatem in ortu ipso dissiparent, sine mora regem adeunt, orantque, ut tertia Hungariae parte, quemadmodum *Henrico IV.* praesente, et arbitro cautum erat, *Geisae* duci tradita, funesti belli occasionem tolleret, positaque dissidentia, sinceram deinceps cum cognato duce amicitiam coleret. Tener, ac suapte timidus pueri regis animus non abhorrebat a

(a) Chronicon cap. XLVII.

pace, tam facili conditione ineunda; at enim *Vidus* comes telam, quam aduersus ducem orsus erat, pertexturus, salubria regni ordinum confilia euertit, *Salamonisque animum* a concordia abstractum, eleuato hostium numero, certaque victoriae spe promissa, ad bellum paci praeferendum adduxit. *Geisa* interea ex amicis edoctus, nullam esse spem concordiae, copias suas vterius promouit, recuperatoque *ducatu* suo, regias inuasit ditiones, non ante, quam iis, quae sibi promissa erant, impetratis arma positurus. Antistites, et regni primores viuis ministri criminis, domestico bello, quo, quiuis demum vinceret, semper ciuium sanguinem fundi, patriamque evanescari oportebat, regnum inuolui dolentes, rursus ad *Salamonem* profecti sunt, propositaque ante oculos eximia *Geisae* ducis virtute bellica, incertissimo belli exitu, et damnis denique inde futuris, eo demum flexere illius animum, vt primum se ad concordiam declararet; modo *Geisa* pariter ad cessandum ab armis posset induci. Itaque *Desiderius* Colocensis episcopus ad ducem se contulit, illius animum periclitaturus; at hunc adeo aequum offendit, vt polliceretur se, quamprimum sibi bona fide *ducatus* traderetur, copias omnes dimisurum, regique suo vt ante obsequentem futurum. Quo responso delinitus *Salamon*, inducias primum cauentibus vtrinque regni ordinibus pactus est, tum vero ad diem

1065 XIII. Calendas Februarii A. 1065. *Geisan* ducem Iaurini adesse insit, vt illic in anti-

stitum, regnique primorum praesentia, concordiam cum eo, amicitiamque renouaret. Hic tertia Hungariae parte *Geisae* duci tradita, ab armis vtrinque cessatum est, ac regni primorum opera, adeo sincera regem inter, ac ducem animorum, voluntatumque consensio coaluit, vt *Geisa* constanter deinceps in aula *Salamonis* degeret: qua sua praesentia comitis *Vidi* criminacionibus frenum impo-  
suit, omnemque sinistre de se, factisque suis sentiendi ansam *Salamoni* praecidit. Exoptata-  
tam hanc concordiam antistites, regni pri-  
mores, ac ipsa adeo plebs Hungarica incre-  
dibili laetitia, et gratulatione prosecuta fuit:  
quae quidem maxime eluxit Quinque-ecclesiis,  
quo eodem anno ad celebrandum Pascha rex,  
dux, ac praecipui quique conuenerant: in  
quorum corona *Geisa* sacrum regni diadema  
*Salamonis* vertici ipse suis manibus imposuit,  
facto hoc declaraturus, se *Salamonem* regem,  
dominumque suum agnoscere. Verum cum  
per eam occasionem fato exorto incendio,  
D. Petri apostoli basilica, ac contigua eidem  
palatia tristem in modum conflagrassent, ma-  
li id ominis loco a multis acceptum fuit (a).

#### §. IV.

*Geisae ducis opera Salamoni perutilis.*

*Pax Iaurini* sancta octo propemodum annis  
tenuit, non sine maximo et regis, et regni

(a) *Chronicon cap. XLVII.*

emolumento: eo enim temporis interuallo perutilem principi suo *Geisa* variis expeditionibus nauauit operam. Quo tempore *Quinque-ecclesiis* adhuc agebat *Salamon* A.

**1065** *Zvonimirus* Croatiae banus ope*m* eius aduersus Carentanos per legatos implorauit; missi continuo cum copiis *Geisa* et *Ladislaus* duces, electis e regno, profligatis que hostibus, maximis exulti muneribus do-

**1070** num rediere (*a*). Cumani A. 1070 in Biha-riensem prouinciam, quae *ducatus* pars fuit, irrumpere ausi, *Salamone* ipso praesente internecione sunt deleti (*b*). Verum omnium

**1072** luculentissime suam probauit virtutem *Geisa* bello cum Graecis A. 1072 gesto, ac cum immortali nominis Hungarici gloria terminato (*c*). *Bessi Slauicae originis*, et idiomatis

populi Bulgariae colentes, Graecorum imperio subditi, traecto ad Belgradum Sauo, non vna vice ditiones Hungaricas ferro, et igne euastauerant, quam hostilitatem cum Graeci, ad eum diem Hungarorum foederati, nec vindicatum irent, nec prohiberent, *Salamon* iniuriam vlturus, transmisso Danubio, exercitum Sirmio infudit, atque habitu ad Szalankemenum cum ducibus militari confilio, Belgradum oppugnare decreuit: bimestri integro vrbs, et arx a natura non minus, quam arte communita oppugnantium lusit co-

(*a*) *Chronicon* cap. XLVII.

(*b*) *Idem* cap. XLIX.

(*c*) *Chronicon Posoniense* sic habet MLXXII *Salamon Bulgarense* regnum inuasit.

natus; subiectis demum per captiuam puel-lam Hungaram ignibus, cum praefidiarii re-stinguendo incendio occuparentur, *Geisa* cum fortissimis suorum per muros eluctatus vrbe non sine sanguine potitus fuit. *Nicetas* vr-bis gubernator, qui inclinante iam pugna, eum pluribus ciuibus, militibusque Graecis in arcem se receperat, cum obsidionem diu-tius tolerari non posse videret, neque vlla auxiliorum a *Michaele Duca* orientis impera-tore mittendorum spes affulgeret, altero post captam vr bem die, rebus, thesaurisque o-minibus victorum arbitrio oblatis, sibi, suis-que liberam inde discedendi facultatem a rege, duceque supplex implorauit. Cumque hi vterque extensis brachiis signum, illa ae-tate vstatum, dedissent, se postulatis bona fide annuere (*a*); *Nicetas* gubernator argen-team virginis Deiparae iconem praeferens, cum magna Graecorum caterua ex arce egref-sus recta ad *Geisam* ducem tetendit, eius-demque fidei se, suosque permisit, idque propterea, quod de *Salamonis*, eiusdemque administri *Vidi* fide, et clementia addubita-ret: quapropter pauci admodum ex Graecis ad regis praetorium peruenere: quae Grae-corum in *Geisam* ducem fiducia nouorum odio-rum semen fuit (*b*).

(*a*) *Chronicon cap. L.* *Manibus itaque regis, et ducum in fidei pignus extensis, quod eos amplius non inderent, omnes, qui in arce erant, descenderunt.*

(*b*) *Idein cit. cap.*

## §. V.

*Nouarum regem inter, ac ducem discordiarum causae.*

**I**nsignis haec victoria, quae *Salamonis*, si aequus meritorum arbitr<sup>r</sup> fuisset, munificentiam erga ducem prouocare, benevolentiamque augere debuerat, concordiam omnem ita abrupit, vt nulla deinceps arte restitui potuerit. Prima odii declaratio paulo post erupit, cum thesauri Belgradenses in comitis *Vido* praedio, *Buzias* dicto, diuiderentur: *Salamon* quippe habito cum comite *Vido*, eiusdemque genero *Ilia*, *Elia*, episcopo *Frank*, et *Radoano* confilio, quadrisariam gazam omnem partitus, dimidiam illius partem comiti *Vido*, eiusdemque genero *Eiae*, quorum neuter ullum virtutis suae specimen toto eo bello edidisse leguntur, tradidit: parte dein una sibi, militique suo referuata; ynam quartam *Geisa* duci cessit. Leuius iniquam hanc diuisionem tulit non hostium modo, verum sui etiam victor *Geisa*. Verum aliud tum agebatur, quod *Geisa* salua aequitate, et dignitate sua admittere nullo pacto potuit. Comite *Vido*, ceterisque eius farinae hominibus instigantibus, id etiam praeceperat *Salamon*, vt *Geisa Nicetam*, ceterosque Graecos, qui extensis, vt diximus, brachiis gratiae, libertatisque quasi signo accepto, eius fidei se commiserant, resignaret, eadem, quae in spoliis obseruata fuit, ratione quadrisariam diuidendos. *Geisa* fidem hosti quam-

quam victo a rege , et se datam sancte , si-  
deliterque obseruandam esse contendens , ne-  
gauit illos in captiuitatem posse redigi (a) :  
atque ut propalam ostenderet , nulla se pri-  
uati lucri , ex eorum subinde redemptione  
colligendi , cupiditate tangi , *Nicetam* guber-  
natorem , et reliquos , qui se dediderant , hu-  
maniter prius apud se in castris habitos , li-  
bertati restituit , idoneoque instructos com-  
meatu in Graeciam remisit (b). Quo cogni-  
to , comes *Vidus* , ut erat auaritiae fordibus  
inquinatus , immani lucro , quod ex captiuo-  
rum litro se consecuturum sperauerat , repen-  
te spoliatum se , tulit quam aegerrime , ac  
vindicta aestuans , *Geisae* ducis inobedientiam  
multis verbis apud regem exaggerare non de-  
finebat : cui accusationi noua iterum breui  
criminandi accessit materies . Postquam con-  
fecto feliciter bello domum redditum fuit ,  
adsunt ab orientis imperatore *Michaele Duca*  
missi ad *Geisam* ducem legati , qui ei ob ser-  
uatam Graecis fidem , humanitatemque impen-  
sam gratias agerent , perpetuamque offerrent  
amicitiam (c) . *Salamon* de legatione hac  
certior redditus , et si inhumanitatis , qua in  
captiuos vti voluerat , conscientius , idmodi lega-  
tionem nulla ratione ad se pertinere posse

(a) Volebat diuidere thesaurum , et captiuos , et  
illos etiam , qui ad fidem illorum venerant , duce  
autem regi in hoc contradicente ; diuidere captiuos  
non potuerunt . Chronicon cap. L.

(b) Idem cap. LI.

(c) Idem ibidem.

nouerat, nouis inuidiae facibus ardens, tam eximum honorem *Geisae* duci a Graecorum imperatore merito habitum grauissimae instar iniuriae, dignitati suae illatae accepit. Comes *Vidus* vulnus hoc animo regis inflatum paulo vehementius exasperare non intermisit: iamque ob veterem cum Polonis, et nouam cum Graecis contractam amicitiam, *Geisam* ducem de regni ambitu accusare ausus fuit. Autor igitur erat *Salamoni*, vt ablato *Geisae* duci *ducatu*, vires aemulo adimeret; facile ducem vinci, subigique posse inde probabat, quod ille vnius solummodo regni partis, rex autem duarum esset dominus. Ut autem regem ab omni concordia, paceque cum duce fancienda abstrahheret, hac nequissimus mortalium vtebatur similitudine: *Sicut*, inquit, *duo gladii acuti in eadem vagina contineri non possunt, sic nec vos in eodem regno correagnare potestis* (a). His aliisque id genus criminationibus concitatus *Salamon*, tantis in *Geisam* exarsit odiis, vt omnium, quibus ante ille inclaruerat, meritorum oblitus, ad eumdem quacumque demum ratione perdendum, omnia deinceps consilia, viresque ingenii intenderit. En! vt vnius ministri avaritia, ambitione, ac fraude optimae etiam indolis principes in transuersum agi, maximorumque imperiorum salus, et tranquillitas perturbari possit.

---

(a) Idem Ibidem.

## S. VI.

*Geisa insidias omnes eludit.*

Longum, ac taedii plenum foret, insidias omnes, quae iam inde ab A. 1072 *Geisae* duci variis locis, et temporibus per regem, eiusdemque ministros collocari cooperant, minutim enarrare, quas tamen ille singulari Numinis prouidentia feliciter semper elufit (a). Atrocia haec odia regina mater *Anastasia*, coniux *Juditha*, antistites, et primores suis met usurpantes oculis, pro ea, qua erant in patriae salutem caritate, nulli labori, et industriae parcebant, ut dissipatis inanum suspicionum umbris, regem ad saniora traducerent; at enim oleum, et operam perdebant: quod vnicus comes *Vidus* a rege audiatur, eiusdemque animo pro libidine dominaretur. Pepigerat quidem ille cum *Geisa* inducias a die D. Martini A. 1073, vsque 1073 ad D. Georgii M. anni insequentis duraturas; verum et tum pessima egit fide, ut incautum, suique securum eo certius in casses suos pertraheret. Earum quippe opportunitate, non vna vice sicarios promissis, et mercede conduxerat, qui *Geisam* vel oculis orbarent, vel neci darent. Omnem itaque concordiae, et salutis spem iam domi sublatam videns *Geisa*, ante omnia missis Romanam literis *Gregorii VII.* papae aduersus *Salamonis*

---

(a) Haec videri possunt Chronicci cap. LII.

molimina opem, et patrocinium imploravit, sperans paternis illius monitis id effici posse, ut *Salamon* tandem aliquando a se insectando desineret (*a*), Misit praeterea *Ladislauum* fratrem in Morauiam ad *Ottonem Olomucii* ducem; *Lampertum* autem in Poloniā, auxilia conquisituros. Comes *Vidus* consilia, et insidias omnes proditas iam esse subodoratus, priusquam suppetiae adessent, *Geisam* aggrediendum, debellandumque putauit, eo autem maiore iam ad bellum ferebatur ardore, quod *Salamon*, si *Geisam* vicisset, tertiam Hungariae partem *ducatus* titulo se illi collaturum promiserat (*b*). Vrgente itaque comite *Vido*, *Salamon* ruptis induciis, ri-

**1074** gente hyeme A. 1074 traductis per Tibiscum glacie constratum copiis, *Geisam* imparatum adortus, conserto die XXVI. Februarii certamine vicit, atque profligauit. Dux ægre e discrimine eluctatus, missis celeriter ad utrumque fratrem nunciis, monebat, ut cum auxiliis, quae quisque collegerat, Vacuum primo quoque tempore adesse maturarent (*c*).

(*a*) *Geisam* ducem ad Gregorium VII. hoc tempore confugisse patet ex huius responso h. a. die XIV. Martii Romae signato, quod lege apud cl. Katorna. Tom. II. pag. 304.

(*b*) Chronicon cap. LII. refert *Vidum* eo audacie processisse, ut *Geisae* ducatum sibi vltro a rege petierit. *Ducatum*, inquit, *mibi dabis*, et ita confirmabis coronam tuam.

(*c*) Idem ibidem.

## §. VII.

*Infelix pugna Salamonis ad Vacium.*

De proximo fratum suorum, atque affinis  
sui *Ottonis* ducis Olomucensis aduentu edo-  
ctus *Geisa*, cum collecto celeriter milite suo,  
Vacuum contendit. *Salamon* quoque nuperna  
victoria elatus eodem properauit, hostes ex  
itinere fessos, priusquam respirare possent,  
oppressurus. Comes *Ernyeius* cum alias,  
tum vero vltimis ante praelium diebus gra-  
uissimis, vt cordatum virum decebat, ratio-  
num momentis, *Salamonem* hortabatur, ne  
fortunam suam incerto vnius certaminis e-  
uentui crederet, ne tot innocentum ciuium  
sanguinem effundi fineret, vt ab armis ces-  
saret, beatamque pacem bello anteferret; at  
comes *Vidus*, qui promissum sibi *Geisae* du-  
catum iam spe deuorauerat, atque etiam cum  
patriae ipsius ruina domum suam ad summum  
fortunae apicem educere constituerat, nihil  
non egit, vt regem in praelii ineundi vo-  
luntate confirmaret: quin etiam, vt anxio  
aliquantum formidinem omnem eximeret,  
affirmare ausus erat, *Geisae* agmina e solis  
constare ruricolis, armorum tractandorum  
rudibus, qui ad primam impressionem terga  
effent versari; auxiliares autem *Ottonis* Olo-  
mucensis copias, se cum solis Batsiensibus,  
quorum comes *parochianus* erat, concisurum.  
Talibus animatus *Salamon*, sine mora classi-  
cum insonare iussit. *Geisa* et *Ladislau* in-  
vocato prius per solennia vota Numinis auxi-  
lio, quamquam numero inferiores erant, ex-

plicata in longum acie , regios summo impe-  
tu irruentes pari fortitudine aduersis exci-  
piunt pectoribus : post protractum magna  
vtrinque pertinacia praelium , comes *Vidus*  
hasta in pectore , et gladio in fronte percus-  
sus occubuit : quem mox comes *Ernyeius* , ac  
fortissimi quique agminum regiorum ducto-  
res consecuti sunt : quorum caede perculsi  
reliqui , retro cedere , ac demum in effusam  
abire fugam . *Salamon* vbi suos necquidquam  
reuocare conatus fuisset ; desperata demum  
victoria , et ipse fugam arripuit , traectoque  
ad villam *Szigetfeö* Danubio , praecipiti cur-  
su Mosonium ad matrem , coniugemque per-  
uenit . Hic de sinistra fortuna conqueren-  
tem , nouosque in bellum apparatus minitan-  
tem , grauiter , nec sine lacrimis obiurgauit  
*Anastasia* mater , quod spretis tot suis mater-  
nis monitis , contemtis antistitum , primorum-  
que regni consiliis , vnius hominis ambitione ,  
auaritia , fraudibusque notati voluntati se se  
tot annis regendum permiserit , in eius vnius  
gratiam omnis expertem criminis *Geisam* in-  
fectari , patrimonio iure illi debito spoliare ,  
ac ad necem quaerere non dubitauerit , quod  
denique commissa inconsulte pugna , se , con-  
iugem , matremque in perpetuum infelicem  
reddiderit . Iusta ea exprobratio adeo acerbe  
pupugit *Salamonem* , vt furore correptus , sub-  
lata dextera reginam matrem percussurus fuis-  
set , nisi coniux *Juditha* manum ferientis co-  
hibuisset . Turpe sane ac inhumanum faci-  
nus , multiplicibus postea calamitatibus a Di-  
vina nemesi immisisse seuere vindicatum .

Ceterum *Geisa*, *Ladislaus*, ac *Lampertus* fratres tam insigni eo die victoria potiti, Deo exercituum domino semel, iterum, ac tertio in ipso praelii loco solennes egere gratias, Inter sepeliendum cadauera, comitis *Ernyei* corpus conspicatus *Ladislaus*, suismet sublatum humeris amice deosculatus est; atque Vacii honorifice contumulauit. *Vidi* etiam comitis cadauer caesos inter repertum decenter a suis condi iussferat; verum milites, ob seminatas toties regem inter, ac duces discordias, malaque omnia eius vnius culpa in regnum inuecta efferati, prius illud ludibrio habuere. (a) Acta haec sunt Martio mense 1074 anni eiusdem 1074, vt ex rerum ante, et post illico gestarum serie euidenter colligitur.

### §. VIII.

*Inutiles conatus Salamonis, ad res suas in integrum restituendas.*

Decretorium hoc praelium eo funestius fuit *Salamoni*, quod regnum tunc amissum nulla deinceps arte, ac industria recuperare potuerit. *Geisa* secundo victoriae cursu in transdanubianam Hungariam transgressus, Albam - regalem, Babotsiam, Castrum portae, *Kaposvár*, et plurimas alias arces nullo negotio in suam rediget potestatem, atque

(a) Chronicon. cap. LII,

idoneo fidissimorum militum praefidio communiuit; praeterea *Bissenos*, aut *Bessos* Slavici idiomatici populos, Iaurinenfis, Mosoniensis, ac Soproniensis comitatuum incolas a tributo, ac seruitute omni absoluit ea lege, vt in omnia hostium molimina intenti, limites aduersus *Salamonem*, aliosue regni Hungarici hostes tuerentur: id quod illi non indiligenter postea praestiterunt. Haec inter *Salamon*, vt se se Molonii e fuga collegit, ab *Ernesto* Austriae marchione suppetias ocyus fibi mitti flagitauit: quas vt eo certius obtineret, pollicitus est, se militi stipendia de suo praebiturum. *Ernestus* nil moratus, cum copiis Austriacis sub initium Aprilis, sacrae quadragesimae tempore, Mosonium aduenit; at cum *Salamonem* in numerandis militi stipendiis difficilem. tergiuerantemque expertus esset, sacro eo tempore se a bello gerendo, religione prohiberi ostendens, nulla re gesta domum rediit (a). Hac spe delusus *Salamon* missis in Germaniam legatis, *Henrici IV.* opem et auxilia implorauit; et quia praediuites thesauros regios in potestate habebat, stipendia toti exercitui Germanico liberaliter addixit. Caesar affini suo pro eo, ac par erat, opem laturus, primo vere eiusdem anni 1074. iter in Hungariam inierat; verum accepto nuntio, *Wilibelnum* Angliae regem in Germaniae fines irrupisse, res suas domesticas exteris ante-

(a) Chronicon cap. LIII.

ferens, omissa in Hungariam profectione, Rhenum versus tetendit, atque diem pentecostes, qui in VIII. Iunii stum inciderat, Moguntiae celebrauit; *Salamon*, qui de caesaris aduentu praeuie edoctus erat, cum nulla constituto tempore subisdia adesse cerneret, causasque, cur expeditio retardata esset, ignoraret; multa, vt in afflictis, incertisque rebus euenire solet, secum animo voluens, nouos iterum sub medium Iulii mensis ad caesarem misit nuncios, per quos *Petri* regis imitatione, clientelam, et subjectionem Romano-Germanico imperio cum annuis tributis obtulit, inque nouae huius seruitutis pignus perpetuum, VI. insuper munitissimas Hungariae ciuitates se caesaris manibus resignaturum recepit, modo deuicto, profligatoque aemulo *Geisa*, eius auspiciis in folium reponeretur, vt autem hic bona fide secum agi crederet, obsides duodecim secum adduxere legati, eiusdem potestati tradendos (*a*). Arripuit hanc imperii Romano-

(*a*) Diserte haec refert *Lambertus a Schaffnaburg* ad A 1074. *Mense Julio*, dissipato iam belli Anglii rumore, regressum regem Henricum IV. de Lotharingia Wormatiam, iterum adierunt legati regis Vngariorum orantes obnixe, ut memor affinitatis, memor actae squali a puero aetatis, matrini subueniret expulso, et quia preces tardius mouebant priuatis occupationibus intentum, datis XII. obsidibus, fidem ei firmabant, quod si eius beneficio in regnum restitueretur, deinceps ei tribu-

Germanici fines, et iura augendi occasionem  
*Henricus IV.* cumque Germaniae principes  
 variis de causis domi occupatos, in expedi-  
 tionis societatem pertrahere non posset, vt  
 clienti suo quantocvus opitularetur, priua-  
 tas suas copias, stipendioque conductos de  
 plebe milites secum trahens, adulta iam ae-  
 state in Hungariam peruenit. Hic vbi trans-  
 danubianam Hungariae regionem multis flu-  
 minibus intercisam, multis communitam pree-  
 fidiis, ac ante omnia limites valida Bissenorum  
 manu vbiique in secessos accepisset caesar, superato  
 Danubio, flexoque in superiorem Hungariam  
 itinere, expugnata Semptauia, totaque Vago,  
 et Grano fluminibus intercepta regione per-  
 cursata, Vacium usque peruenit, vbi *Geisam*  
 contracto in vnum exercitus sui robore, in  
 aduersa S. Andreae insula castra habentem  
 offendit. Stetere aliquamdiu in mutuo con-  
 spectu aduersae acies solo Danubio diuisae,  
 nec quidquam porro *Henricus IV. Salamonis*  
 causa tentauit. Primum enim *Geisae* virtu-  
 tem, fortunamque verebatur: adhaec cum ad  
 primam caesaris aduentus famam pecora omnia  
 abacta, fruges, et pascua ipsa incendio cor-  
 rupta fuissent, tanta breui fames caesareos  
 premere coepit, vt homines, pecoraque in-  
 terirent.

*tarius, dictoque obtemperans foret, et sex ei mu-*  
*nitissimas Hungariae ciuitates in argumentum num-*  
*quam interruppendae fidei traderet. Haec eadem*  
*tere narrantur in Chronico cap. LIV.*

terirent. Denique *Geisa* per occultos nuncios maximis muneribus, et promissis corruptum patriarcham Aquileiensem eo induxit, ut is pro singulari, qua apud caesarem valebat, gratia, et autoritate, eumdem a profundo bello abstraxerit. His itaque de causis factum, ut caesar copiis suis redditum imperauerit, *Salamone* necquidquam obtestante, promissaque sua iterante: videbat quippe caesar, non esse in illius, toto iam prope regno spoliati, solique Posonio, et Mosonio imperantis potestate, Hungariam imperio tributariam offerre, ac ipsas adeo sex vrbes munitissimas, quas se cessurum promiserat, copiis suis prius expugnari oportere, ut in suam venirent potestate: Ne tamen affineim, denegata auxilii omnis spe, in desperationem adigeret, futuro anno, maioribus viribus in Hungariam se redditum pollicitus, discessit (a). Hunc in modum iterum a foederatis destitutus miserandus princeps, nequid intentatum relinqueret, *Gregorium VII.* papam per nuncios, et literas conuenit, sperans fore; ut quod *Henricus IV.* armis non poterat, id pontifex sua apud Hungaros autoritate perficeret; sed et hic oleum, atque operam perdidit. *Gregorius* enim, qui iam tum a caesare dissidere cooperat, *Salamoni*, quod ad Germanicum caesarem, cui nihil esset in coronam Hungariae iuris, confugis-

---

(a) *Lambertus a Schaffnaburg* ad A. 1074. cui consentit *Chronicon eap. LIV.*

set, atque a virtute, moribusque rege dignis  
discessisset, graibus verbis obiurgato, aper-  
te edixit, nec regnum recuperaturum, nec  
diu regnaturum; nisi repudiato Germanico  
caesare, coronae Hungaricae collationem ad  
sedis apostolicae ius pertinere agnouerit. (a)  
Fauebat nempe *Gregorius Geisae* duci, cuius  
singularem religionem, et aduersum se ob-  
seruantiam ex literis, et nunciis ad se Romam  
missis didicerat, vt e geminis illius ad *Gei-  
sam* ducem responsis, anno insequente datis,  
luculente patet (b). Egit etiam *Juditha* re-  
gina, vxor *Salamonis*, per matrem suam *Agne-  
tem* imperatricem, Romae tum commorantem,  
vt a pontifice opem pro se, maritoque im-  
petraret; verum et huic, praeter paterna ad  
virtutis, pietatisque studium monita, nullam  
fere recuperandi regni spem fecit (c). Hunc  
in modum *Salamon*, qui, dum res adhuc erant  
integrae, viuis hominis *Vidi* comitis volun-  
tati se se regendum permiserat, matris, con-  
jugis, omniumque regni ordinum consilia  
respuerat, cognatos duces, eosque innocen-  
tes patrimonio, tot pactis solennibus, et iu-  
ramentis firmato, per summum nefas spolia-  
tum ibat, vt sceleratissimum ministrum suum

(a) Literas Gregorii VII, lege apud cl. Katona Tom.  
II. pag 346.

(b) Haec vide apud cl. Katona Tom. II. pag. 361.  
et 362.

(c) Ibidem pag. 357. recitantur literae ad Juditham  
reginam die X, Ianuarii A. 1075. datae.

eodem ditaret, mira rerum humanarum vicissitudine, e summo dignitatis apice deiectus, fortunae ludibriū est effectus, luculento documento, innocentes numquam impune premi.

---

# G E I S A I.

## R E X VII.

A. C. 1075.

### §. I.

*Geisa ordinum regni voluntate inauguratur.*

*H*enrico IV. hac ratione ex Hungaria digresso; cum nec *Salamon* viribus destitutus, neque ullus ex eius foederatis amplius metuendus videretur, *Geisa* milites, quos ad id usque tempus magno numero aluerat, domum dimisit, ac, ne quid per absentiam suam *Salamon* moliri posset, domicilium suum non iam in *ducatu* suo, sed in regia ditione fixit. Expedita tum illi fuit ad solium via, quod regni ordines vnanimi consensu electo coronam offerrent, quam tamen ille pro ea, qua fuit animi moderatione, neque ambiuit, neque delatam illico admisit. Prius equidem iteratis nunciis, atque literis *Gregorium VII.* de belli fraterni causis, de victoriis feliciter ab hoste relatis, de turpibus,

et regni Hungarici immunitati contrariis artibus, quibus *Salamon* opem *Henrici IV.* mercatus fuit, de modo, quo ipse vniuersum regnum non inuitum in suam redegerat potestatem, ac denique de vnanimi ordinum regni consensu, quo ad se regem eligendum conspirauerant, accurate, et fideliter edocuit, ac vna, quid sibi facto opus esset, num regnum sibi delatum admittendum, mentem illius exquisiuit. De quibus reipsa a *Geisa* duce ad *Gregorium VII.* scriptum fuisse, responsoriae huius literae fidem faciunt. Pontifex rerum gestarum serie diligenter comperta, *Geisam ducis* solummodo titulo ornatum, multis excoluit encomiis, ac de suo fauore securum, hortatus est, ut quoniam vniuersum regnum iam in potestate habebat, interea ecclesiarum, et religionis curam gerat. (a) Coronam quoque a regni ordinibus oblatam tuto admitti posse non obscure declarauit, diserte pronuncians Diuino prorsus iudicio regiam dignitatem a *Salamone* in eum esse translatam (a). Hac *Gregorii VII.* deci-

(a) In literis *Gregorii VII.* die 23. Mar. A. 1075. datis haec leguntur: *Quam vero res in manibus tuis sit, hortamur te, ut interim circa ecclesias curam habeas, circa religionem summum studium geras,* apud el. Katona Tom. II. pag. 352.

(b) In aliis mox 14. Aprilis e. a. 1075. exaratiss. *Verum, ubi contemno nobili dominio beati Petri Apostolorum Principis - - rex Salomon subdidic se Teutonico regi, et reguli nomen obtinuit: dominus autem iniuriam suo illatam principi.* B. *Petro Apostolo praeuidens, potestatem regni,*

sione, soperitis, quos ad eum diem habebat, conscientiae remorsibus, ardentibus regni ordinum votis subscriptis denique *Geisa*, atque solito ritu vere A. 1075. coronatus fuit (a). 1075.  
 Ut adeo vere tradant chronica nostra *Geisam ducem magnum compellentibus Hungaris, coronam regni suscepisse* (b): quod profecto cum veritate tradi non poterat, si *Geisa* post Vaciensem victoriam, anno superiore exeunte hyeme reportatam, se se illico fecisset coronari. Multa profecto obstabant, quo minus ante ver A. 1075. inauguraretur. Certe 1075.  
*Henrici IV. caesaris*, quem affini suo totis viribus opitulaturum pro certo sciebat, iras, viresque verebatur, aduersus quem copias maiore numero colligi, bellumque toto conatu apparari oportuit: neque prius belli metus desit; quam postquam caesar in autumno A. 1074. ex Hungaria excessit: tum primum, 1074. quod chronica nostra ante coronationem factum fuisse narrant, sui iam securus *Geisa*, militem domum dilabi sicut (c). Praeterea

*suo ad te Geisam iudicio transfulerat: et ita, si quid in obtinendo regno iuris prius habuit, eo se sacrilega usurpatione priuavit.*

(a) Consentit nobiscum Chronicon Posoniense MLXXV. *Magnus rex coronatur apud cl. Koller appendice II. pag. 424.*

(b) Chronicon cap. LIII.

(c) Idem cit. cap. Porro duces *Geisa*, et *Ladislau* cum exercitu *Albam* venerunt, deinde *Castrum portae, Kaposvar, Bobuch Babochia, et Albam*, et alia castra fortissimorum militum praesidio munientes, dimis-

Christianus aequi, iustique amans princeps religione prohiberi se sentiebat, quominus coronati regis adhuc superstitis diadema usurparet, atque idcirco rigidi ea aetate censoris *Gregorii VII.* mentem sibi prius explorandam putauit. Illud profecto animaduertione dignum est, quod *Geisae* legati cum literis 1075 mense Martio A. 1075. Romam peruererint: ex quibus si *Gregorius* pontifex coronatum iam fuisse *Geisam* intellexisset, profecto in geminis suis ad eum postea datis literis, non iam *ducis*, sed *regis Hungarorum* titulo eundem honorasset, idque eo certius, quod regiam dignitatem iusto Dei iudicio a *Salomon*e ad *Geisam* fuisse translatam pronunciauerit (*a*). *Geisa* eo, quo diximus anno, diademate regio incinctus, ante ceteras curas omnes Vacuum cum fratre *Ladislao* tetendit, iactisque notiae basilicae B. V. M. fundamentis, voti, quod ante praelitum nuncupauerat, religione semet liberauit (*b*). Memor deinde

---

*so que exercitu habitabant in Hungaria:*  
Tunc *Geisa* dux magnus compellentibus Hungaris coronam regni suscepit. Huc item facit cap. LV.  
*Confortatumque est regnum in manu Geisae regis,*  
*et ex eo tempore vocatus est Magnus rex, ducarumque dedit fratri suo Ladislao.*

(*a*) Ternas *Gregorius VII.* ad *Geisam* ducem dedit literas: primas XIV. Martii A. 1074. alteras XXIII. Martii A. 1075. ac postremas denique eodem anno XIV Aprilis. In omnibus hoc vtitur exordio: *Gregorius episcopus, seruus seruorum Dei, Geisae Hungariae duci salutem, et apostolicam benedictionem.*

(*b*) Chronicon cap. LIII. Post coronationem autem veniens in locum, ubi visio facta fuerat, coepit

singularis beneficii, quod a Willerino Italo Szekszárdiensi abate acceperat, ut qui comitis Vidi ad Geisam ex insidiis capiendum, oculisque orbandum consilia principio A. 1074. 1074 in eodem monasterio descripta, edoctus, per celeres nuncios Geisae detexerat (*a*), quo homini, et ordini toti tam bene de se merito, aliquam referret gratiam, ad ripam fluminis Grani, celebre monasterium memoriae D. Benedicti posuit, solennique diplomate eodem anno mox a sua coronatione roborauit, cuius hoc est initium: *In nomine sanctae Trinitatis, et indiuiduae unitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ego Magnus, qui et Geisa, supremus Hungarorum dux, postea vero gratia Dei rex consecratus, Belae regis filius* (*b*). Ex quo Geisae titulo illorum con-

eum fratre suo Ladislao proponere, de loco fundamenti ecclesiae ad honorem Virginis Matris fabricandae.

(*a*) *Chronicon cap. LII. Abbas autem eiusdem loci nomine Willermus Latinus, qui erat in abscondito loco clausus, quasi Deum precans, in monasterio audiuit consilium, quod factum est, qui statim misit nuncium ad ducem Geisam, et literas, ut sibi de rege casseret.*

(*b*) *Clausula diplomatica sic habet: Anno Domini MLVII. praesente Ladislao duce, germano meo carissimo. Nehemia archiepiscopo Strigonensi extante, Desiderio episcopo Colocensi, aliisque episcopis, scilicet Aron Ep. Francone Ep. Lazaro episcopatus suos feliciter gubernantibus Iula comite Palatino, ceterisque regni mei principibus. Edidit illud el. Pray. Hierarchiae Hung. Tom. I. pag. 332. et el. Katona Tom. II. pag. 366.*

firmatur opinio, qui illi *Magni* nomen, apud Germaniae principes visitatum, in baptismo fuisse inditum existimant (a). Praeterea ipsa supremi Hungarorum ducis cum regio titulo coniunctio argumento est, *Geisan* haud ita pridem coronatum, regia vti coepisse appellatione, cum anteā post deuictum, profligatumque *Salamonem*, non nisi supremi Hungarorum ducis titulo ornaretur.

### §. II.

*Magnanimitas Geisae in restituendo Salamoni regno.*

Ordinandae Hungariae curis intentus *Geisa*, belli contra *Salamonem* prosequendi negotium *Ladislao* fratri commisit, cuius victricibus armis e tota transdanubiana regione ille exactus, in Posoniensem demum arcem se se coniecit, lentamque illic obsidionem sat longo tempore tolerauit. Haec ipsa infasti *Salamonis* calamitas multorum, praesertim autem sacri ordinis virorum, animos ad commiserationem commouit. Indecorum scilicet nomini Hungarico, atque etiam iniquum videbatur, vt, quem sponte olim sacro diadema te ornauerant, ac tot annis regem, dominumque suum venerati fuerant, is nunc, regno exutus, infra priuati hominis conditionem deprimeretur, atque ante subditorum suo-

(a) Cf. Katona recie id affirnat pag. 281.

rum oculos miserrimam vitam traheret. Alios animi aequitas; alios ob beneficia, quibus olim ab eo cumulatos se meminerant, gratitudo monebat, ut iuuandi illius curam suscipierent. Varia igitur inibantur consilia, sermonesque per regnum miscebantur, qui, cum ad *Geisae* regis aures peruenissent, id saltem impetratum est, ut *Ladislaus* soluta Posonii obsidione, mitius iam bellum administrauerit, *Salamonique* respirandi, quin etiam vltro, citroque commeandi spatum indulserit. Quo tempore indubium est, *Salamonem* de ineunda cum *Geisa* pace crebrius egisse; neque tamen eamdem impetrasse: ac in exitu A. 1076. fauentior illi fortuna esse 1076 coepit. Pro more eius aetatis regum, qui solennia domini per annum festa apud episcopos, aut abbates exigere solebant, *Geisa* pariter in antistitum, primorumque comitatu, ad abbatiam Szekszardiensem se contulerat, ut illic natalitia Seruatoris nostri festa celebraret. Quo tempore *Desiderius* Colocensis episcopus peractis missarum solenniis, sermonem eius diei, quae pacem toti humano generi attulit, celebritati accommodatum habuit, tantaque eloquentiae vi de pace perorauit, ut regem *Geisam* acerrimis conscientiae stimulis compunxerit. Finita itaque concione, secularibus omnibus exesse iussis, *Geisa* coram episcopis, et praelatis in genua prouolutus, propalam inter lacrimas confesus est, grauiter a se peccatum, quod legitimum regem suum *Salamonem* e folio deiecum, vniuerso regno spoliatum, tanto tem-

pore cum miseriis, et calamitatibus confli-  
ctari suerit, paratum se etiam professus fuit,  
ad regnum eidem restituendum, modo sibi,  
coronato iam regi, titulus regius, cum du-  
catu bona fide ab eodem concederetur: quam  
*Geisae* in cedendo *Salamoni* regno magnani-  
mitatem antistitum, praelatorumque praes-  
entium laetitia consecuta fuit; actae postea  
Deo pacis auctori solennes gratiae, cuius  
prudentia patriam mox a fraterno bello,  
ciuiumque sanguine liberatum iri confide-  
bant. Ac reipsa Dei solius opus esse oport-  
tuit, ut *Geisa* regnum, quo a nemine amplius  
spoliari poterat, aemulo, a quo tot iniuriis  
lacepsitus, toties ad necem anteau quae-  
fus erat, beneuole resignaret. (a) Ex iis,  
quae de hoc argumento hactenus retulimus,  
illud etiam clare intelligitur: etsi *Gregorius*  
VII. pontifex regni Hungarici coronam *Divi-  
no* plane *iudicio a Salamone ad Geisam* trans-  
latam pronunciauerit, fuisse nihilominus  
nonnullos Hungariae episcopos, ac specia-  
tim *Desiderium Colocensem*, qui id iure fieri  
non posse existimabant, atque legitimo regi  
suo *Salamoni*, in extrema etiam calamitate,  
cum nil ab eo amplius timendum, sperandum  
ue habebant, adhaerere non verebantur.

(a) *Chronicon Cap. LV.*

## §. VIII.

*Concordiae tractatio, Geisae obitus, coniux,  
et liberi.*

Geisae in resignando magnanimitas non in solis verbis constitit: prior ipse legatos Possonium ad Salamonem misit, qui ei duas tertias Hungariae partes bona fide offerrent, ac nil vicissim aliud ab eo flagitarent, quam ut ducatum cum titulo regio Geisae concederet. Inopinato eo nuncio mirifice exhilaratum Salamonem, dubitari nequit, in adeo fauentes concordiae conditiones; per quas se se e summa infelicitate Geisae ducis fauore in integrum restitui videbat, quam libentissime consensisse. Verum concordiae huic obstabant seculares regni primores: alii ex his digerere adhuc non poterant, Salamonem biennio abhinc regnum Hungariae tributarium fecisse Henrico IV. caesari, atque VI. ciuitates munitissimas eidem obtulisse: alii ex inconstante et vindictae cupido illius animo, non ex vano metuebant, ne, si rerum iterum in Hungaria potiretur, setiera de illis omnibus, qui Geisae partibus olim fauerant, sumeret supplicia. Ad mala itaque et publica, et priuata, quae ex illius in solium restitutione timeri poterant, prohibenda, potior regni pars eo inclinabat, vt Salamon, abdicato sceptro, priuatam eligeret vitam, idoneaque illi e communibus regni vectigalibus stipendia praeberentur. Quam conditionem cum Salamon inire tergaueretur, pacis conficienda negotium ad obi-

tum usque Geisae regis adhaesit. (a) Desit  
 1077 porro viuere XXV. Aprilis A. 1077. Con-  
 ditus in basilica Vacensi, quam regio plane  
 sumtu coeptam, fratri suo *Ladislao* absoluendam  
 reliquerat, (b). Coniugio illigatum  
 fuisse *Geisam*, liberosque sustulisse probatur  
 ex diplomate fundationis abbatiae S. Bene-  
 1075 dicti de iuxta Gron A. 1075. dato, in quo  
 filiorum suorum meminit (c). At enim qua-  
 e domo coniux lecta fuerit, quid ab eius  
 morte prolibus factum sit, a nemine, quod  
 sciamus, memoriae posteriorum commenda-  
 tum est. Narrat quidem Scylitzes Europa-  
 lata, eius aetatis scriptor, *Nicephorum Boto-*  
 1077 *niam*, qui ab A. C. 1077 usque 1081. Bi-  
 1081 *zantino imperio praefuit, sororis suae filiam*  
*Synadenem, Theodulo Synadeno genitam.*

---

(a) Chronicon cap. LV. *Intercurrentibus itaque nunciis, et super hac re diuersis diuersa sentientibus consummatio reconciliationis effectum sortiri non potuit.*

(b) Idem ibidem: *Vaccine tumularus in ecclesia B. Virginis, quam ipse construxit.* Idein refert Simon Keza pag. 97. Nemo tamen inde arguat a Geisa episcopatum etiam Vacensem fuisse fundatum. Quenadmodum ex eo, quod Simon Keza Petrum affirmet in ecclesia Quinque-ecclesiensi humatum, quam fundasse perhibetur, neimo episcopatus Quinque-ecclesiensis Petrum conditorem faciet.

(c) *Quarum, inquit diploma, decimarum partem pro saluatore animae meae, et fratribus meorum, nec non et filiorum meorum, parentumque meorum. Apud Cl. Pray Hierarchiae Part. I. pag. 335. not. a).*

*Krali*, seu regi Hungariae dedisse vxorem; quo mortuo Bizantium sit reuersa (a). Vnde doctissimi quidam viri arguunt, *Synadenem* hanc non alteri, quam *Geisae* regi iam viduo, in manus conuenisse. (b) Nos etsi id fieri potuisse non inficiemur, quia tamen minime constat, primam *Geisae* coniugem, ex qua, antequam regnum consequeretur, liberos sustulerat, tum iam obiisse, nec, si illa etiam obiit, credibile videatur, exiguo, quo Hungaris imperauit, tempore de secundis eum nuptiis cogitasse; denique nec tempus, nec annus nuptiarum exprimatur; malumus *Synadeni* Graecae alterum apud Hungaros maritum quaerere, *Lampertum* videlicet ducem, *Geisae*, et *Ladislai* germanum: qui *Nicēphoro Botoniate* iam ad imperii clavum sedente, ac *Ladislao* fratre rerum in Hungaria potiente, eamdem ex oriente aduectam matrimonio sibi copularit; ex qua *Almum* ducem postea progenuit: quod si, vt re ipsa verisimillimum est, statuamus, facile iam ratio reddi poterit, cur *Synadene* post *Ladislai* regis, et *Lamperti* ducis mariti sui eodem A.

(a) *Dedit sororis suae filiam Synadenem, Theodulo Synadeno genitam, Crali Hungariae vxorem, quo etiam moruo, rursus est Bizantium reuersa.* Seylitzes Curopalata pag. 67. edit. Venetae.

(b) Opinione hanc tradit Cl. Pray in Dissert. de S. Ladislao pag. 87. et sequ. Item in Hierarchia Hung. P. I. pag. 335. not. a) Cl. Cornides Genealog. Reg. Hung. cap. II. Cl. Katona Tom. II. pag. 283. et sequ.

1095 1095. denatorum obitum, iras *Colomanni* verita, Bizantium redierit; cur item *Almus* odiis eiusdem *Colomanni* exagitatus, apud Graecos Bizantii asylum quaeſierit. Neque id nos mouet, quod Scylitzes maritum *Sy-nadenes Kralem* seu *regem Hungariae* appellebat; poterat quippe scriptor Graecus hoc eum titulo ornare: *Lampertus* etenim a *La-dislao* rege *ducatum* consecutus, tertiae Hungariae parti, ducis quidem solum titulo; at regio propemodum iure, ac potestate dominatus fuit. Ceterum opinioni huic ita adhaeremus, ut certiora edocti, eam pro nostro in veritatem studio deponere paratis.

---

## S. LADISLAVS I.

### R E X VIII.

A. C. 1077.

*Ladislaus nonnisi consentiente Salamone coro-nari se finit.*

*Greifa pacis tractationi immortuo, nihilo deinceps rebus, consiliisque suis fauentiore fortunam expertus fuit Salamon.* Plerique regni primores ab eo in solium reponendo, regnoque inter ipsum, et *Ladislaum*, ut volebat, diuidendo vehementer abhorrebat, quod pacem, atque concordiam haud diu in-

ter eos duraturam, pristinaque odia, ac disfidia certo certius redditura ex inconstante praecipitique *Salamonis* animo augurarentur. Eadem itaque, quae prius, plerorumque mens fuit, ad patriae salutem, ac tranquillitatem necessarium esse, ut *Salamon* regni administrationi in perpetuum renunciaret, nudoque regis titulo contentus, e bonorum sibi attribuendorum redditibus, stipendiisque publicis priuatam Posonii vitam quietus duceret: in quas conditiones parum sibi decoras cum *Salamon*, nondum de recuperando regno desperans, consentire nollet, potioribus regni primorum suffragiis *Ladislaus* rex electus, ad suscipienda reipublicae gubernacula pene vi adactus fuit. Paruit ille quidem tum regni ordinum voluntati, ne monarchia, moderatore destituta, detrimenti quid acciperet; fratris nihilominus *Geisae* magnanimitatem imitatus, induci nullatenus potuit; vt se se coronari fineret, legitimique regis adhuc superstitis diadema gestaret, (a) nisi id illo consentiente, atque adeo legitime fieret. Firmiter enim apud se constituerat, operam omnem concordiae conciliandae impendere; quae si succederet, paratum se professus fuit, ad regnum *Salamoni* restituendum, modo

(a) Chronicon cap. LVI. *Et quamvis ipsum Hungaros in regem absque voluntate sua elegerunt, numquam tamen in capite suo coronam posuit -- et viuus regis Salomonis coronam, usque dum legitime coronaretur, habere noluit.*

bona illius venia tertiam Hungariae partem ducatus titulo obtineret. (a) Dilata igitur triennio integro inauguratione, summa cum potestate Hungaris imperauit *Ladislaus*; quo tempore ab omni abstinenſ hostilitate, diligenter saepius egit de pace cum *Salamone*: episcopi quoque nulli industriae, ac labori pepercere, ut magnates, atque nobiles regni adducerent ad cedendum *Salamoni* regnum iis, quibus *Geisa* voluerat, quasque *Ladislaus* ipſe ratas habebat, conditionibus. (b) Verum hi *Salamonis* in solium restitutionem, vt regno Hungarico noxiā, conſtanter reiecere, (c) cumque numero praeualerent, nec vlla rationum vi a proposito poſſent dimoueri, *Salamon* ipſe actum iam de regno recuperando eſſe videns, ne nimia obstinatione res suas amplius corrumperet, quarto *Ladislai* regui anno, pacem demum iniit, omnique in sacram Hungariae coronam iure abdicato, priuatam Posonii elegit vitam: cui *Ladislaus* pro ea, qua erat aequitate, et indolis magnanimitate, ſtipendia ad tuendam dignitatē ſuſiectu-

ra

(a) Chronicon cap. cit. Proponens *Ladislaus* in animo, ut ſi firma pax inter eos eſſe poſſeret, regnum *Salamoni* redderet, et ipſe ducarum haberet.

(b) Porro *Salamon* erat in Poson, reuerendissimi auctem epifco i laborabant pacificare eos. Idem ibidem.

(c) Optimates autem regni futura pericula bellicae cladis caute praecauentes, non pariebantur regnum partiri cum *Salamone*, ne nouiffima fierent peiora prioribus. Idem ibidem.

ra assignauit (a). Quapropter pace his pactis composita, quarto regni sui anno, qui fuit 1081. *Salomone* consentiente, *Ladislaus* 1081 lenni ritu diademate regio redimitus fuit, atque omnibus deinceps humanitatis, et amicitiae officiis *Salomonem* prosequi, colereque instituit. Hunc *Ladislai* coronationis annum fide domesticorum chronicorum nixi, statuimus: neque mouemur *Gregorii VII.* literis, A. 1079. die XXI. Martii Roma ad eum datis, in quibus *Ladislaus Hungarorum rex* appellatur (b). Iure quippe illum pontifex iam tum regio titulo ornare potuit, postquam potioribus suffragiis regem electum summa potestate Hungaris imperare, ac solummodo inaugurationis solennia interea deprecatum, ex eius legatis ad se Romam missis intellexit.

(a) *Rex autem Ladislaus quamvis sciret Salomonem nimis esse trucem, et implacabilem, victus tamen pietate, et maxime iustitia compellente, quia ius legitimum Ladislaus non habebat contra eum, sed omnia de facto fecit, non de iure, quarto anno regni sui pacificatus est cum Salomone donans ei stipendia ad regales expensas sufficientia.* Idem ibidem. *Chronicon Posoniense* habet: A. MLXXXI. *Ladislaus rex, et Salomon frater eius pacem fecerunt, et crux domini Albae fulgure percussa est.*

(b) Literas pontificias vide in *Annal. reg. Hung.* ac an. cit. et apud cl. Katona Tom. II. pag. 424.

## §. II.

*Salamonis regis inconstantia, vicissitudines, et obitus.*

Non vanum fuisse magnatum, atque nobilium de *Salamonis* animi inconstantia metum, paulo post euentus comprobauit. Anno enim vix euoluto, cessionis factae usque adeo eum poenituit, ut, quo sibi viam rursus ad folium praepararet, *Ladislai* regis vitae infidias struere non dubitauerit: quibus feliciter detectis comprehensus, ac Vilegradensi carceri inclusus, nonnisi mense Augusto

1083 A. 1083. inde liberatus fuit, ut eleuationi corporis SS. Stephani, Emerici, et Gerardi interesset, quos *Gregorius VII.* pontifex paulo prius in concilio Romae habito, sanctorum fastis adscripsérat (a). Peracta hac solennitate bona *Ladislai* regis venia Ratisponam abiit, ut *Inditham* reginam coniugem suam, quae *Henrici IV.* fratris sui sumtibus illic alebatur, inuiseret. Verum illa alienis dedita amoribus, maritum regia priuatum potestate, et exulem dignata, non sine contemptu reiecit (b). Salomon illatae sibi a coniuge ignominiae impatiens, recta inde Ad-

(a) *Chronicon* cap. LVI. De sanctorum horum canonizatione lege cl. Katona Tom. II. pag. 430. et sequ.

(b) *Bertholdus Constantiensis* synchronus narrat ad A. 1084. Rex *Vngarorum* *Ladislaus Salomonem* de carcere relaxatum, Ratisponam ad uxorem suam ire

montem concessit, ad *Anastasiām* reginam matrem, quae in eo loco, non tamen in monasterio priuatam, atque deuotam Deo agebat vitam: Hic dies aliquot commoratus cum a femina res humanas diu iam pertaesā nil ad recuperandum regnum seu opis, seu consilii acciperet, nouum iterum animo voluens facinus, non pietatis, ac poenitentiae causa; sed vt occulta sua consilia eo certius, tutius que contegeret, monachalem peregrini habitum ibidem induit, quo etiam habitu in Hungariam A. 1085. redux, vt regem eo faci-  
lius falleret, Albae-regiae in porticu basili-  
cae B. V. Mariae ceteris peregrinis, atque mendicis immixtus, stipem a *Ladislao* petiit,  
atque accepit: eadem hac monachali veste delusis, qua iter habuit, omnibus, Hungariam emensus *Salamon*, non ad mare Adriaticum; sed versus mare nigrum in Cumaniam enasit (a). Hic primum ille *Kuteskio* gentis

*permisit, licet nigratam, nam nec illa, nec ille coniugale foedus ad iniucem eatenus seruauerunt, imo contra Apostolum iam seipso fraudare non timerunt. Erat autem ipsa soror Henrici IV. saepe nominari, quae et ab ipso iam duci Ratisponae sustentabatur, etiam antequam maritus eius captiuaretur.*

(a) Congruunt haec cum Simonis Kezae narratione pag. 96. *Vnde Ratispona spe omni destitutus rediit in Agmund, Admontem, ad reginam, Anastasiām matrem, cum qua dies aliquot cohabitans, in veste monachali deinde Albam venit, et cum Ladislaus frater eius in porticu ecclesiae B. Virginis, manibus propriis, pauperibus elemosynam erogaret, ipse sibi inter eos dicitur accepisse, quem mox cognovit Ladislaus, ut insperxit; reuersus autem La-*

duci et genns suum, et fata, et abdita sua  
 pandit consilia, opem flagitans, ad coronam  
 Hungariae recuperandam: pollicitus vicissim,  
 se in praemium nauatae sibi operae, vbi pri-  
 mum regnum receperisset, Transsiluaniam *Ku-*  
*teskio* cessurum et quoniam huic filia erat  
 iam nubilis, hanc *Salamon* ruptis prioris  
 matrimonii vinculis, sponsam sibi depo-  
 poscit (a). *Kuteskius* tam opulentae regionis  
 spe animatus, tamque illustris affinitatis ful-  
 gore perstrictus, collecto magna cum diligen-  
 tia exercitu A. 1086. *Salamone* comite, in  
 Hungariam irrupit, finibusque regni ad Vn-  
 gense usque castrum inundatis, viciniam  
 omnem terrore compleuit. Verum *Ladislaus*  
 per limitum praefectos tempestive de Cuma-

---

*dislaus a distributione eleemosynae, inquiri iussit*  
*diligenter, non quod ei nocuissest; sed ille malum*  
*praesumens ab eodem, secessit inde versus mare*  
*Adriaticum, rectius dixisset mare nigrum quo, Cu-*  
*maniae fines pertinebant. Evidet hoc iter *Sala-**  
**monis* monachi habitu per Hungariam, ac ipsam*  
*adeo Albam regalem, alio tempore accidere non po-*  
*tuit, quam A. 1085. cum auxiliorum causa in*  
*Cumaniam proficeretur; biennio enim post A.*  
*1087. oceubuit, nec unquam deinceps mona-*  
*chum induit.*

(b) Chronicon nostrum cap. LVI. non meminit iti-  
 neris Ratisponam, ac inde Admontem a *Salamone*  
 suscepit, sed non multo post eleuationem corpo-  
 ris SS. Stephani, et Emerici, euindem in Cumania-  
 m fugisse narrat: *Tandem fugiens adiit ducem*  
*Cunorum, qui vocabatur Kutesk, cui iuravit, quod*  
*Transsiluaniam prouinciam proprietario iure ipsi*  
*traderet, et filiam eius in uxorem acciperet, si ille*  
*in auxilium eius super Ladislaum veniret.*

norum moliminiibus admonitus, tempori adfuit, victisque uno praelio hostibus, *Kuteskium* una cum *Salamone* in Cumaniam feliciter retrusit (a). Infelix ea expeditio adeo *Kuteskii* animum fregit, ut minime deinceps aleam anderet repetere. *Salamon* autem ira, ac dolore amens, vt fortunae sibi in Hungaria aduersantis periculum alibi faceret, primo vere A. 1087. cum *Tzelgo* Cumanarum copiarum duce, superato Istro, Bulgariae inuasit: sed et hic nihilo fauentiora expertus fata, Cumanis per Graecos internectione deletis (b) ipse pariter pugnaudum inter occubuit, resque Hungaricas inconstantia sua miscendi finem fecit (c). Quod *Salamonis* mortis genus, et annus, quoniam synchronorum testimonii ad liquidum demonstratur, non video, cur quis sustinere porro velit chronicorum nostrorum fabulam: *Salamonem* ab infelici eo praelio in solitudinem recessisse, rerumque Diuinarum contemplationi intentum Polae in Istria diem suum pie obi-

1087

(a) Idem ibidein. *Dux autem Kutesk inani spe seductus cum magna multitudine Cunorum inuadens Hungariam deuenit usque ad prouinciam castrorum Vng, et Borsua: quo audito Ladislaus irruit super eos, et contriti sunt a facie eius, cecideruntque in ore gladii multa millia Cunorum.*

(b) Anna Comnena edit. Venetae pag. 150. Chroniccon cap. cit.

(c) Cecidisse tum *Salamoneum* testatur synchronus Bertholdus Constantiensis ad A. 1087. et alii, quos vide apud cl. Cornides cap. VIII. Item apud cl. Schier de reginis Hung. pag. 75.

1087 uisse (a). Postquam nempe ab A. 1087.  
 quo ille pugnans occubuit, nulla eius deinceps fama ad Hungaros peruenisset, ac subinde Polae in Istria *Salamonis* cuiusdam eremita lypsana afferuari accepissent Hungari, re non satis examinata, vt dubiis, ac ab aetate nostra remotis in rebus fieri solet, labente aetate *Polanum* illum *Salamonem* eundem omnino cum *Salamone* Hungariae rege suisse pronunciare non dubitarunt: cui opinioni et apud Hungaros, et apud Polanos occasionem dederit, quod in vetustis monumentis adnotatum repererant, *Salamonem* regem monachali habitu contextum, Albae-regiae in Hungaria stipem a *Ladislao* rege acceptisse. Sed cur ille tum eremitam induerit, iam superius satis, vt nobis videtur, probabiliter explicuius. Quamquam et illud evidenter ostendit, *Salamonem* eo, quem diximus, anno cecidisse, quod coniux eius vidua regina *Juditha*, accepto mariti mortis nuncio, mox anno insequente 1088. *Vladislao* Poloniae duci matrimonio collocata fuerit, vitamque porro usque ad A. 1101. produxerit (b). Verum de hac etiam Chronici nostri compi-

1088  
 1101

(a) Simon Keza pag 97. Chronicon cap. LVI.

(b) Martinus Gallus in chronicō Polon. Boguphalus Ep. Poznaniensis in chronicō. Ebbo in vita S. Ottonis Ep. Bamberg. lib. I. Dlugossus seu Longinus histor. Pol. lib. IV. ad A. 1088. Cromerus lib. V. pag. 64. Plura de hoc vide apud laudatum toties cl. Cornides cap. VIII. cl. Schier in reginis Hung. a pag. 75.

latores fabulantur : cum narrant eam in Admontensi asceterio, cuius tamen tum ne lapis quidem existit, quodque nonnisi 1137. construi coepit, velum sumfisse. Crebra ad maritum eremitam nuncia, quia, et vitae subsidia mittere consueuisse, ac denique ibide non sine sanctimoniae fama vitam clausisse (a). Iuuat huius etiam erroris fontem indagare. Legerat fortasse in breui aliquo chronicō domesticō et Keza, et qui eum sequuti sunt, paucis adnotatum : *Sophiam* reginam in Admontensi coenobio esse sepultam. Cum igitur *Salamonis* coniugem *Juditham*, incertum quo errore inducti, *Sophiam* appellauerint, continuo existimarunt hanc in eodem asceterio velum sumfisse. Verum *Sophia* haec filia fuit *Belae* II. regis Hungariae, A. 1138. *Henrico*, 1138 *Conradi* III. imperatoris filio despōnsa, quae sponso, antequam coniugio idoneus esset A. 1150. e viuis erepto, inter eius loci moniales. se reclusit, sancteque traductam vitam pia morte terminauit (b). Ex quibus omnibus certum est, nec *Juditham* reginam

(a) Simon Keza pag. 97. *Regina*, inquit, *Sophia*, scribere debebat *Juditham*, uxor eius, *Salamonis*, in maxima castitate perseuerans, nunciis frequentibus maritum visitabat, mittens ei expensam, ut habere poterat, item paucis interiectis: *Ipsa* vero *Sophia* regina monialis effecta, arctissimam vitam deducendo migravit ad dominum, et in praefato monasterio, Admontensi, tumulara, sicut sancta veneratur.

(b) Vide cl. Cornides Genealog. Reg. Hung. cap. VIII. a pag. 179. usque pag. 187.

vñquam Admonte monialem fuisse, nec maritum illius infelicem *Salamonem* regem eremum aliquando petiisse, quin potius fortiter pugnando occubuisse: iure igitur distinguendus est a *Salamone* illo eremita, cuius pios cineres Polani ciues etiamnum venerantur. Quamquam nec illud hic silentio prætereundum est, ecclesiam Hungaricam nullo vñquam tempore *Salamoni* regi suo proprios sanctis honores detulisse; neque illius memoriam seu missa, seu officio fuisse prosecutam: citra piaculum igitur eum a sanctorum indigetum nostrorum numero excludimus.

### § III.

#### *Prima Croatiae cum Hungaris coniunctio.*

Tam molesto sibi, gentique exoso liberatus aemulo *Ladislaus*, nil deinceps domi turborum habuit, vt adeo liberius iam regni fines aduersum externos hostes tueri, et monarchiam Hungaricam tam diuturnis antea bellis domesticis, multis partibus labefactatam in meliorem ordinem potuerit reuocare. Prima omnium expeditio adornata fuit in Croatiam rogatu *Heleneae* sororis. Postquam *Zuonimirus* 1087 Croatiae rex circa A. 1087. fatis cessit, atque hunc mox *Stephanus* pariter si 1089 ne sobole sublatus in exitu fortasse anni 1089. consecutus fuit, (a); quod nemo iam e regia

---

(a) Vide Lucium de Reg. Dalmat. et Croat. lib. II. cap. X. et XI. Farlatum item Illyrici sacri Tem. I. pag. 158.

Croatarum domo superstes esset, tota regni administratio in *Helenam* reginam Zuonimiri regis viduam deuoluta fuit, cuius imbecillitate abusi quidam e primoribus, ad regnum aspirantes, vniuersam Croatiam factionibus permiscuerunt. Regina bellum intestinum, tristisque patriae excidium tempestiue prohibitura, habito cum nonnullis partium suarum proceribus consilio, *Ladislai* Hungariae regis fratri sui opem implorauit. Is traducto A. 1091. in Croatiam exercitu, deuictis partibus, optatam regno quietem restituit (a). Per eam occasionem *Helena* regina saluti Croatarum in perpetuum prospectura, eo primores regni adduxit, vt *Ladislaum*, cuius virtutem, iustitiam, clementiamque satis superque perspexerant, regem salutauerint. Is delatam sibi coronam ita tum admisit, vt una diserte, id fortasse potentibus regni primoribus, *Lamperti* fratris filium *Almum* eis regem constituerit, illuc in *Heleneae* reginae fororis aula educandum, sibique a morte in Croatia successurum (b). Ex qua *Almi* ducis in regem successorem institutione, illud non in-

1091

(a) Chronicon cap. LVI. Thomas Archidiaconus in Histor. Salonitana cap. XVII.

(b) Apud Lucium lib. III. cap. I. refertur coaeuum monumentum monasterii S. Mariae Iadrensis, quod sic habet: *Anno incarnationis Iesu Christi D. N. MXCI. Kyri Alexio Constantinopoleos imperante, quo Ladislaus Pannioniorum rex Croatiae inuadens regnum, dominum Almum, suum nepotem, in illo statuit regem,*

congrue erui videtur, non ita Croatas *Ladislaum* sibi regem elegisse, vt iam tum in vnum cum Hungaris corpus coalescere, eumdemque cum eis regem constanter deinceps venerari intenderint: quin potius argumen-  
to est, eam fuisse Croatarum mentem, vt e regia quidem domo Hungarica, distinctum tamen ab Hungaris regem haberent, solisque foederum vinculis mutuo copularentur; atque hinc iam ratio suapte fluit, cur *Ladislaus* prae *Colomanno* filio, qui apud Hungaros sibi successorus erat, *Almum* nepotem Croatis regem dederit. Ceterum *Ladislaus* pro eo, quo non in temporariam modo; verum etiam aeternam subditorum salutem ferebatur studio, cum in nonnullis Croatiae partibus obseruari adhuc gentilium superstitiones intellexisset, Zagrabensem episcopatum eodem adhuc anno 1091. condere coepit: *Vt quos error idololatriae a Dei cultura alienos fecerat, episcopalis cura ad viam veritatis reduceret; ad instruendam ergo huiusmodi plebis ignorantiam, quemdam Bohemicum venerabilem vitae virum nomine Duch idoneum reperit, quem eidem ecclesiae pastorem per suum capellanum Francitam delegauit (a).* Sub idem hoc tempus, etsi annus incertus fit, ecclesia Hungarica in geminas prouincias

---

(a) In documento A. 1134. quod insertum est litteris confirmatoriis Gregorii P. IX. A. 1227. datis apud cl. Koller pag. 158. nota e). Vide item Histor. ecclesiae Zagrab. cl. Kerchelich.

Strigonensem, et Batsensem diuisa fuit, erecta Batsini sede metropolitana: qua dignitate primus omnium exornatus legitur *Fabianus* Batsensis archiepiscopus (*a*), antea vicecancellarius, et Albensis ecclesiae rector, seu praepositus (*b*). Qua porro ratione geminos inter metropolitas, suffraganeos Hungariae episcopos tum partitus fuerit *Ladislaus*, silentibus monumentis, arduum est definire.

#### §. IV.

*Veneti Hungarorum in Illyrico progressionibus obicem ponere conantur.*

Enopinatam hanc Croatarum cum Hungaris coniunctionem aegerrime tulere Veneti, qui cum ditionis suae fines latius in Italiam proferre nequirent, dudum iam in id incumbebant, vt Dalmatiam, atque Croatiam sibi adiungerent: vnde praeter innumera alia commoda, et lucra, videbant sibi numquam fortis armisque gerendis idoneos viros defuturos, quorum virtute rempublicam suam aduersus quosquis hostes tuerentur. Cum ita-

(*a*) In citato documento diserte habetur. *Regnante nobilissimo rege Ladislao; Strigonensis vero ecclesiae primatum Acha gubernante I. Baatiensi archiepiscopo Fabiano existente.* Apud cl. Koller pag. 159.

(*b*) In instrumento S. Ladislai confirmationis episcopatus Vesprimiensis A. 1082. legitur: *M. Fabianus vicecancellarius*, apud Pray Hierarchiae P. I. pag. 276. Item in elevatione corporis S. Emerici. *Rector ecclesiae Albensis in dissert. de S. Emérico* pag. 99.

que metuerent Veneti, ne Dalmatae rege destituti Croatarum exemplo, Hungaris se se coniungerent; nonnullis Croatiae maritimae, et Dalmatiae dynastis, vrbibusque sub *Vitalis Phaledri* ducatu, ad agnoscendum reipublicae suae dominium adductis, *Andream Michaelem*, *Dominicum Dandulum*, et *Iacobum Aurio* legatos Constantinopolim ad *Alexium Comnenum* misere, orantes, ut quoniam regnorum eorum incolae sponte se se reipublicae submisere, imperator quoque vetera imperii sui in Dalmatiam, et Croatiam iura Venetae reipublicae transcriberet, polliciti vicissim bona fide, se Graecis, quos iam tum premebant Saraceni, quoties opus esset, classe, militeque opitulaturos. Annuit Venetorum postulatis *Alexius Comnenus*, percuesso cum eis A. 1092. solenni foedere; atque hac tempestate Veneti ex Graecorum cessione, ius in Dalmatiam consecuti, duces suos *Dalmatiae ducum* titulo exornare coeperunt(*a*). Sic tum nobilissima Venetorum respublica, Hungaris, ne Dalmatiae regni, atque maris dominium aliquando obtinere possent, mature obicem ponere conata fuit, effecitque etiam, ne vñquam stabilis esset Hungariae regum in Dalmatia dominatus, vt suis locis visuri sumus.

---

(*a*) Vide *Dandulum* lib. 9. cap. 9. *Lucium*, lib. III.

## §. V.

*Cumani semel, ac iterum deuicti.*

Quo tempore in Croatia *Ladislaus* cum copiarum Hungaricarum robore aberat, *Kopulchius* Cumanorum regulus Transiluaniam primum, tum Bihariensem prouinciam deprae-dando emensus, cum a nemine sibi obicem poni videret, superato Tibisco, ad sitam huic regionem amplissimam pariter depopulatus est, tum vero praediuite praeda, multis pecorum gregibus, et quod tristissimum fuit, multis imbellis sexus, et aetatis millibus in feruitutem abreptis onustus, flexo per Temesiensem prouinciam itinere redditum domum parabat. Verum haec ipsa praedae magnitudo ei exitio fuit, cuius causa cum lentius regrederetur, *Ladislaus* interea e Croatia reversus, acceleratis itineribus, hostes ad Temesum flumen haerentes affecutus est. Hic ubi immensam subditorum suorum multitudinem captiuam aspexit, ut Patrem decuit, in lacrimas solutus fuisse fertur: tum milites suos paucis ad vindicandas in libertatem coninges, liberos, atque propinquos cohortatus, sublato in altum purpureo vexillo, tanta vi in hostes irruit, ut rege *Kopulchio*, ducibus praecipuis, et fortissimis quibusque imperfectis, ceteram multitudinem indagine concluserit: tum enim vero signo dato, suos ab inferenda porro caede cohibuit, ac per praecomenem edici iussit, omnibus non vitae modo gratiam; verum etiam opimas terras

datum iri, si apud se in Hungaria remanere, eamdemque cum Hungaris religionem Christianam amplecti vellent: quam conditionem cum Cumani quam libentissime se amplexuros respondissent, continuo ex hostibus subditi effecti, regales Danubium inter atque Tibiscum terras colendas accepere: atque hae primae fuere Cumanorum in Hungaria coloniae, per quas partium earum solitudo non mediocriter absterfa fuit, praesertim postquam tam benefici regis fama in Cumaniam delata, coniuges, liberi, atque propinqui eorum subinde in Hungariam aduenere. Interea, qui unicus a nuperna clade superstes euaserat *Escembu* nomine in Cumaniam reuersus, vbi *Kopulchii* reguli caedem, et sociorum fata popularibus suis enarrasset, quidam *Akus* nomine principatum apud Cumanos adeptus, missis sine mora in Hungariam legatis, retentos ibidem populares suos insigni cum arrogantia repetit, repulsamque passus, immensam suorum secum trahens multitudinem in Hungariam A. 1092.

**1092** properabat. *Ladislaus* totam hostium itineris rationem mature edoctus, prior ipse e regni finibus excessit, atque in ea regione, quam nunc Walachiam dicimus, prope Danubium castra metatus est; eodem prope tempore *Akusi*s etiam cum suis aduenit, quem *Ladislaus* felsum adhuc ex itinere, nullo dato respirandi spatio, adortus, ad ineundum certamen coegit, neque diu pugnandum fuit, postquam enim *Ladislaus*, vt erat vitae prodigus, facta sibi ferro per medios hostes

via, *Akusium* ducem suam manu obtruncas-  
set, tota reliqua hostium multitudo abiectis  
animis in fugam abiit (a).

## §. VI.

*Russi Hungariae contermini in fidem recepti.*

Ab hoc bello feliciter confecto redux *La-  
dislaus* nouam in Russos Hungariae conter-  
minos adornauit expeditionem: vt eos cafti-  
garet, quod Cumanis semel, ac iterum libe-  
rum per ditiones suas in Hungariam transi-  
tum praebuerint. Hac enim A. 1086. Kutes-  
kius cum *Salamone*, ac rursus anno 1091. 1086  
1601 *Kopulchius* irruperant. Ad hos igitur debel-  
landos vere A. 1093. itum: Verum Russi 1093  
gloriosissimi regis *Ladislai* fortunam veriti,  
adeo eius aduentus fama sunt perculsi, vt si-  
ne mora legatos communi nomine obuiam ei  
miserint, qui non modo prioris delicti ve-  
niām deprecarentur, verum etiam perpetuam  
fidelitatem, atque obedientiam gentis suae  
regi Hungaro offerrent. *Ladislaus*, vt erat  
supplicibus facile placabilis, singulari hoc in-  
cruentiae victoriae genere mirifice delecta-  
tus, primores gentis ad se clementer admisit,  
qui cum subiectionem suam iureiurando in-  
terposito eidem obligassent, Russia Hungariae  
contermina in S. coronae Hungaricae cliente-  
lam concessit (b). Atque hinc non immerito

(a) Chronicon cap. LVII. Keza pag. 98.

(b) Chronicon cap. LVIII..

prima iuris nostri in Russiam rubram initia  
repeti possunt, quae seculo post sub *Bela III.*  
rege instaurata, confirmataque fuere.

## §. VII.

*Decretorum S. Ladislai regis occasio.*

**B**ellicae expeditiones non ita totum sibi vendicauere *Ladislai* regis animum, ut non etiam ad sacram non minus, quam profanam rem Hungariae ordinandam curas suu porrigeret. Iam inde a *Petri* regis temporibus, regno multiplicibus agitato vicissitudinibus, multae D. *Stephani* leges in desuetudinem abiere, parui interdum pendebatur ordinariorū regni iudicium autoritas: neque illi, qui in ius vocati sunt, ad praefitutum diem aderant, nec latae a tribunalibus sententiae semper suum fortiebantur effectum, ipsius etiam regis mandata interdum negligebantur. Praeterea crima quaedam ciuilis societatis securitati, et felicitati aduersantia, vt sunt caedes, rapinae, furtu, adulteria, aliaue his consimilia augeri potius in dies, quam minui videbantur, quod in facinorosos ex praescrito legum minime animaduerteretur, ac singula prope crima suos haberent e potioribus protectores. Apud sacros etiam viros, ac coenobitas ipsos primus ille sanctimoniae ardor refixerat: in summa cleri Hungarici penuria, ex scholarum interitu, et restaurandi neglectu exorta, cogebantur episcopi homines iam coniugatos ad sacros promouere ordines,

ordines, aduersus disciplinam Latinae ecclesiae, et nouissimas *Gregorii VII.* sanctiones, qui inualescentem tum coniugii clericorum morem ex Italia, Gallia, et Germania nequidquam eliminare conatus fuit (*a*). Ac istud quidem leuius ferri poterat, verum eo iam quorumdam presbyterorum incontinentia procellerat, vt contra vtriusque ecclesiae decreta, postquam in caelibatu iam erant sacris ordinibus initiati, connubia inirent, aut certe demortua prima coniuge, ad secundas nuptias transire non sibi religioni ducerent. Hunc in modum cum sacer non minus; quam profanus ordo medelam exposceret, geminos conuentus *Ladislaus* celebrait: alterum Sza-  
boltsini A. 1092. die XX. mensis Maii (*b*), qui 1092  
in feriam V. post dominicam pentecostes eo anno inciderat; alterum autem in sacro monte Pannoniae, cuius tamen et dies, et annus ignoratur. Nos vtriusque conuentus aliqua solum decreta paucis huc transferemus.

(*a*) Hos *Gregorii VII.* ad profliganda sacerdotium per Europam oinueni connubia, conatus refert *Lambertus a Schaffnaburg* synchronus ad A. 1074. quem vide apud cl. *Katona* Tom. II. pag. 579.

(*b*) Patet id ex initio decretorum S. *Ladislai* in codice juris patrii.

## §. VIII.

*Leges quaedam conuentus Szaboltsensis.*

Qui ex Christianis, ad lucos fontes, et rupes ritu gentili sacrificare deprehensi essent, boue multari iubentur, (a) ex quo argue nondum ea aetate Hungaros omnes ex animo Christianam legem fuisse secutos. Iudeis vetitum, Christianas puellas sibi coniugio iungere, aut seruas pariter Christianas accipere: has vna, atque illas illico auferri, venumdari, pecuniamque inde comparatam episcopi manibus consignari oportuit, haud dubie, ut in pium aliquod opus conuerteretur (b). Qui vxorem suam in adulterio deprehensam dolore, et vindicta abreptus necauisset, a poena, et quaestione immunis esset tamdiu, dum imperfectae coniugis cognati eum in ius vocarent, tum enim crimen adulterii coram iudicio probandum fuit (c). Quodsi vero maritus adulteram coniugem coram iudice accusasset, haec poenam a sacris canonibus constitutam subiret, qua absoluta, si maritus eam in thorum recipere amplius nollet, vterque innupti deinceps permanerent, quin eis licceret ad alia vota transire (d). Qui mulieri, vel virgini iter facienti vim attulisset, eadem, qua homicidae, poena plecteretur (e).

(a) S. Ladislai decret. lib. I. cap. XXII.

(b) Ibidem cap. X.

(c) Lib. I. cap. XIII.

(d) Ibidem cap. XX.

(e) Ibidem cap. XXXII.

Siquis dominicos, festosque dies non obseruasset, aut vetitis ab ecclesia diebus carnisbus usus fuisset, violatae legis ecclesiasticae crimen cippo inclusus XII. dierum ieunio eluat, consimilem subeat poenam dominus, si serui sui apud se demortui; aut villicus, si villani, vel hospitis in praedio obeuntis cadauer, Christiano ritu sepeliendum, ad ecclesiam parochialem deferri non curauisset (*a*). Ut debita iudiciis obseruantia procuraretur; si quis sigillo regio citatus ad tribunal comparere neglexisset, meritum litis amitteret, ac insuper V. pensis auri multaretur; si vero iudicis ordinarii sigillum spreuisse, centum eius aetatis denarios persolueret (*b*). Renouata lex D. Stephani de pendendis episcopo decimis, simul ut fraus, dolusue omnis remoueretur, modus vna eas exigendi praescriptus (*c*). Ecclesias praeteritorum bellorum calamitate desolatas, combustas, aut solo aequatas parochiani suo sumtu, et labore instaurent; vestimenta nihilominus, calices, aliae ad sacrum ministerium necessaria rex procuret. Illas autem ecclesias, quae sola vetustate collapsae erant, erigendi onus dioecesanis episcopis impositum (*d*). Presbyteri, qui post sacros iam ordines illegitima iniere connubia, aut bigami, ac denique concubi-

(*a*) Ibidem cap. XXV.

(*b*) Ibidem cap. XLI. et XLII.

(*c*) Ibidem cap. XX. XXVII. XXX. XXXIII. et XL.

(*d*) Ibidem cap. VII. et VIII.

narii coniuges, vel concubinas dimittere, aut si id nollent, a sacris ministeriis arceri, munereque suo spoliari iubentur (*a*). Ex aduerso, qui legitime prius coniuncti sacerdotio initiati erant, tamdiu vxoribus suis cohabitare permitti sunt, usque dum de his sedis apostolicae mens cognosceretur. (*b*). Evidem ipse Gregorius VII. pontifex, cetera rigidissimus legum ecclesiasticarum vindex, ubi cleri erat penuria, sacerdotes huiuscmodi legitimo iunctos matrimonio tolerandos aliquamdiu putauerat (*c*). Ne porro disciplina monastica sensim a primaeuo feroore defueret, episcopis impositum, ut coenobia suae dioecesis crebrius per annum visitent, atque in caenobitarum mores diligenter inquirant (*d*). Ceterae leges Szaboltsenses videri possunt in codice iuris patrii (*e*).

(*a*) Ibidem cap. I. II. et IV.

(*b*) Ibidem cap. III.

(*c*) Patet ex eius responso ad B. Altmannum episcopum Passauensem dato: *Quod vero, inquit, de sacerdotibus coniugatis interrogatis, placet nobis, ut in praesentiūrum tum propter populorum turbationes; tum etiam propter bonorum inopiam, scilicet, quia paucissimi sunt, qui fidelibus Christianis officia religionis persolvant, pro tempore rigorem canonicum temperando, debeatis sufferre.* Apud Hansi: Germ. sacrae Tom. I. pag. 270.

(*d*) Lib. I. cap. XXI.

(*e*) Leges has copiosius explicatas lege apud cl. Péterfi conciliorum Tom. I. ac apud cl. Katona Tom. II. a pag. 570.

## §. IX.

*Nonnullae constitutiones in S. Monte Pannoniae promulgatae.*

Constitutiones in sacro monte Pannoniae promulgatae secundum, ac tertium *Ladislai* decretorum librum efficiunt, ac fere ad securitatem publicam domi procurandam pertinent. Ut inueterata illa furandi, rapiendique licentia efficaciter aliquando coerceretur, solenni iuramento ordines regni in comitiis congregati, cauerunt, numquam se se furem celiaturos, neque vlli crimen hoc parcituros (a). Leuiorum etiam furtorum VI. denariorum reis membrorum mutilatio, vt narrum amputatio, et effossio luminis dictata, (b) grauioribus furtis, quae X. denariis aequialerent, laquei poena decreta (c). Non res modo, verum etiam colonos, aut seruos praeteritorum temporum iniuria amissos accurate dominis suis restitui voluit *Ladislaus*, vt neque illi a facienda restitutione excusarentur, qui iam inde ab *Andreae I. regis* regni initii, seu ab A. 1045. quo Vathaina 1045 seditio Hungariam corripuerat, alienum aliquid apud se retinuere, ex quo tempore cum dimidium prope seculum effluxisset, neque longi huius temporis praescriptione tutis esse licuit (d). Vt res casu amissae eo facilius pos-

(a) S. *Ladislai* decret. lib. II. cap. I. Lib. III. cap. I.

(b) Lib. II. cap. XII. §. IV. XIV. Lib. III. cap. VIII.

(c) Lib. II. cap. I. XII. XIV. Lib. III. cap. VIII.

(d) Lib. III. cap. II.

sent recuperari, sanctum, vt serui, pecudes, et pecora a festo D. Georgii vsque diem D. Michaelis, frequentioribus in oppidis propalam in foro, statim diebus exponerentur: vt quod quisque suum fuisse demonstrasset, persoluto prius pro impensa interea cura litro, reciperet, (a), quod institutum sane quam vtile hodiecum apud nos aliquomodo perseverat. Porro cum diuturnis bellis pecorum, equorumque in primis numerus vehementer in Hungaria diminutus fuisset, limitaneorum comitatum parochianis comitibus, sub dignitatis amissione; limitum autem custodibus, ac ipsis adeo excubitoribus sub libertatis iactura, perpetuaeque seruitutis poena interdictum, ne boues, aut equos citra expressam a rege licentiam e regno educi, et exteris diuendi finerent (b). Quodsi porro quaestori extero data etiam fuit a rege potestas boues, aut equos in Hungaria coemendi, ne tamen concessum sibi numerum ille excederet, emptio coram regis praestaldo, quem hodie *commissarium* dices, fieri debuit(c). Denique, vt ceteras *Ladislai* regis sanctiones praeteream; illud quoque constitutum, vt qui conuentus illius decretis morem non gereret, si praelatus sit, arbitrio regis plectatur; si comes parochianus, comitatum amit-

(a) Lib. III. cap. XIII. et XX.

(b) Lib. II. cap. XVI. et XVII.

(c) Ibid. cap. XV. et XVIII.

teret, si centurio, aut nobilis, LV. pensis multaretur (a).

### §. X.

#### *Infausta Hungarorum in Russiam expeditio.*

Secundos ubiuis Hungarorum *Ladislao* imperante successus nonnihil obscurauit finistra expeditio in Russiam a *Colomanno*, rege iuniore, *Ladislai* filio suscepta. Venerat A. 1094. in Hungariam *Iaroslau*, *Suetopolci* 1094 Rulorum ducis Hungaris foederati filius, opem aduersus *Wolodorum* Premisliensem ducem efflagitans: huius igitur iuuandi causa *Ladislau* filium *Colomanum* coronatum iam regem in antistitum, illustriumque virorum comitatu, cum VIII. armatorum millibus in Russiam dimisit: seu quod ipse, multis fractus laboribus, parum fida vteretur valetudine, seu, ut bellicae virtutis, ac fortunae filii aliquod viuens adhuc caperet experimentum. Interea dum *Colomanus* Premisliam, quo *Wolodus* se receperat, arctissima cingit ob-sidione, *Lanca* ducissa *Wolodori* coniux, grauissimo mariti discrimine commota, data, acceptaque fide, Hungarorum castra subiit, pendibusque *Colomanni* assufa, veniam, clementiamque marito implorauit. Ille iuuenili correptus impetu, supplicem, plorantemque

(a) Lib. III. cap. XV. Cetera vide in codice iuris patrii, et apud cl. Katona Tom. II. a pag. 630. et 644.

matronam nulla habita aut sexus, aut conditionis ratione, calce pedis parum humaniter abactam, a suo conspectu sine mora iussit facere. *Lanca* contumeliae dolore, et ira amens, commemorata, quam a *Colomanno* acceperebat, iniuria, vicinos Russiae principes, ac ipsos adeo Cumanos in subsidium euocat: cunctis rite ante dispositis, *Colomannum* oppugnationi intentum, suique securum, nocte concubia vndique magna vi adorti hostes, magnam edidere stragem: cum enim ob loci angustias, et castrorum impedimenta, acies Hungarica explicari nequiret, fortissimi qui que viri cadebant inulti. Eo rerum articulo *Colomannus* vitam, salutemque suam, nobilitatis Hungaricae fidei, ac virtuti acceptam debuit. Primores enim, ac nobiles suum esse rati, regis filium, atque heredem cum propriae etiam vitae iactura tueri, corporibus, clypeisque densatis omni ex parte protectum, continuos inter telorum imbrres, patefacta vbiuis ferro via, non sine multa sanguinem caede, ac sanguine ex hostium faucibus fortiter erectum, e vallum angustiis ad tutiora denique loca, feliciter eduxere: cedere eo in praelio IV. millia Hungarorum, quos inter *Laurentius* et *Kupanus* episcopi: comites *Gula*, et *Euzem* de genere *Almási*, ac plurimi alii illustres viri numerabantur. Castra cum thesauris, et impedimentis omnibus Russis in praedam cessere (a). Sinister

---

(a) *Dlugossius Histor. Pol. lib. IV. ad A. 1094.*  
*Mathias de Michouia. Chron. Pol. lib. III.*

hic belli huius exitus *Colomannum* deinceps in bellis suscipiendis, gerendisue cautiorem reddidit: certe is postea rarius fortunam suam vnius certaminis aleae commisit, maluitque regni sui fines confilio, et prudentia, quam armis tueri, atque augere, ut suo loco narraturi sumus.

## §. XI.

*Ladislai obitus.*

**C**ladem hanc paulo acerbior iactura anno insequente cumulauit. Cum *Conradi* nepotis sui Morauiae ducis causa bellum in Bohemos apparat *Ladislaus*, grauiore morbo in ipsis regni limitibus corripitur, quem cum lethalem sibi fore praesagiret, coram regni primis per celeres nuncios ad se euocato, Hungariam resignauit, *Almo* vero nepoti Croatiam; sic cum regno vtrique successorem dedisset, pie suscepto SS. Eucharistiae Sacramento in caelos migravit IV. Calendas Augusti id est XXIX. Iulii, quae eo anno 1095. in dominicam XI, post pentecosten inciderat, anno regni sui XIX. (a). Corpus piissimi

---

apud Pistorium Tom. III. Chronicon M. Turo tzii cap. LX.

(a) Chronicon cap. LIX: *Anno D. MXCV, quarto Kalendas Augosti Feria prima*, id est Dominica: hoc eodem die XXIX Iulii Festum depositionis S.

regis, vt viuens iusserat, Varadinum deductum, in basilica monasterii B. V. Mariae, per eundem condita, tumulatum fuit, (a). Mortem tam pii, fortis, ac felicis principis ordinum omnium, sexus, et aetatis omnis luctus, et comploratio secuta fuit, id, quod interdictis triennio integro choreis, et musicis concentibus propalam testari placuit. Lacrimae hae subditorum, postremum sunt, idque sincerissimum amoris, et gratitudinis in demortuos principes tributum, quod nec timor extorquet, nec adulatio corruptit (b). Verum communis iste Hungarorum luctus non multo post in laetitiam commutatus fuit, postquam Deus multiplicibus prodigiis ad D. *Ladislai* tumulum patratis, non tam erectum illum Hungaris; quam nouum in caelis tutelarem datum, declarauit, quibus omnibus rite examinatis, atque pro ecclesiae more probatis, agente *Bela III.* rege, *Caelestinus III.* papa D. *Ladislauum* regem Sanctorum confessorum caetui A. 1192. adscripsit.

---

*Ladislai* constanter olim in Hungaria celebratum fuisse, testantur vetera calendaria, alterum A. 1480. missali, alterum A. 1484. breuiario Strigonensi praefixa.

(a) Chronicon cap. LIX solius monasterii in honorem B. V. Mariae Varadini conditi; non item episcopatus erecti meminit. Monasterii autem nomine olim capitula tam cathedralia; quam collegiata venisse, notius est, quam vt probari oporteat.

(b) Cetera D. *Ladislai* gesta vide apud cl. *Ka na* Tom. II. a pag. 389.

## §. XII.

*Encomia.*

Habitus corporis D. *Ladislai* is erat, qui apud omnes maiestatem summo illo fastigio dignam ei conciliabat: humero enim, et amplius suos inter eminebat. Animi porro dotes eae fuere, quae calamo nostro numquam satis adumbrari poterunt. Insignis D. *Ladislai* religio, nec fucata vitae Christianae probitas merebantur secundes illos belli successus, quibus a Deo bonorum omnium largitore cumulatus fuit. Singularis animi fortitudo cum Christiana in Deum fiducia coniuncta fuit, vt, vbi grauius erat periculum, medios in hostes ruerit intrepidus, ac cum fortissimis quibusque singulari congredi certamine non perhorresceret. Religioni in Deum teneram coniunxit in Deiparam virginem, quam *regni Hungariae patronam* appellabat, pietatem: impense item deuotus erat sanctis Hungariae tutelaribus DD. *Stephano, Emerico,* et *Gerardo*, quibus A. 1083. publicos in eccllesia honores decerni a *Gregorio VII. PP.* impetravit: quo tempore, quia S. *Stephani* regis dextera corruptionis expers reperta fuit, eius memoriae abbatiam condidit, Hungaris *Szent Iobb* appellatam; sacrum hoc pignus, post cladem Mohatsianam ex Hungaria Ragusam translatum, Augustae *M. Theresiae* pietas domum reuexit, ac in regiae Budensis aede sacra collocauit. Quanta porro de D. *Ladislai* prudentia, ac virtute apud exterorū principes existimatio fuerit, vel in-

1083

de licet colligere, quod imperii Romano-Germanici ordines, post exautoratum Henricum IV. caesarem, et Rudolphum A. 1080-  
**1080** Idibus Octobris in praelio interfectum, imperatoriam dignitatem D. *Ladisla*o regi obtulerint, quam tamen ille Hungarorum, eadem aduersantium, amore deprecatus fuit. Quin etiam postquam famigeratus ille *Petrus*  
**1093** eremita ex oriente A. 1093. redux, Europam omnem ad eliberandam e manibus Saracenorū terram sanctam commouisset, praecipui  
**1095** quique Europae principes, missa A. 1095. in Hungariam legatione, D. *Ladislaus* cruciatae expeditionis ducem elegere. Pascha tum Bodrogini in dioecesi Colocensi agebat rex, cum principum Christianorum legati aduenire. Evidem honorem hunc sibi delatum, quam libentissime admisit D. *Ladislaus*, ac non modo sollicite domi bellum apparabat; verum etiam plures ex cognatis Germaniae principibus in facri belli societatem concitauerat, (a) plurimum haud dubie ad debellandos Saracenos momenti allaturus, nisi Diuino numini placuisset, pientissimum principem noui belli periculis subductum, ad capessenda meritorum praemia in caelos euocare.

(b) Legi haec possunt Chronie cap. LIX. quo utriusque legationis sit mentio.

## §. XIII.

*S. Ladislai coniux, liberi, atque propinquii.*

Constans sat diu apud Hungaros aei posteroris opinio obtinuerat, sanctum *Ladislaum* regem caelibem egisse vitam; at enim et coniugium illius, et aliquot liberi ita certi sunt hodie; ut a nemine cum ratione in dubium possint reuocari. Coniugii in primis sui testis omni exceptione maior est ipse D. *Ladislaus*; qui in literis ecclesiae Vesprimiensi A. 1082. datis vxoris suae mentionem facit (a). Fuit illa *Adelhais* nomine, *Bertholdi* Zaringensis ducis filia, viro suo A. 1090. 1082 1090 praemortua, ac Vesprimii pone *Giselae Bauerae*, S. Stephani viduae, ossa contumulata (b). Ex hac *Adelhaide* sequentes fuere proles superstites: I. *Colomannus* rex, viuente adhuc patre coronatus (c), quem episcopum Varadinensem, et quidem primum omnium fuisse adeo durum est, ut digeri non possit (d) II. *Prisca*, *Pyrisk*, quae *Ioanni Comneno* Graecorum imperatori, *Alexii* filio nuptui data, pro aulae Bizantinae more, mutato nomine, *Irene* dicta fuit, ac complures liberos, speciatim autem iam A. 1105. gemellos edidit, ut adeo, quod aliqui suspiciati sunt, *Colomanni* regis

(a) Apud cl. Pray Hierarchiae Hung. Part. I. p. 265.

(b) Bonfinius Decade II Lib. IV. cl. Cornides Genealog. Reg. Hung. cap. I.

(c) Cl. Cornides cap. V. VI.

(d) Cl. Katona Histor. Crit. Tom. II. a pag. 681,

filia esse non potuerit (*a*). III. *Sophia*, prius  
*Vdalrici* Carinthiae marchionis, postea *Magnonis*, seu *Magni* Saxoniae ducis vxor (*b*).  
 IV. *Berchta Henrico* Riettenburgico comiti ecclesiae Ratisponensis aduocato collocata, cui tamen graues quaedam difficultates cum ratione opponuntur (*c*). Eodem, quo D.

**1095** *Ladislaus* obiit A. 1095. *Lampertus* quoque illius frater viuere desiit (*d*). Hic ex coniuge, quam *Synadenen* Graecam fuisse iam alibi non improbabiliter afferuimus, filium sustulit, *Almum* ducem (*e*) variis per vitam omnem iactatum vicissitudinibus, eius tamen posteri deinceps Hungaris imperarunt.



(*a*) Cl. Cornides cap. III. et IV. cl. Katona p. 730.

(*b*) Cl. Cornides cap. III.

(*c*) Idem cap. VII. cl. Katona pag. 750.

(*d*) Chronicon breve Posoniente. *Ladislaus rex* obiit, et frater eius *Lampertus dux*, quibus *Colomannus*, et frater eius *Almus* succedunt in regnum.

(*e*) Chronico editionis Augustanae A. 1488. cap. LXIV. praefigitur; *De regno secundi Belae cacci*, filii ducis *Almus*, filii *Lamperti*, filii regis *Belae primi*. Vide cl. Cornides pag. 94.

# COLOMANNVS.

R E X      IX.

A. C. 1095.

§. I.

*Colomannus, regnum adeptus, ducatum Almo  
duci cedit.*

*Colomannus* mox ab obitu D. *Ladislai* A. 1095. regnum auspicatus est : ab eo enim 1095 regiminis sui annos constanter deinceps numerare confueuit : et si autem viuo adhuc patre, successor constitutus, atque etiam coronatus fuerit, peracta nihilominus Varadi- ni funeratione, placuit inaugurationis solen- nia Albae-regiae repetere (*a*). Hac occasio- ne cum *Colomannus* utilissimum regno Hun- garico futurum existimaret, si Croatae per- petuo cum Hungaris foedere sub uno, eodemque rege coniungerentur, *Almus* publi- ca gentis totius commoda priuatis suis ante-

---

(*a*) *Chronicon* initio cap. LX. *Colomannus itaque filius regis Geisae*, corrigere *Ladislai*, *de Polonia festinanter reddit*, et *coronatus est*. *Chronicon breue Posoniense*, et si male coronationis annum 1098. ponat, rem tamen dicit, *Colomannus rex coronatur.*

ferens, morem *Colomanno* perlibenter gessit, Croatiaeque gubernatione, quam ex D. *Ladislai* voluntate acceperat, semet abdicavit (a). *Colomannus* vicissim singularem hanc sibi obsequendi promptitudinem remuneratus, *Almum* ducem, ducalibus ornatum insignibus, tertia Hungariae parte donauit (b). Ex qua *Colomanni* regis in *Almum* ducem humanitate, luculentum fit, non ita barbaro, et inhumano fuisse illum ingenio, ut chronica nostra perhibent. Sed nempe cum haec scribabantur, *Almi* ducis posteri solium tenebant Hungaricum (c), quibus ut scriptores adularentur, non sibi pudori ducebant, inuisum illis *Colomannum* tetricis depingere coloribus. Evidem si *Almus* cognati regis benevolentia moderate vti nouisset, et ipse beatior victurus erat, et Hungariam a multis calamitatibus, quas ob eius inconstantiam perpeti postea debuit, immunem reddidisset.

## §. II.

(a) De Croatiae resignatione intelligi debet Chronicon cap. LIX. Beatus autem *Ladislaus* sic ordinavit, ut post ipsum *Almus*, in Croatia, regnaret, qui sincera simplicitate ductus honorauit fratrem suum *Colomannum*, praferendo ipsi coronam regni Croatiae.

(b) Chronicon breve Posoniense diserte habet: *Colomannus* rex coronatur, et frater eius *Almus* dia-dema, nempe ducale, induitur. Chronicon item cap. LX. Et duci *Almus* ducatum plenarie cessit, *Colomannus*.

(c) *Almi* ducis filius *Bela II. Caecus* A. 1031. solium conscendit, quod eius posteri usque ad A. 1301, tenuerunt.

## §. II.

*Cruce signatos seuere castigat.*

Calumniarum, quibus *Colomanni* regis nomen iniquius proscissum fuit, facile praecipua erat illa, quod in cruce signatos ad orientem proficiscentes desaeuierit. Ad accusationem hanc diluendam, satis erit rem, ut gesta fuit, paucis enarrare. *Petro* quadam eremita ex Palaestina reduce, autore, coegerat *Urbanus II.* papa A. 1095. ad octauam D. Martini concilium Claromontanum, in quo plerisque Europae principibus sacro oefstro percitis, famigerata illa cruciata in terram sanctam expeditio decreta fuit; sacri huic belli Saracenis inferendi fama per vniuersam Europam propagata, tam immensa hominum multitudo, assunta cruce, sacrae huic militiae nomen dedit, ut nonnisi sexus imbellis, aut quos aetas prohibebat, domi remanerent. Vniuersa haec cruciata multitudo, ut eo commodius in orientem deduci posset, tres in partes diuisa fuit. Primum agmen, *Petro* eremita duce, exeunte vere A. 1096 libere per Hungariam transire siuit *Colomannus*; verum cum tot hominum milibus difficilior interdum esset rerum ad vietum necessiarum procuratio, urgente fame, quacumque eis iter fuit, incolas rebus omnibus, locustarum instar, exspoliauerant: quo auditio, Zemlinenses ciues, occlusis maturae portis, inuisos hospites ab urbis ingressu prohibuere: ea re in furorem acti cru-

ciati, expugnata per vim vrbe, ciuib[us] barbarum in modum necatis, et facultatibus eorum direptis, iter suum in orientem prosecuti sunt. Tam atroci iniuria pro eo, ac par erat, offensus *Colomannus*, ne his adhuc grauiora perpeti cogeretur, per nuncios in Austria[m] praemissos, secundo cruciatorum agmini, quod Godescalcus ducebat, iter per Hungariam interdixit. Verum illi eo nomine, quod cruce signati essent, cuncta sibi licere arbitrantes, contemta regis intercessione, dissipatis, qui in limitibus erant, copiis, armata manu Hungariam subiere, atque, vt ipse *Colomannus* rex postea conquestus erat, *praedis, rapinis, stupris, adulteriis, homicidiis, oppressionibusque variis, ac incendiis, et depopulationibus, saeuissime debachati sunt, vt non pegrini, sed saeuissimi barbari apparerent* (a). Quapropter rex, vt populum curae suae a Deo creditum a tam atrocibus iniuriis vindicaret, cruciatos, circa Iaurinum nullo ordine dispersos, ex insidiis aggressus, non sine multa caede e regni finibus exegit. *Godefridus Bullionius* postremi agminis dux, accepto tristissimae sociorum clavis nuncio percussus, aliquamdiu in Austria substituit; at ubi atrocia illa crimina, quibus Hungarorum in se iras concitauerant, intellexisset; in trecentorum equitum comitatu ipse *Colo-*

---

(a) Apud Bernardum Thesaurar. edit. a Muratorio scriptore Ital. Tom. VII. et in Annal. Reg. Hung. Tom. I. ad h. a.

*mannum regem accessit, petitaque iniuriarum a sociis illatarum venia, cauit, daturum se omnem operam, ne milites sui cuiquam in Hungaria damno, aut offensioni essent; quin etiam illustri principum genere natos obsides dedit, tamdiu in regis potestate futuros, dum ipse cum suis Hungariae fines emetiretur.* Tam liberali cautione a nobilissimo duce *Bullionio* accepta, *Colomannus* non modo liberum ei concessit transitum; verum etiam cuncta ad victum, et iter prosequendum necessaria quam cumulatissime praebuit, ac fines denique regni citra ullius maleficium emenso, datos prius obsides restituit. Tantum nempe ad disciplinam militarem seuere custodiendam interest: quis exercitui praesit; an bellidux militiae peritus? an eremita? Haec si ita sunt, quis quaelo erit, qui *Colomannum* de inhumanitate in cruciatos iure accuset? Evidem eum, qui omni iniuriarum genere subditos afficit, armata manu repellere, nemo barbarum esse pronunciauerit (*a*).

### §. III.

*Croatia solennibus pactis Hungariae coniuncta.*  
*Croatiae regnum aliquamdiu Colomanni regis curas exercuit.* Vulgata D. *Ladislai* regis mortis fama, primus omnium iugum eius ex-

(*a*) Iter hoc cruciatorum copiosius descriptum legi apud cl. Katona Tom. III. pag. 19.

cussit Petrus quidam dynasta, paucorum factione rex proclamatus : verum hic a submissis ex Hungaria copiis debellatus, atque interfectus fuit (a). Ex eo tempore Croatia omnis vna cum principe regni vrbe Bello grado in fide *Colomanni* aliquamdiu perstittit. Certum id est e scriptore synchroño, qui 1097 cum mense Maio A. 1097. *Busillam*, Rogerii Siciliae comitis filiam, *Colomanni* sponsam Bellogradum aduectam, atque illic a *Vincurio* loci comite cum V. millium armatorum copiis honorifice acceptam refert, vna maritimam hanc ciuitatem iuris tum fuisse regis *Hungariae* diserte affirmat (a). Verum

---

(a) Simon Kera pag. 98. *Iste Colomannus in regnum Dalmatiae, Croatiae missio exercitu occidi fecit regem Petrum, qui Hungaris in montibus, quibz Gozd dicuntur, occurrens, est deuicius in montibus memoratis, et occisus.* Idein habet Chronicon cap. LXII.

(b) Gaufredus Malaterra O. S. Benedicti apud Muratorium Tom. V. Anno itaque incarnationis 1097. mense Maio cum trecentis militibus usque Thermas conducere fecit Henricum Lescastrensem episcopum, et quosdam de fidelibus suis. Abinde maritimo cursu usque ad Pannoniam, prospera aura flante, per aquora feruntur, usque dum in portum Albae, Bellogradi, qui iuris regis Hungarorum est, impune applicant. Hic *Vincarius* comes Belligratæ, Bellogradi, missus cum V. milibus armatorum, obuius fuit, eamque, *Busillam*, cum suis, qui cum ea venerant, decenter excipiens, ad regem perduxit. Scribebat porro Gaufredus historiam suam A. 1099. tum igitur Bellogradum iuris fuit Hungarici.

annis insequentibus, res iterum in Croatia turbari, praecipue gentis dynastae ad libertatem aspirare cooperunt. Aegre ferebant fortasse, non sibi, vt cum D. *Ladislao* transactum fuit, separatum ab Hungaris imperare regem *Almum*: insciis regni primoribus *Colomannum* arbitrio suo Croatiae se regem ferre, quin more, et instituto veteri electus, atque inauguratus fuerit: his accesserint tributa, atque vectigalia, per *Colomannum* regem praeter morem a Croatis exacta: has fere fuisse Croatarum secessio-  
nis causas, non obscure colligitur ex pactis postea cum *Colomanno* initis, cum ad eius rursus obedientiam rediere: tum enim nobilitatem ab omni tributi specie absoluisset, ac reapse Bellogradi inaugurarisi, sicque regnum auspicari debuit *Colomannus*. Gliscens diu sub cineribus seditio tanto subinde im-  
petu erupit, vt A. 1102. iusto cum exercitu 1102  
in Croatiam proficiscendum fuerit. Post-  
quam autem Drauum flumen superauit *Colo-  
mannus*, atque vna intellexit, Croatas pariter viribus omnibus in vnum contractis, bel-  
li aleam experiri paratos, aliquamdiu ad Cri-  
sum ciuitatem cum exercitu substituit, ac, antequam incerto vnius praelii euentui tam il-  
lustris regni sortem committeret, mitiora pri-  
us consilia sibi experienda putauit. Misso  
itaque ad primores gentis oratore, paratum ad eos, honestis quibusuis conditionibus, in fidem recipiendos animum declarauit, atque vna emolumenta, quae ex nobilissimae gen-  
tis cum Hungaris coniunctione nascitura erant,

explicauit. Singularis ea *Colomanni* regis humanitas vsque adeo placuit primoribus, vt mox habito inter se consilio, delectos e praecipuis duodecim dynastarum familiis, totidem viros ad eum remiserint, de propositae coniunctionis ratione acturos. *Colomannus* venientes peculiari humanitate complexus, singulosque amico dignatus osculo, faciliorem reddidit negotii tractationem: in haec autem capita conuentum fuit. Croatia omnis *Colomannum* regem suum agnosceret, hic vicissim principes illas XII. regni familias, earumque posteritatem, bonis suis libere vti, ac frui permitteret; neque vlo vnquam tempore, aut colore tributi aliquid ab eisdem exigeret: id vnum illis onus incumberet, vt bello ingruente, cum rex iusserit, singuli ad minus XII. armigeris equitibus stipati, sub signa regia confluarent, intra Croatiae regni ambitum, propriis merituri stipendiis; vbi primum autem Drauum Hungariam versus superaffent, regio sumtu alendi. Haec vbi

**A. 1102.** in solennes tabulas relata fuissent(*a*), *Colomannus* Bellogradum deductus, atque vicitatis ritibus coronatus, non iam solius Croatiae, verum etiam Dalmatiae regis titulos assumfit(*b*): nec immerito; mox enim *Spala-*

(*a*) Tabulae hae referuntur in antiquissima nota ad Archidiaconum Spalatensem, quas recitat cl. Pray. Annal. Reg. Hung. Tom. I. ad A. 1102. et cl. Katona Tom. III. pag. 138.

(*b*) Coronationis huic testem habemus diploma *Colomanni*, Iadrensis monialibus A. 1102. datum,

*tum, Tragurium, et Iadra Dalmatiae ciuitates Colomanni se fidei, maximis Venetorum ingratissimis, dedidere (a). Ita Colomannus, quod armis aegre admodum effecturus erat, consilio, prudentia, et humanitate impetravit, ut nobilissimum Croatiae regnum iterum ad obsequium rediret, perpetuoque deinceps cum Hungaria foedare copularetur.*

#### §. IV.

*Dalmatiae urbes Colomanni imperio se subdunt.* Non perinde facile fuit cum Dalmatinis negotium: paulo enim post, quam inde *Colomannus* discesserat, Iadra, et illius exemplo reliquae Dalmatiae ciuitates, in libertatem se se afferuere pristinam, cum Venetis societatem amplexae. Ferenda aliquamdiu fuit *Colomanno* haec Dalmatarum ciuitatum defectio, verum A. 1105. quo Veneti classem 1105 suam ad sacram expeditionem in orientem transmiserant, neque sociis auxilio venire poterant, *Colomannus* florentissimas copias in Dalmatiam transtulit, ac principem illius urbem Iadram obsedit, (b) quae cum oppugnandum conatus omnes iusto diutius luderet,

quod sic orditur: *Ego Colomannus, Dei gratia rex Vngariae, Croatiae, atque Dalmatiae, salvo habito consilio, postquam coronatus fui Belgradi supra mare, in urbe regia.* Apud Lueium Lib. III. cap. III.

(a) Thomas Archidiaconus Histor. cap. XVII.

(b) Farlatus Illyrici Sacri Tom. III. pag. 4. et Tom IV. pag. 313.

missi sunt in urbem legati, qui regis nomine cautionem darent: si Iadertini eius iterum imperio se subdere velint, veteribus iuribus, legibus, et consuetudinibus fruituros, urbem praecipuo deinceps apud se loco fore, atque ita clementer ciues habitum iri, ut non tam subditos, quam socios, et amicos se esse intelligent. Haec cum in urbe promulgata essent, ac insuper B. Ioannes Tragurinus episcopus, qui ob insignem vitae sanctimoniam summa apud Iadertinos pollebat autoritate, hortator accessisset, ut ad legitimi regis, quem triennio abhinc Bellogradi inauguratum, suum agnouerant dominum, obedientiam reuerterentur; referatis sine mora portis, *Colomannum* solenni pompa urbem ingressum, regem, dominumque suum consalutauere (*a*). Cuius memoria compluribus monumentis aeternitati consecrata est (*b*). Iadrae non tam vi armorum, quam clementia, et humanitate occupatae fama, postquam ad ceteras Dalmatiae ciuitates perlata fuit, sine mora missis ad *Colomannum* regem legatis,

(*a*) Dandulus in Chronicō apud Muratorium Tom. XII. In vita B. Ioannis episcopi Tragurini apud Faratum Tom. IV. cap. IV.

(*b*) Turri B. V. Mariae a Colomanno rege erectae, haec inscriptio incisa fuit: *Anno Incar. Dni. Nri. IHV. XRI. Mil. CV. post victoriam, et pacis præmia, Iadrae introitus a Deo concessa, proprio sumtu, hanc turrim Scae Mariae, Vngariae, Dalmatice, Croatiae construi, erigi iussit rex Colomanus.* Apud Lucium Lib. III. cap. IV.

consimilique de pristinis iuribus, libertatibusque suis conseruandis cautione obtenta, pleraeque ciuitates cum Spalato, Sibenico, Veglia, et Segnia ad fidem, et obsequium *Colomanni* regis rediere; adeo, ut eodem A. 1105. totius Dalmatiae, demissis quibusdam Venetorum insulis, dominus euaserit (a). Eadem tempestate habitis Iadrae comitiis, quaedam prouide, sapienterque instituit, quibus ita concessam a se Dalmatinis vrbibus libertatem constabiliuit, ut vna aerrario publico, communibus regni totius commodis deseruituro, egregie prospexerit (b). Specimen harum constitutionum capi potest e priuilegio Tragurini triennio post A. 1108. 1108 dato: cuius haec praecipua sunt capita: Ciues a censu, ac tributo in perpetuum immunes, antiquis suis viuant legibus: libera cuique sit, quocumque volet, suis cum facultatibus emigrandi potestas: Hungari inuitis ciuibus in vrbe domicilium figere nequeant: ex vetigalibus, quae naues exterae in portu pendere consueuerunt, decima cedat loci episcopo; duae tertiae partes regi, vna denique

(a) In instrumento Croatico A. 1105. quod cl. Kerchelich in Latinum versum vulgavit in notit. praeliminariibus pap. 114. hoc vtitur titulo: *Nos Colomannus Dalmatiae, Bosniae, et magnus Hungariae rex, maris Adriatici, et aliarum amplarum provinciarum dominus.*

(b) Dandulus Lib. IX. cap. XI. *Rex apud Iadram curiam tenens, Dalmatinos in suis libertatibus, et consuetudinibus conseruare promisit.*

tertia ciuitatis comiti. Ut episcopi, ita et comitis electio a ciuibus fiat, quam rex Hungariae postea confirmet (*a*). Haec fere sunt priuilegia, quae *Colomannus Dalmatinis* sponte ad dominatum suum redeuntibus iis rerum, temporumque adjunctis concedenda putauit, ex quibus nemo nimiam illius in Dalmatinos indulgentiam reprehendat, quasi solo regis titulo contentus, nil ex opulentis regni illius redditibus in se deriuauerit, quin potius singularēm huius prudentiam suspiciat, qui publicum aerarium non e subditorum sudore, et industria; sed ex gentium exterarum lucris voluit ditescere. Evidem non mediocris fuere census dueae tertiae tributorum, quae ab innumeris exterorum, Dalmatinos portus quaestus faciendi causa frequentantium nauibus, regi Vngariae vbiuis numerari oportuit; neque contemnenda fuere lucra ex mercibus domesticis ad exterios diuenditis colligi solita. Profecto *Colomannus* tanti haec emolumenta fecit, ut quo eadem sibi, successoribusque suis constabiliret, maluerit in libertatibus, et praerogatiis concedendis iusto etiam in maritimas Dalmatiae ciuitates esse liberalior. Qua indulgentia, et in pactis, quae tum inita fuere, obseruandis fide, si *Stephanus II.* et reliqui in regno suc-

(*a*) Diploma, priuilegia haec continens, editum est die XXV. Maii A. 1108. quod vide apud Lucium lib. III. cap. IV. In Annal. Reg. Hung. Tom. I. ad h. a, et apud cl. Katona Histor. crit. Tom. III. pag. 229:

ceffores vti voluiffent, nequaquam toties opulentissimi Dalmatiae regni iacturam fecif- fent.

### §. V.

#### *Nova legum patriarcharum sub Colomanno rege collectio.*

Non solum in augendis monarchiae Hungaricae finibus, verum etiam in condendis, ad subditos in officio continendos, legibus magnum se se probauit *Colomannus*. Equidem scriptores patrii, qui eximio huic principi multa falso appingunt vitia, eruditio- nis, et sapientiae laudem vltro vel inuiti concedunt, cum eumdem *Könyues Kálmán* id est *libriferum*, vel potius lectionis aman- tem compellant (a). Et profecto, qui legum ab eo conditarum codicem diligentius ex- penderit, insignem illius sacram aequem, ac profanam eruditionem, iurisque prudentiam admirabitur. Quaedam sub ipsum Christia- nitatis initium a diuo *Stephano* permisla po- tius, quam instituta, mutatis iam rerum,

(a) Simon Keza pag. 98. *Qünnes*, *Könyues, enim Kálmán est vocatus*, cum libros habebat in quibus, ut *Episcopus*, legebat suas horas. Idem recitat Turozzi *Chronicon cap. LXII*. At quoniam *Colomanum episcopum* fuisse nullo idoneo documento de- monstrari potest, non ab horarum canonicarum, sed aliorum codicum lectione *libriferi* appellatio eidem adhaesisse dicenda est.

temporumue rationibus inutilia euaserant; leges aliae ad id tempus latae paulo feueriores; remissiores videbantur aliae, plurimaeque adhuc deerant sanctiones, ad communem gentis salutem, et tranquillitatem necessariae. Quapropter *Colomannus* postquam diuturna meditatione multa apud se constituisset, habitis aliquot conuentibus, non modo D. *Stephani* decreta illustravit, clariusque explicuit, verum etiam noua eisdem adiecit: quae omnia regis iussu in unum volumen collegit, duobusque libris complexus fuit *Albericus* clericus, iurisconsultus. Quae compilatio, quoniam publica facta fuit auctoritate, vim deinceps legis apud Hungaros obtinuit (a). Nos quaedam solummodo ad disciplinam ecclesiae Hungaricae, ciuilem regni gubernationem, ac oeconomiam denique pertinentia commemorabimus.

### S. VI.

#### *Leges ecclesiasticae.*

**V**t ecclesiae ministri eo maiore cum decencia, et sanctitate munus suum possint obire, interdictum episcopis, ne quemquam ad faceros ordines promouere ausint, nisi prius

(a) Cum *Albericus* compilationem suam *Seraphino Strigonensi metropolitae* inscriperit, hie autem circa A. 1104. obierit, necesse est decreta haec ante hunc annum fuisse edita. Consule cl. Katona Tom. III. pag. 63.

continentiam voverit; aut si coniugio illigatus sit; nisi coniux in id consentiat, ac ipsa etiam continentiam voveat (*a*). Coniugati autem presbyteri si in altaris ministerio porro permanere velint, vxores eorum non modo in tuto aliquo loco separatae a maritis vivere eligant, verum etiam castitatis perpetuae voto se se obstringant, maritorum nihilo minus sumtu alendaे (*b*). Bigamis presbyteris, aut concubinariis, nisi concubinas dimittant, beneficia ecclesiastica auferantur (*c*). Quibus constitutionibus profligata denique sunt presbyterorum in Hungaria connubia, caelibatusque constabilitus. Vetitum etiam aduenas clericos, citra commendatitias, quas *dimissorias* literas vocamus, recipere, praecipumque, vt, qui ad eum diem suscepserant, diligent de vita, et moribus examini subiicerentur (*d*). Clericis ius canonis, et fori stabilitum, (*e*) at una seuere prohibitum coloribus pictas laicorum more vestes deferre (*f*). Confirmatum episcopis ius decimatum (*g*). Confirmata item ea omnia, quae D. Stephanus ecclesiis, et monasteriis donauerat (*h*), demtis piscinis quibusdam regali-

(*a*) Colomanni decret. lib. II. cap. IX.

(*b*) Ibid. cap. X.

(*c*) Lib. I. cap. XLVII. lib. II. cap. IV. IX. et XII.

(*d*) Lib. I. cap. III.

(*e*) Lib. I. cap. V. VI. XIV.

(*f*) Lib. I. cap. LXX.

(*g*) Lib. I. cap. XXV.

(*h*) Lib. I. cap. I. et XVIII.

bus, quae vltra monachorum necessitatem a decessoribus regibus nonnulla caenobia obtinuerant (*a*). Ut parochi pro dignitate vivere valeant, praeter illa, quae a D. Stephanu*m* in eorum usus deputata erant, tres insuper eius aetatis denarii, quorum XL. aureum constituebant, a singulis subditis parrocho annis singulis dependi iubentur (*b*). Ne autem ob nonnullorum avaritiam, Christiani paganorum more in campis humentur, renouata D. Ladislai lege, vetitum, quemquam alibi, quam circum parochialem ecclesiam sepulturae mandare (*c*). Ad tollenda penitus clandestina matrimonia, prohibendasque de valore matrimonii lites, constitutum, ut connubia in facie ecclesiae, coram parrocho, et testibus contraherentur (*d*). Haec fere sunt, quibus disciplina ecclesiae Hungaricae insigniter instaurata fuit.

### §. VII.

*Leges ad ciuilem gubernationem, et oeconomiam rem spectantes.*

**F**in ciuili regni gubernatione noua quaepiam a Colomanno rege introducta sunt. Etsi regali senatui, per D. Stephanum instituto, sua

(*a*) Lib. I. cap. XVI.

(*b*) Lib. II. cap. V.

(*c*) Lib. I. cap. LXXIII.

(*d*) Lib. II. cap. XV.

semper constabat autoritas; quia tamen publicis regni negotiis intento arduum fuit priuatorum lites discernere; graue praeterea, ac sumtuosum videbatur litigantibus, a nobilium iudicis, aut comitis parochiani sententia ad curiam regiam, senatumque regalem appellare; singulis in dioecesibus synodos instituit *Colomannus*, mense Maio, et Octobri quotannis celebrandas: His porro dioecesanum episcopum, comites parochianos, vicecomites, nobilium iudices, et alios electos viros e singulis comitatibus, dioecesis ambitu comprehensis, interesse oportuit, causisque omnes ex aequo dirimere. Suprema synodi huius fuit autoritas: eius enim iurisdictioni praelati, comites, Almi ducis, ac ipsius adeo regis aulae ministri suberant: si quis semel, iterum, ac tertio synodi sententia succubuit, omni deinceps caruit appellatione (a). Sic multiplicatis per XII. iam tum dioecesibus tribunalibus, quamplurimas vno, eodemque tempore lites absolui, terminarique oportuit. Quodsi tamen euenerat, vt rex ipse regnum obiret, gemini nobilium iudices praefecto erant: qui ei dissensiones, ac querimonias populi proponerent, quas ipse postea decideret. Si autem iudices ipsi a populo accusarentur, palatini comitis erat causam cognoscere (b). Vt autem

(a) *Colomanni decret.* lib. I. cap. II. VII. usque XIII. item XXIV. et LXIV.

(b) *Ibidem cap.* XXXVIII.

iudices de testium in iudiciis fide eo certiores redderentur, hi antequam ad testimonium perhibendum admitterentur, confessione sacramentali animum prius expiare iussi sunt, id ipsum facere iubebantur *Pristaldi*, seu *commissarii assistentes*, per quos mandata regis, aut iudicium sententiae executioni dabantur (a). Semel in periurio deprehensus in perpetuum deinceps a testimonio arcebatur (b). Promiscuus ante, sub S. *Ladislao* in omnibus prope ecclesiis, ferri candardis, et aquae bullientis ad causae veritatem, aut innocentiam probandam usus, ita restrictus; ut nonnisi in cathedralibus ecclesiis, et praeposituris Posoniensi, atque Nitriensi adhibetur (c). Ut de vicinorum populorum moliminiibus eo celerius rex edoceretur, simul etiam eiusdem mandata eo facilius ad omnes perferrentur; praeter equos illos, qui regis, ducis *Almi*, ceterorumque aulae ministrorum iter facientium usibus deseruiebant, alii insuper sonipedes singulis in comitatibus, per idonea loca distributi, publico sumtu alebantur, ut eis nuncii publici vltro, citroque commeantes vterentur, quibus pariter palatini iudicio stipendia ex aerario regni præbebantur (d): ex quo instituto fane quam utilissimo veredariorum postea usus introducetus

(a) Ibidem XXVI. et XXIX.

(b) Ibidem cap. XXVII.

(c) Ibidem cap. XXII.

(d) Ibidem cap. XXXVI.

etus fuit. Consimili cura rem oeconomicam regni complexus *Colomannus*, ita priuatorum commodis prospexit, vt aerarii etiam publici luera salua esse voluerit. Circa nobilium iura, quae *possessionaria* dicimus, illud publica sanctione stabilitum: bona, terrae, praedia, ac alia quaecumque emolumenta, quae ex D. *Stephani* donatione nobiles tenebant, ad vtriusque sexus heredes, ac posterritates vniuerlas hereditario iure transirent; quae autem sancti regis successores ad eum diem contulerant; nonnisi masculino sexui propria essent, quo forte extincto, exsoluta prius iuxta legem D. *Stephani* quarta puellarri, rex occuparet (a). De iis nihilominus, quae quis emptione aquisiuisset, liberum fuit cuiuis pro arbitrio disponere (b). Porro cum reges nonnulli, munificentiae limites egressi, prouentus quosdam, ad usus aulae regiae veteri iure, et consuetudine spectantes, parum caute inter clientes suos distribuissent, iacturae huius magnitudinem paulo grauius sentire coepit *Colomannus*, vt propalam conqueri non erubuerit, aulam suam eapropter rerum necessiarum penuria laborare. Horum igitur prouentuum regalium partem aliquam, possessoribus ademtam, aulae suae usibus postliminio restituit. Tales fuere piscinae superfluae monasteriorum, tales item pistrinae, sive molae, quas omnes, nisi a

(a) Ibidem cap. XX.

(b) Ibidem cap. XXI.

D. Stephano donatae fuissent, sibi vindicauit (a). Tributorum ea aetate per Hungariam colligi solitorum indicium faciunt quaedam leges *Colomanni*. Cum antea liberi homines seu in ciuitatibus, seu in praediis, ac terris tam priuatorum, quam regiis degentes nullo discrimine VIII. *denarios liberos* pro libertate sua regi numerauerint, ea deinceps ratio constituta est, ut I. *Liberi* illi, qui regi regnum obeunti equos, aut currus impedimentis deuehendis deseruituros praestabant, nonnisi IV. *denarios* numerarent. II. *Liberi* domibus propriis carentes, ciuitatum inquilini octo *denarios*. III. *Hospites* seu aduenae, ciuitatum terram colentes, aut dimidium ciuilis tributi, aut septem *denarios*. IV. *Hospites* cuiuscumque nationis, quibus priuati domini suas terras ac praedia locauerant, nonnisi consuetos octo *denarios liberos* regi soluerent, nec quidquam porro pro opere, seu lucro eidem dependerent, inde enim census domino fundi cedebat. V. Denique hospites *Castellani*, qui castrorum regiorum terras colebant, non solum *liberos denarios*, verum etiam censum aliquem ab opere, seu lucro, quod in fundo regis fecerant, praestare tenerentur (b). Census hic, quem *hospites* fundi domino, et tributum, quod regi dabant, sessionum, et curiarum, quas iidem tenebant, numero respondebant: quapropter cum *sessio*, aut *curia*,

(a) Ibidem cap. XV. XVI. et XVIII.

(b) Ibidem cap. XXXV. LXXX. et LXXXI.

vt iam alibi ostendimus, *Mardurina* appellari consueuerit in Selauonia; patet iam, quid *tributi Mardurinarum* nomine intelligi oporteat (a). Vectigal hoc moderate admodum, ac iusta cum proportione sub *Colomano* rege exactum fuisse, docemur ex bulla aurea *Andreae II.* quae iubet *Mardurinas* ad constitutum a *Colomanno* rege morem reuocari (b). Quo autem vniuersa haec tributa eo diligentius colligi, eoque fidelius aerario regio possent inferri, negotium datum comitibus parochianis, vt idoneos iudicio suo homines, singulis sessionibus, aut curiarum centuriis praeficiant centuriones; qui tributa suis in centuriis ad amissim exigant, atque *Strigonium* ad festum D. Michaelis diem transmittant, idque tanta cum accuratione, atque rigore, vt siquid e summa tributorum deferset, id comites parochiani duplo sarcirent. Atque tum primum *Strigonii* et comites ipsi, et centuriones sua accipiebant stipendia (c). Ut incolarum tam colonorum, quam opificum industria acueretur, simul ac adiuuaretur, qui merces proprias, aut labore suo paratas venum exponebat, simplex solummodo vectigal; quaestores autem duplex pende-

(a) Vide superius introduct. in nouae Hungar. historiam §. X.

(b) Art. XXVII. Bullae aureae. *Marturinae iuxta consuetudinem a Colomanno constitutam soluansur.*

(c) Decret. Colomanni lib. I. cap. LXXIX.

bant (*a*). Ne Iudaei dolo, fraude, et exageratis foeneratoribus Christianos circumvenire possent, contractus omnes, cum iustui, tunc emptionis, aut venditionis, pro palam fieri, in scriptum redigi, utriusque que partis sigillo, et testium subscriptione roborari necesse fuit (*b*). Facta quidem fuit Iudaeis potestas agros sibi comparandi, atque excolendi, vetitum tamen alibi, quam in ciuitate episcopi domicilium figere (*c*). Quoniam militia omnis ea aetate ex equitibus constabat, ne Hungari equorum penuria aliquando laborarent, severo interdictum, equos Hungaricos exteris venumdare: (*d*) sed neque aliud pecorum genus, quam boues, licet bat ad vicinas prouincias venum propellere (*e*). Quamuis per has, pluresque alias, quas consulto praeteriuimus, leges gentis suae felicitati abunde tum prospectum esse censuerit *Colomannus*, ut tamen palam faceret, plurimum se in Diuina ope fiduciae collicare, publica lege sanctum voluit, ut in ecclesiis omnibus pro sua regis salute, et regni stabilitate quotidie preces ad Deum funderentur, (*f*) sine cuius adiutorio inania sunt hominum consilia, conatusque omnes inutiles.

(*a*) Ibidem cap. XXXIII. et XXXIV.

(*b*) Ibidem lib. II. cap II et III.

(*c*) Ibidem lib. I cap LXXV.

(*d*) Ibidem cap. LXXVI.

(*e*) Ibidem cap. LXXVII. §. I.

(*f*) Lib. II. cap. VI.

## §. VIII.

*Quid in legibus poenalibus a Colomanno immutatum?*

*Albericus* clericus, decretorum *Colomanni* compilator, non immerito illius commendat mansuetudinem, quod seuerissimas poenas a D. Stephano, ceterisque regibus latas egregie mitigauerit. Evidem si leges, quas poenales dicimus, penitus sublatam reperiemus: homicidas quippe, parricidas, ac mulieres partum suum necantes, tantum abest, ut gladio subiectos voluerit *Colomannus*, ut potius ad archidiaconorum, et episcoporum tribunal deferri praeceperit, poenitentiis ecclesiasticis, ac multis pecuniariis plectendos (*a*). Confimiliter maritis ius ademit, vxores in adulterio deprehensas necandi, probandum in iudicio erat crimen adulterii, ut de crimine conuicta mulier ad usitatas ecclesiae poenas condemnetur (*b*). Id vniuersim e *Colomanni* legibus eruitur, eum plurimum fiduciae in spirituali per episcopos, et pastores animorum regimine collocasse: per hos ille rudem populum in Diuinis, humanisque legibus institui, atque a recto tramite exerrantem, paterne corrigi maluit, quam suppliciis excruciali: ut adeo nemini mirum videri de-

(*a*) Decret. *Colomanni* lib. I. cap. L. et LVIII.

(*b*) Ibid. lib. II. cap. VIII.

beat; cum omnium prope criminum reos ad sacros iudices relegatos fuisse legerit. Quapropter *Colomanni* aetate synodica sanctione decretum fuit, vt episcopi singulis in ciuitatibus suae dioecesis geminas domos erigerent: in quas criminibus notati includerentur, qui illic ieunio, corporis castigatione, aliis poenis delicti grauitati commensuratis coercerentur, vna vero paternis sacerdotum monitis ad meliorem frugem, vitamque Christianam reuocarentur (*a*). Haec *Colomanni* in delinquentes indulgentia, nolum est singularis illius humanitatis, atque manuetudinis argumentum, vt adeo quae *Albericus* clericus de regis huius laudibus commemorat, minime censi debeat ex adulazione fuisse profecta (*b*).

### §. IX.

#### *Multiplex Almi ducis inconstantia.*

Opinio illa, quae posteriori aevo de *Colomanni* regis crudelitate apud chronicorum nostrorum scriptores inualuerat, ex atrocibus dissidiis, cum *Almo* duce sat diu exercitis, ortum duxit. Verum haec ipsa dissidia

(*a*) *Episcopi in unaquaque ciuitate duas domos ad coercendos poenitentes faciant.* Inter canones synodi sub *Colomanno* rege celebratae, editae a cl. Koller. Histor. Episcop. Quinqueeccles. Appendix II. pag. 382.

(*b*) Praefationem *Alberici* ad *Decretum Colomanni* lege in Codice iuris patrii.

nullatenus *Colomanni* seueritati , sed foedae , ac multiplici *Almi* ducis inconstantiae tribuenda sunt. Cesserat ille , vt suo loco diximus , Croatiam *Colomanno* regi , a quo vicissim tertiam Hungariae partem *ducatus* titulo moderandam accepit ; quin etiam in supremae maiestatis communionem adscitus , solo prope nomine a studiosissimo sui rege diffrerabat. Vigebat eos inter decennio proponendum summa animorum consensio , (a) , ac idcirco optata pace , ac tranquillitate Hungaria fruebatur. Verum postquam a Dalmatia , S. coronae Hungaricae iuribus A. 1105. affer-  
1105  
ta , domum redditum fuit (b) , credibile est , ducem , vt mobilis erat animi , indicio aliquo poenititudinem prodidisse , quod Croatiae regno , noua nunc Dalmatiae accessione cumulato , adeo facile olim decesserit : cumque illuc imperare poterat , domi patrueli suo subesse elegerit. Quapropter cum apud domesticos aequa , ac exteris scriptores non obscure innuatur *Almum Colomanno* regnum eripere voluisse (c) , id profecto non de Hun-

(a) Indicio est *Colomanni* decret. lib. I. cap. IX. X.  
XII. et XXXVI.

(b) Huic tempori apprime conuenit , quod chronicon narrat cap. LX. Cumque rex ad propria reverteretur , et dux *Almus* ad ducatum iret , quidam iniquè diabolico freti consilio cooperunt inter eos accusare.

(c) Annalista Saxo apud Eccardum Tom I. ad A. 1108.  
Eo tempore orta similitate inter *Colomannum* regem Pannoniae , germanumque eius vocabulo *Alnum* ,

garia, quae numquam illum regem suum ag-  
nouerat, sed de Croatia accipiendum esse  
existimamus. Haec animi aegrimonia, in *Almo*  
duce animaduersa, satis erat aulae assen-  
tatoribus, quos iam D. *Stephanus* olim seuera  
lege coercitos voluerat (*a*), vt, grauissimis  
fuspcionibus vtriusque animo iniectis, atro-  
ces regem inter, atque ducem discordias fu-  
citarent (*b*): quin eo rem adduxere, vt al-  
ter alterius insidias metuens, eodem prope  
tempore ad arma conuolarint: cum mutuo  
iam in conspectu starent aduersi exercitus,  
solo Tibisco flumine diuisi, primores regni  
tot ciuium innocentum indignam caedem pro-  
hibituri, habito prius inter se consilio, mis-  
so internuncio *Grack* appellato, regem hor-  
tati sunt, vt, data sibi mutuo fide, colloquium  
cum duce iniret, sublatisque inanibus odiorum  
causis, pristinam cum eodem renouaret con-  
cordiam. Cui consilio cum rex pro ea, qua  
erat animi facilitate, paruissest, dissipatis vno  
colloquio simultatibus, renouataque amici-  
tia, exercitus vterque ab armis discessit.  
Verum assentatores telam, quam orsi erant,

*eo, quod uterque sibi potius regiam competere di-  
gnitatem iure gentis illius contenderet.*

(*a*) S. Stephani decret. lib. II. cap. LIII.

(*b*) Dicebant enim duci: *Domine dux, rex insidia-  
tur tibi, et capere te vult: deinde regi dicebant:  
Dux tibi posuit insidias, et, si non custodieris te,  
scias procul dubio te moriturum.* Hoc autem au-  
dientes ambo iuuenes, et lascivi, feruentes, congre-  
gauerunt exercitum. Chron. cap. LX.

iterum prosecuti, adeo rursus ducis animum timore compleuerant, vt is male sibi metuens, Passauium A. 1106. fuga euaserit, auxilia e Germania comparaturus, quae cum non obtinuisset, facti poenitens in Hungariam rediit, iterumque a *Colomanno* in gratiam receptus fuit. Nondum annus evolutus erat, cum repetitae iam inconstantiae conscius *Almus* nouas sibi a *Colomanno* insidias strui existimans, in Poloniā se recepit, obtentisque illic auxiliis fretus, A. 1107. aperto bello *Colomannum* appetere ausus, Abauuariensem arcem expugnauit. Hic cum eum rex obsedisset, atque ille oppugnationi tolerandae diutius imparem se esse videret, tantum in *Colomanni* clementia fiduciae collocauit, vt ex arce egressus, ad eiusdem se pedes supplex abiecerit, veniamque violatae toties fidei implorarit. Benigne supplicem accepit *Colomannus* (a): ne tamen ille porro res nouas moliri, Hungariamque turbis misere posset, ita clementiam temperandam putauit, vt *Almus*, ducatu suo priuatus, Dömößini deinceps idoneis ad tuendam ducis dignitatem stipendiis contentus viueret. Verum neque hac offensi toties regis clementia ad quietem reuocari potuit: priuatae enim vitae impatiens, ac non solius iam Croatiae regni, verum etiam ducatus culpa sua amissi dolore amens, vias omnes follicite circumspicere, consiliaque cum amicis cudere coe-

(a) Chronicon cap. cit.

pit, quibus ducatum saltem iterum sibi affereret. Occulta haec molimina cum regis vigilantiam minime effugerent, quo duci vires, animumque aliquid audendi adimeret, bonis quibusdam, ante donatis, ac stipendiiorum fortasse parte aliqua spoliatum paulo arctioribus circumscripsit limitibus. Atque  
1108haec causa fuit, vt Almus A. 1108. Dömös-fino clam in Austriam, atque inde in Germaniam ad *Henricum V.* caesarem abierit: vbi exaggeratis, quas a *Colomanno* rege perpe-sus erat iniuriis, non modo caesaris, verum etiam imperii Germanici principum animos ad commiserationem, auxiliaque sibi feren-da permouit (*a*). Hanc belli *Colomanno* inferendi occasionem eo libentius arripuit *Hen-ricus*, quod dudum iam ei infensus erat, ob partem aliquam Dalmatiae Istriam fortasse, quae imperii Romani iuribus obnoxia esse tum credebatur, ab eodem occupatam (*b*). Sed

(*a*) Annalista Saxo apud Eccardum Tom. I. *Spoliatu-s, inquit, tam rebus, quam ducatu, quo inter Hungaros clarus, et ut decuit fratrem regis a rege se-cundus claruit, Almus, regem Henricum adiit, et in auribus totius senatus, miseras suas deplorans, Romani imperii magnificentiam in compassione, ac defensionem sui flectere curauit.* Item Otto Frisiensis apud Vrslifium Tom. I. pag. 146. *Colo-mannus Hungarorum rex fratrem suum Almum de confortio regni suspectum habens, persequitur, qui profugus ad regem Henricum V. veniens, iniuriamque suam deplorans, auxilium eius impetrat.*

(*b*) Annalista Saxo loc. cit. Ergo rex *Henricus Almi* querelis motus, insuper etiam, quod *Coloman-nus* fines regni sui, scilicet in locis maritimis, in-uaserit, *Hungariam* cum exercitu petivit.

neque de successu belli dubitabat caesar, quod falso sibi persuaferat, ut primum Hungariae fines attigisset, potiorem Hungarorum partem *Almo* duci adhaesuram. Ipse itaque caesar copias Germanicas exeunte Septembri mense, ad Hungariam adduxit. Verum bellum hoc citra ullam sanguinis effusionem amice terminatum fuit. *Colomannus* belli iniuste sibi inferendi damna a subditis suis auersurus, caesaris colloquium expetiit: neque ille id detrectauit, cum quod *Colomanum* iusto instructum exercitu cerneret, tum vero, quod contra, ac sperauerat, nemo ex Hungaris *Almi* ducis causa ad eundem transferit. Eo itaque colloquio cum multiplices iniurias ab *Almi* ducis inconstantia sibi toties illatas exposuisset, paratumque iterum ad ei ignoscendum animum declarasset, adeo luculenter causae suae aequitatem caesari probauit, vt is satis habens *Colomanum* rursus *Almo* duci conciliaffe, ne tentatio quidem bello domum redierit (a). Haec

(a) Rikardus Canonicus Newburgensis ad A. 1108. refert: *Henricum V. regem comitatus est Lempoldus ad fines Hungarorum cum militibus suis, sed non pugnatum: quia Colomannus rex fratri suo Almo, metu imperatoris, conciliatus est.* Apud Pray. Annal. Reg. Hung. Part I. pag. 108. Chronicon nostrum cap. LXII. *Imperator propter ducem Almum mouit exercitum ingentem, et venit in confinium Hungariae, ut colloquium cum rege Colomanno haberet, et inter eos pacem firmaret: quod et factum est.* Rex autem imperatori plurima dona misit, et sic honorifice repatriauit.

omnia, qui animo a praeiudicatis opinionibus libero expenderit, tantum abest, vt *Colomannum* de seueritate, crudelitateque accuset, vt potius singularem eius patientiam, et in condonandis tot iniuriis facilitatem admiretur.

## §. X.

*Almus dux, eiusdemque filius Bela oculis  
orbantur.*

*H*enrico V. caesare hunc in modum a tuendis porro *Almi* ducis partibus abstracto, vt omnem deinceps auxiliorum aliunde obtinendorum spem inconstanti homini adimeret *Colomannus*, eodem adhuc anno 1108, Boleslum Polonorum ducem ad se in Scepusium invitauit, vbi solenni foedere inter utramque gentem percusso, gemini illi principes ad communes amicos, communes item hostes habendos semet obstrinxerunt, quod foedus vt eo firmius esset, atque eo certior redderetur aduersus *Almi* ducis molimina *Stephani*, *Colomanni* filii, in regno Hungarico successio, placuit huic filiam *Boleslai Iuditham* desponsare, (a) quae tamen numquam illi postea in manus conuenit; quemadmodum neque illud recte a Polonis scriptoribus configna-

(a) Cromerus de rebus Polon. lib. V. De conuentu hoc meminit etiam Chron. Polon. principum Tom. I. pag. 28. Apud cl. Schier pag. 81.

tum est, hac tempestate *Juditham* dotis titulo *Scepusiensem prouinciam* Hungaris attulisse, quam quidem iam *Arpadi* ducis aetate finibus Hungaricis insertam fuisse, nemo est, qui ignoret (a). Sic vbi *Colomanni* regis prudentia, sibi et Germanica, et Polonica auxilia detracta esse vidit *Almus*, aliquot annis quietem domi vel inuitus coluit. At postremo demum *Colomanni* vitae anno, in grauissimam incidit suspicionem, quasi id ageret, ut excluso *Stephano* regis filio, *Belam* filium ad solium eueheret. Num id *Almus* reapse molitus fit, aut etiam rem tantam Dömössini conclusus, et inops tentare potuerit, arduum est definire. Illud tamen certum est, nonnullos ex aulae administris, vel potius assentatoribus; quo in numero fuere *Marcus*, filius *Simonis*, et *Achilles*, filius *Iako*, *Almum* ducem de regni ambitu, occultisque ad remouendum a folio *Stephanum* molitionibus regi accusasse, autoresque fuisse, ut ad filium periculo omni eximendum, usitata apud Graecos affectati regni poena, et *Almum*, et *Belam* oculis orbatos, regno inhabiles redderet. Vrgebant porro accusationem tum quam maxime, cum *Colomanum* regem lethali capitis morbo laborantem, haud diu superstitem fore praesagiebant. Tuttelam scilicet *Stephani*, pueri tum adhuc, atque per aetatem regno imparis ambiebant,

---

(a) Argumentum hoc erudite, ut solet, pertractat  
cl. Katona Histor. crit. Tom. III, pag. 245.

vt pro libidine omnia miscere, priuatamque suam rem possent augere, idque vnicē verebantur, ne si duci cum rege bene conueniret, hic illi potius, quam alteri, et pupilli filii et regni curam committeret. Atque reip̄a id apud aegrotantem, insanisque capit̄is cruciatibus afflictum *Colomannum* ingestis idemtidem accusationibus impetrauere demum, vt is, quo filio suo securam faceret a morte sua successionem, non *Almo* solummodo, verum etiam eius filio *Belae Dömössini* oculos effodi permiserit. Consimili poena tum affecti sunt viri nobilissimi, *Almi* ducis familiares; *Vrosius*, *Vatha*, et *Paulus*. Neque hic sttit nequissimorum hominum malitia: *Colomanno* enim vi morbi ad extrema iam deducto, ac vt in capit̄is conuulsionibus euenire solet, mentis suae non satis compote, id insuper effecere, vt nefario cuidam daretur negotium, *Belam* ducem luminibus iam orbatum euirandi, cuius facinoris sane quam atrocissimi, ac apud Hungaros ad eum diem inauditi, vt autorem aut cons̄eūm saltem credamus *Colomannum* regem, ab insigni mansuetudine tantopere commendatum, induci nequaquam possumus; malumusque barbaram hanc crudelitatem aulae ministris, aegrotante rege cuncta pro arbitrio agentibus, successorisque regis tuteiae inhiantibus tribuere. Ceterum Diuina prouidentia factum fuit, vt is, cui infame hoc munus commissum erat, innocentis pueri ducis commiseratione tactus, excisos catuli

testes ministris regiis attulerit, quibus mandata se exequutum demonstraret (a).

### §. XI.

#### *Colomanni regis obitus, et encomia.*

**H**aec inter morbo ingrauescente, cum Ottmarus comes proximam instare mortem videret, regem fidenter admonuit, ut ultima morientium sacramenta, ac speciatim SS. Eucharistiam susciperet. *Colomannus*, ut Christianum decebat principem, in sincerae poenitentiae signum ingemuit, ac paulo post expirauit (a) die III. Februarii, feria III.

A. 1114. Quodsi annos regni *Colomanni* regis numeremus a die obitus S. *Ladislai*, qui A. 1095. in XXIX. Iulii inciderat, recte chronica nostra confignarunt eum imperasse annos XVIII. menses VI. dies V. (c). Ex quo refelluntur omnes illi, qui *Colomanni* regis obitum ad posterius tempus defini-

1114

1095

(a) Haec pluribus, sed perturbato admodum ordine, narrata videri possunt in Chronicci cap. LXII.

(b) Chronicci cap. LXII. Comes Othmarus inspiciens emplastrum, vidit in eo cerebrum extractum, dixitque regi, domine expedit tibi, ut praepares te ad viaticum.

(c) Ibidem sub finein. Correctis annis regni XXV. ex chronicco Budensi in XVIII. cetera congruunt.

gunt (a). Primus omnium post D. Stephanum regem in Albensi basilica tumulatus est. Men-tem *Colomanno* regi excelsam, maximarum rerum et aggrediendarum, et exequendarum capacissimam fuisse, ea, quae egit, satis superque indicant. Cum monarchiam, tum hierar- chiam Hungaricam sapientissimis legibus, ac institutis ad meliorem ordinem, formaque reduxit: atque ita ecclesiasticis vna, atque profanis rebus ex aequo prospicere no- uerat, vt, etsi de iuribus summae Maiestatis ne minimum quidem a quoquam decerpi, minuiue fuerit, numquam tamen sacerdotium cum imperio eo rerum potiente collideretur: literis non ipse modo insigniter excul- tus erat, verum etiam omni conatu in id incubuit, vt ignorantiam longa annorum se- rie in Hungaria ciuitate donatam, cum ab omnibus, tum vero a sacro ordine profliga- ret; qua in re egregium adiutorem nactus fuit *Laurentium*, *Strigonensem* metropolitam, vt ex synodi sub eodem celebratae canonibus licet colligere (b). Praeter summati in Deum religionem, peculiari affectu ferebatur in DD. Stephanum, atque *Emericum*: quorum res gestas a *Cartbuitio* episcopo colligi, ac  
ad

(a) Breue chronicon Posoniense haec habet ad A. MCXVII. *Almus dux*; et *Bela filius eius obcaecan- tur*: et *Colomannus rex mortuus est*, et *filius eius Stephanus in regem eleuatur*, et *coronatur*: qui error chronologicus per se refellitur.

(b) Canones synodi huius vide apud laudatum toties el. Koller. Appendix II. pag. 382.

ad posteriorum memoriam conscribi procu-  
tauit. Maxime sub hoc rege factae sunt  
ad sacram Hungariae coronam accessiones.  
Croatiam, et Dalmatiam, ut vidimus, non  
tam vi armorum, quam ingenio, et pruden-  
tia subiecit: et quamquam turbas ciente-domi  
ni *Almo* duce, et ab *Henrico V. caesare*, et  
a *Bohemis*, et a *Polonis* bello appetitus erat;  
Hungariam tamen semper in pace conserua-  
uit, nec quidquam ditionum amisit. Ut de-  
nique verbo complectamur omnia, tanta fuit  
aevo illo de *Colomanini* regis virtute existi-  
matio, ut in domesticis instrumentis, et ex-  
teriorum, eorumdemque synchronorum scri-  
ptorum monumentis, passim *columbina* praed-  
itus mansuetudine; *piissimus, christianissimus*;  
atque *sanctissimus* rex audiatur: quae testimo-  
nia satis; superque conuellunt ea, quae po-  
sterioris aeui scriptores domestici de illius  
barbara crudelitate chronicis nostris assue-  
runt. Una igitur non tam *Almi* ducis toties  
perfidii, quam *Belae* eius filii: quem aetas  
ipsa tenera ab omni criminis suspicione ab-  
foluere debuit; excaecatio labem aspergere  
posset tam illustribus *Colomanni* laudibus:  
verum cum chronica nostra supplicium hoc  
postremis eius vitae diebus, cum acutissimis  
capitis cruciatibus laborabat; et quidem sce-  
leratissimorum hominum fraude, et artibus  
accidisse narrent, iure credere licet, mala  
haec ministros inscio rege perpetrasse. Fir-  
mat conjecturam nostram id; quod A. 1135. <sup>1135</sup>  
cum *Bela II. caecus* regnum tenebat, *Helena*  
regina eius coniux, eos, qui mariti sui ex-

eaecationis olim autores erant, in quæstionem vocatos, atque de crimine conuictos, suppicio affici curauerit (*a*). Quod quidem nec iure fieri poterat, neque *Helena* regina factura erat, si *Colomanni* regis voluntate, atque imperio *Belae* tum puero oculi fuissent effossi. Quodsi cui violenta nimium videtur haec a nobis adducta excusatio, id saltem dabit, non omnia, quae aguntur, semper summis imperantibus vitio dari, adscribique posse, qui cum ob negotiorum, curarumque magnitudinem vbiuis adesse, cunctaque per se ipsos cognoscere nequeant, illis, quos sibi gubernationis adiutores adsciscunt, fidem habere, eorumdemque consiliis, praesertim cum vrget periculum, morem gerere coguntur.

## §. XII.

*Colomanni coniuges, et liberi.*

Semel ac iterum coniugio illigatum fuisse *Colomannum*, domestici aequi, ac exteri scriptores testantur. Prima illi coniux fuit 1097 *Busilla*, *Rogerii* Siciliae comitis filia, A. 1097. exeunte vere *Bellogradum* deducta, solennique ritu postea *Colomanno* regi copulata (*b*): ex hac geminae solummodo proles ad maturam aetatem peruenere: *Stephanus* huius

(*a*) *Chronicon* cap. LXIV.

(*b*) Discimus id ex *Gaufredo Malaterra* Ord. S. Benedicti monacho, scriptore coenno lib. IV. cap. XXV. Apud Muratorium Tom. V.

nominis II. rex, et *Sophia* cuidam ex Hungariae dynastis nuptui data, quae *Saulem* in lucem edidit, de quo postea ad solium Hungaricum euehendo actum fuisse narrabimus. *Busilla* coniuge praematufo fato ei viuis erupta, vt plurium liberorum pater fieret *Colomannus*, duxit A. 1104. die XI. Augusti 1104 *Predslauam*, *Suatopolci* Kiouiensis Russiae duces filiam (a). Sed haec maleuolorum fortasse hominum, qui adolescentulae reginae apud regem gratiam, consiliis suis obfuturam aliquando metuebant, fraude, de adulterio accusata, vterum iam gerens, domum remissa fuit, ibidemque filium *Borich*, seu *Bartholomeum* nomine peperit: ac illa quidem adulterii crimen constanter negavit, *Borichium* que ex *Colomanno* se suscepisse asseverauit, quin etiam non pauci ex Hungaris eam ab infami eo crimine immunem existimabant (b). Sed et complures Europae principes *Borichium* legitimo thoro genitum, pro certo tenebant. Ipse adeo *Ioannes Comnenus*, Graecorum imperator, *Colomanni* affinis non dubi-

(a) Testis est *Nestor*, historiae Russicae pater, scriptor synchronus ad A. 1104. citatus apud cl. Cornides Genealog. Reg. Hung. pag. 75.

(b) Patet ex chronicis cap. LXIV. vbi narratur Hungaros quosdam euocasse in Hungariam *Borichium*, ut veniret, et eorum adiutorio regnum sibi vendicaret, credentes ipsum esse filium regis *Colomanni*, plurimi autem ex nobilibus in partem *Borichii* declinauerunt.

tavit, eidem cognatam suam A. 1132. coniugem dare (*a*), ex qua prognatus fuit filius, qui in aui memoriam, *Colomanni* nomen accepit. Atque hac natalium suorum fiducia fretus *Borichius* post *Stephani* II. regis mortem, regnum Hungariae armis sibi vendicare conatus fuit, vt suo loco dicturi sumus.

### §. XIII.

*Almi ducis liberi, fata, et mors.*

Locus ipse nos admonet, vt de *Almo* duce, *Lamperti* ducis ex *Synadene* Graeca, vt alibi iam non improbabiliter opinati sumus, filio, quidpiam isthic attingamus. Qua e domo coniugem habuerit, nullibi chronica nostra meminere. Anonymus *regum aliquot Daniae genealogiae* scriptor (*b*), incertum quo e fonte, tradit: *Ingelburgem*, *Ingonis* Suecorum regis ex *Helena* filiam nupsisse regi, vel potius duci *Hungarorum*, quae genuit *Belam* gloriosum regem eorum: quae cum *Almi* ducis aetati congruant, interea, dum certiora disceamus, sit haec *Ingelburges* *Almi* ducis coniux, ex qua ille sustulit *Belam* II. regem, in prima pueritia vna secum, in eunte anno 1114. oculis orbatum: qui vt post *Colomanni* regis mortem aulae ministrorum, regnique

1114

(*a*) Otto Frisingensis lib. VII. cap. XXI. apud Vrfti-  
sum Tom. I.

(*b*) Apud Ludevigen reliqu. MSS. Tom. IX. cit.  
a cl. Katona pag. 562.

curatorum fraudibus, ac ipsius etiam *Stephani* II. regis furori subduceretur, sub comitis *Othmari*, et Pauli praepositi Dömössensis cura clam educabatur, nonnisi tum, cum e regia stirpe Hungarica successor in regno quarebatur, in publicum productus. Filiarum *Almi* ducis altera *Adelbaid* Sobieslaum Bohemiae ducem; altera autem *Hedwigis* Adalbertum S. Leopoldi Austriae marchionis filium, maritos accepere (a). *Almus* porro post *Colomanni* obitum octennio fere apud ecclesiae Dömössensis canonicos priuatam egit vitam, subinde vero *Stephani* II. regis ferociam, et aulae affentatorum machinationes declinaturus, ad *Ioannem Comnenum* imperatorem, Priscae S. *Ladislai* filiae maritum, Constantinopolim se recepit: vbi mutato pro aulae Bizantinae consuetudine nomine *Constantinus* appellatus, eum, qui imperatorum cognatis tribui solet, honorem habuit ad obitum usque, qui in annum 1127. 1127 incidit. Eius corpus *Stephani* II. regis iussu, per *Fulbertum Colocensem* episcopum postea in Hungariam renectum, Albae-regiae in regum tumulo quietem, qua viuens caruit, inuenit (b). Decennio autem post *Bela* II. filius carissimi patris memoriam celebratis regio more exequiis renouatam, honoratamque voluit (c).

(a) Vide cl. Katona pag. 395. et 463.

(b) Chronicon cap. LXIII.

(c) Annal. Reg. Hung. Part. I. pag. 122.



# STEPHANVS III.

R E X X.

A. C. 1114.

## §. I.

*Stephano II. regnum adepto Dalmatia amitti-  
tur, rursumque recuperatur.*

Tertium supra decimum aetatis annum agebat *Stephanus*, cum ritu solito, diademate insignitus, patri suo in regno, sane quam florentissimo, atque amplissimo successit: exorrecta, viuidaque iam puer praeditus erat in dolo, (a) quam si aulae administri opportunitatis praeceptionibus tempestive moderari non vissent, et felicius imperaturus, et decessores reges rerum bello, paceque gestarum gloria superaturus erat. Regni sui principio totius fere Dalmatiae iacturam fecit. Audita enim *Colomanni* mortis fama, *Ordelaphus Faledicus*, dux Venetiarum, teneram pueri regis aetatem consiliis suis peropportunam

---

(a) *Chronicon cap. LXIII. Potentiores regni Stephanum Colomanni filium in regem coronauerunt: erat enim adhuc impubes, sed spiritus eius, immanibus eius.*

videns, copiosa cum classe, et exercitu Dalmatiam subiit, ac praeter hanc virium ostentationem, alio insuper artificio usus fuit: missis etenim ad ciuitates literis, ac nunciis, veteres singularum libertates, ac consuetudines, priuilegia item, ac prerogatiwas, quibus seu a Constantinopolitanis olim imperatoribus, seu a *Colomanno* Hungariae rege liberaliter exultae, exornataeque fuerant, integra, saluaque porro fore, interposita iurisurandi religione cauit. Hac ratione effectum est, ut aliae quidem ciuitates missis duci obuiam legatis, vltro in Venetorum fidem, societatemque concederint, aliae autem admota aliquantum per Venetos vi, integris adhus moenibus, ditionem fecerint. Ita Veneti non magno labore, *Iadra*, *Belligrada*, *Spalato*, *Tragurio*, *Sibenico*, ceterisque maritimis ciuitatibus sunt potiti. Neque mirum id cuiquam videri debet: Dalmatiae quippe vrbes Venetos, Vngarosque expertae dominos, magnum inter utrosque discrimen senserant. Nam cum Veneti liberum per omnes orientis portus commercium exercuerint, multa ibidem tenebant loca, promptuaris mercium suarum deseruitura: qua commercii opportunitate videbant Dalmatini se sub Hungariae regum dominio destitutos, minus sub iis, quam in Venetorum societate, lucri facturos. Ceterum *Ordelaphus*, Venetiarum dux, subactae Dalmatiae gloria non diu fruitus fuit, commisso enim cum Hungaris, ad prohibendam totius regni defectionem eo A. 1116. missis, praelio, victus occubuit. **1116**

Qua occasione etsi Hungari, quidquid terra oppugnari poterat, in Dalmatia recuperarint, in maritimis nihilominus ciuitatibus, ac portubus subiugandis, quod classe ad eum diem carebant, omnis eorum conatus sine fructu adhaesit. Quapropter cum Venetorum legati pacem petituri eodem anno in Hungariam venissent, *Stephanus II.* recuperandae Dalmatiae consiliis in opportunius tempus dilatis, quinquennales cum eis pepigit industrias (*a*). Quibus elapsis, Hungari sensim iterum maritimae Dalmatiae domini euasere, iisdem immunitatibus, quas *Colomannus* olim concesserat, rursus confirmatis. Tota itaque

**1124** Dalmatia iam subacta, *Stephanus II.* A. 1124. eo profectus, communis ciuitatum, populiisque omnium plausu, et gratulatione acceptus, quasi nouam eius regni possessionem postliminio adiit (*b*).

(*a*) *Dandulus lib. IX. cap. XI. Lucius lib. III. cap. IV et V. Farlatus Illyrici sacri Tom. I. pag. 225. cl. Katona Tom. III. a pag. 344.*

(*b*) *Chronicon Turotzii cap. LXIII. Anno autem IX. corige XI. regni sui intravit Dalmatiam, et a Dalmatiensibus honorifice est suscepitus.* Quod si tamen annus nonus rite consignatus est, is non a morte *Colomanni*, sed a *Stephani II.* coronatione, quae ob teneram illius aetatem differri potuit, numeratus fuit. Ceterum A. 1124. *Stephanum possedit Dalmatiam, testatur insuper diploma Tragurini, et Spalatensis eo anno datum, quo priuilegia eis olim a *Colomanno* patre concessa, innouat.* Et ego *Stephanus, Colomanni regis filius, rex Hungariae, Croatiae, atque Dalmatiae Anno Do-*

## §. II.

*Belli in Graecos suscep*ti* causae.*

**A**d Dalmatinas vrbes in officio continendas, Hungaris quam maxime necessaria erant foedera cum orientis imperatoribus. Cum enim nauium construendarum artem modumque aut ignorarent ad eum diem, aut certe negligenter curarent, si quando maritimae vrbes iugum excuterent, vel a Venetis oppugnarentur, vt non terra solum, verum mari etiam res vtiliter geri posset, Graecos classe Hungar is auxilio venire oportuit. Quapropter improuide a Stephano II. actum fuit, quod concordiam, atque amicitiam, quae Hungaros inter et Graecos dudum iam vigebat, abruperit, idque leuibus de causis, quas nos e domesticis aequae, ac Graecis scriptoribus excerptas adducemus. *Stephanus*, vt erat in iram vltra modum p<sup>r</sup>aeceps, paulo atrocius in suos, et inusitato supplicii genere saeuiebat (*a*). Quin etiam maleuolorum calumniis inductus, *Almum* ducem, hominem caecum,

*minicæ Incarnationis MCXXIV. indictione II. mensi fe Iulio, nono anno regni mei eandem libertatem et pacem &c. Apud Lucium lib. III. cap. IV.*

(*a*) *Chronicon* cap. LXIII. *Rex itaque Stephanus multa mala faciebat, quae non debebat, in impe<sup>r</sup>iu animi sui. Nam dominam Christinam, quo genere haec fuerit incertum, combussit, et super homines cocturas cum fiercore equino faciebat fieri, cereos magnos ardentes in fundamentum hominis stillare faciebat.*

ciendisque turbis minime idoneum, suspectum habere, insectarique cooperat. Ex atroci regis in se odio, tot iam fractus calamitatibus infelix dux, sibi quoque mortis supplicium imminentem putans, *Bela* filio Numinis prouidentiae in Hungaria relicto, fideique comitis *Othmari*, et *Pauli* Dömössiensis praepositi commisso, ipse circa A. 1126. clam fuga elapsus, Constantinopolim abiit, ut illic bona *Ioannis Comneni* imperatoris venia, residuos amarae vitae dies secure saltem, ac tranquille exigeret, a quo etiam summa cum humanitate susceptus, ac honorifice habitus fuit, (a) ad obitum usque, quem nos magna cum probabilitate ad A. 1127. defigimus (b). Singulari hac imperatoris in exulem *Alnum*

II26

---

(a) Idem ibidem. *Dux Almus* seueritate regis Stephani minoris, medium capitis sui diminutionem passus fuerat: quamuis fuerat obcaecatus, tamen mortem timens de rege Stephano, fugerat in Graeciam: qui ab imperatore honorifice susceptus, impostruit sibi nomen *Constantinus*. Consentit huic Cinnaeus scriptor Graecus lib I. Histor. Eapropter ad imperatorem configuit *Almus*, a quo et visus liberter, et benigne exceptus, quippe iam uxorem duxerat *Ioannes* imperator *Irenem Vladislai*, S. Ladislai, filiam, modestia singulari cum primis feminam, et virtutibus decoratam.

(b) Cum continuator Cosmae Pragensis decimo anno a morte Almi ducis, A. 1137. solennes Albae regiae exequias eidem a filio rege *Bela II.* caeco institutas fuisse affirmet, necesse est decennio prius, seu A. 1127. *Alnum* Bizantii obiisse. Vide Annal. Reg. Hung. Part. I pag. 122.

ducem humanitate prouocati non pauci ex nobilibus Hungaris, vt *Stephani* regis furorem declinarent, Constantinopolim pariter ad *Ioannem Comnenum* se recepere (*a*). Atque hac occasione, cum et dux *Almus*, et ceteri profugi ex Hungaris, de precipiti regis sui furore, et saeuitie amare conquesti fuissent coram imperatore, is, vt erat insigni clementia praeditus, crudelem illius cum *Almo*, et ceteris agendi rationem, vt a summi imperantis dignitate alienam, coram coniuge sua *Irene* imperatrice, pro merito improbavit, eo haud dubie consilio, vt illa suum ex fratre *Colomanno* nepotem de turpi eo vitio commonefaceret. Sed et imperatrici, insigni modestia, pietateque conspicuae, ea *Stephani* saeuendi rabies displicuit, atque idecirco suavi modo eundem per literas reprehendit, ac ad ea, quae de ipso Bizantii ferebantur, corrigenda excitauit, minime vero, vt chronica nostra factum hoc male detorquent, aut maritum suum imperatorem accusauit, aut *Stephanum* ad sumendum de eo vindictam turpiter concitare adnisa fuit (*b*),

(*a*) Chronicon cap. LXIII. *Et multi Hungari atrocitate regis Stephanifugerant ad ipsum, imperatorem.*

(*b*) Chronicon cap. cit. Interea imperatrix Constantinopolitana, filia regis Ladislai, nomine Pyrisk, Prisca, apud Graecos Irene dicta, nunciauit regi Stephano, quod imperator ipse, videlicet maritus suus in eius opprobrium ipsi regi improperaret, dicens regem Hungariae esse hominem sacrum, quam etiam contradicente imperator castigasset. Cum autem huc audiisset rex, pro nimia reputauit iniuria;

quod profecto et fidei coniugali, et eximiae illius pietati contrarium, nemo e Graecis scriptoribus commemorat. Inopinata ea imperatricis, amitae suae, reprehensio acerbissime pupugit praecipitem suapte in iram *Stephani* regis animum, et quoniam accusacionem hanc, finistramque de se apud Bizantinos famam potissimum ab *Almo* duce proficisci non dubitabat, eo vindictae studio abruptus fuit, vt missis Bizantium legatis, ab imperatore postulare non dubitauerit, vt *Almum* ducem, hominem luminibus orbatum, alienae opis quam maxime indigum, non modo ex aula, verum etiam ex omnibus imperii orientalis finibus eiiceret. *Ioannes Comnenus* indignum id maiestate sua ratus, vt in furentis *Stephani* gratiam, satis, superque infelicem principem ope sua destitueret, id se facturum aperte negauit. At, que hac repulsa vltra modum irritatus *Stephanus*, postquam contumeliosis nunciis imperatorem non vna vice lacefssiisset, neque minus indecora ab offenso illius animo responsa accepisset, bellum denique Graecis inferre decreuit (*a*); quod tamen ob expeditio-

1127 nem A. 1127. in Russos suscepit in annum sequentem differri necesse fuit.

(*a*) Unicam hanc belli causam fuisse, quod *Ioannes Comnenus* Almum honorifice habuerit, tradit Nicetas Choniates. *Huius*, inquit, *controversiae occultae*, et vera causa fuit, quod *Almuzen*, *Almum*, *Stephani Hunnorum principis fratrem*, ad se profugum, *imperator libentissime suscepere*at. Idem affir-

## §. III.

*Belli fortuna, et exitus.*

**E**tsi porro *Almus* dux, in quem potissimum odio ferebatur *Stephanus*, A. 1127. *Bizantii* 1127 obierat, vt tamen imperatori, qui eum viuentem protexerat, aegre faceret, a destinato bello minime abstinuit: quod vt iure se obmouisse ostenderet, aliam longe eidem causam praetexuit, quod nempe Hungari mercatores a Graecis militibus, qui ciuitati *Branizobae*, ad Sauum flumen sitae (a), praesidio impositi erant, hostilem in modum spoliarentur (b). Quapropter aestate A. 1128. 1128 traducto in Seruiam, Graecis obnoxiam, exercitu, Belgradum obsedit, atque etiam, quod a Graecis foederum fiducia fretis negligenter communitum erat, facili negotio expugnauit. Vrbs haec insuper solo aequata, murorumque, ac turrium lapides in Sirmien-

mat Cinnamus lib. cit *Rex Hungariae interim perceptis iis*, quae de fratre *Almo* ferebantur, per legatos imperatorum rogauit, vt finibus expelleretur Romanorum. Renuente, idque denegante Ioanne, transmisso Istro &c.

(a) *Branizoba*, aut *Branizoua* idem significat, ac *agger*, aut *propugnaculum* *Saci* fluminis: e cuius fortasse ruderibus surrexit eiusdem fluminis monumentum in meridionali ripa collocatum, quod *Zabach*, et *Szabacs* dicimus.

(b) Nicetas Choniates: *Id vero, inquit, praetexebatur*, quod *Branizobani* *Hunnorum* mercatores spoliarent, et pessime tractarent.

sem regionem sunt traducti, vt iisdem ciuitas Zeugminensis circumdaretur, firmissimeque aduersum Graecos communiretur (*a*). Neque hic hostilitas stitit; Seruia omnis, et pars Bulgariae ferro, et igne euastata fuit. Violata hunc in modum foedera, et iniurias imperii finibus illatas vlturus imperator, valido cum exercitu Bizantio digressus, accelerato itinere in Hungariam eodem anno tendit. *Stephanus* rex graui interea morbo correptus, Agriamque deportatus, cum expeditioni interesse nequiret. quemdam *Stepbel* nomine, sic Germani appellant *Stephanum*, Hungaricis vicaria cum potestate praefecit copiis, id ei dans in mandatis, vt peculiari vigilantia in id incumberet, ne Graeci, superato alicubi Istro, in Hungaricas irrumperent ditiones. Verum contra, ac putarat, res evenit: quo tempore enim imperator in Seruia cum parte copiarum subsistens, ex aduerso arcis *Chrami*, aut vt chronica nostra scribunt, *Harami* (*b*), Istrum se transiturum simulabat, pars altera Graecorum transmisso alibi eodem

(*a*) *Belgradum, ciuitatem fluvio adiacentem, expugnat Stephanus, dirutaque illa a fundamentis ipsis, lapides inde nauigio auexit, et ex iis urbem Zeugmen condidit iu Sirmio, quae exinde multis annis substitit.* Cinnamus lib. cit.

(*b*) *Chram, aut Haram illie tum fuerit, vbi hodie Vipalánka.* Erat enim aequa ad Carassonem annem situm, praeterea in aduersa Danubii ripa in Seruia, notatur in chartis geographicis *Ram, Rem* ex veteri *Chram* non improbabiliter deriuandum.

flumine, in *Tempam*, vel potius *Tempsam*, aut *Temesam* regionem illapsi, Hungaros ad *Chramum* prope *Carassonem* amnem (c) in imperatoris molimina intentos aborti, tantam edidere caedem, vt amnis ille ab eorum sanguine totus rubesceret (a). Memorabili hac victoria laetus imperator, quoniam hymens imminebat, valido militum praesidio ad Saui custodiam Branizobae imposito, Bizantium triumphans reuertit. Tristissima ea clades, multorumque illustrium Hungarorum sanguine foedata, tantum abest, vt Stephanus fregerit animum, vt potius ad instaurandum totis viribus bellum paulo vehementius accenderit. Ut primum igitur ex grauissimo, quo domi detinebatur, morbo conualuit, maximo e suis conscripto exercitu, copiosisque a Sobieslao, Bohemiae duce, auctus suppetiis, ipse suis auspiciis bellum A. 1129. administrandum suscepit (b). Initia illius prospera fuere. Sauum enim transgressus, aditam illi Branizobam ciuitatem armata manu expugnauit, praesidiariis Graecis partim caesis, partim in captiuitatem redactis, paucis

1129

(a) Carasto amnis hodie dum in Temesiensi banatum retinet nomen, unde suam comitatus ei adiacens traxit appellationem.

(b) Cladem hanc describit Chronicum cap. LXIII.

(c) Hoc reipsa anno bellum Hungaros inter, et Graecos ad Sauum flumen esse gestum, et complura Austriae chronica, et continuator Cosmae Pragensis affirmant apud el. Katona Hist. erit, Tom. III. pag. 439.

solummodo cum *Curtitio* loci praefecto fugā elapsis: prolatae deinde in Graecas ditiones populationes: quibus omnibus commotus imperator, rursus aduenit, nil tamē porro memorabile gessit, nisi quod Branizobam iterum in suam redegerit potestatem: imo vero cum ob ingrauescens autumni frigus copias domum reduceret, ab instantibus vndique Hungaris non leuem accepit cladem (*a*): Haec inter belli, nullo vtrinque commodo gesti, taedio affecti principes; *Ioannēs Comnenus* imperator, et rex *Stephanus* sancitis vtrinque induciis, quamdam Istri insulam ciuitati *Borouch*, aut *Borich* (*b*) proximam, habendo colloquio delegere. Hic postquam de iniuriis fibi mutuo illatis aliquamdiū conquēsti

(*a*) At ille, imperator, cum viribus longe *impar*, signa conferre cum hoste non auderet, urbe Branizoba, vtcumque communita, retrocessit, neue cum Hungarorum copiis congredi necesse haberet, per loca impedita, et praerupta iter instituit, vnde et mala scala ab incolis locus ille appellatur. Ibi in nouissimi agminis cohortes de improviso irruentes Hungari, cetera quidem nihil Romanis nocuerunt. Ita Cinnamus cladem excusat lib. cit. Hodie dum in Serbia *II.* milliaribus a Belgrado distans locus nomen habet *Mal Sello*, vt in recentissima Banatus Temesiensis charta signatur, idem forte cum *mala scala*, cuius Cinnamus merinit.

(*b*) Vbi olim ciuitas *Borouch*, *Boroch*, aut *Bororich* sita fuerit in Serbia, arduum est diuinare, nisi illuc quaerenda sit, vbi hodie vicus *Borecz* in ripa Istri circiter *X.* milliaribus supra *Otsouam* notatur in ciuitata charta Temesienisi:

ti fuissent, easdemque sibi inuicem condonassent, vetera inter vtramque gentem foederaz, atque inter principes amicitia renouata sunt (a). Concordiae tractationem faciliorrem reddiderit mors *Almi* ducis, biennio ab hinc Bizantii sublati: cuius vnius odio, bellum a *Stephano* coeptum, tot insanii sumtus profusi, totque fortium virorum millia vtrinque caesa fuere. Atque hac occasione factum fuerit, vt *Stephanus*, quo iniurias, quibus olim viuentem *Almum* ducem affecerat, aliqua ratione repararet, de mortui corpus sibi a *Ioanne Comnenio* reddi flagitarit, quod etiam per *Fulbertum*, Colocensem episcopum subinde allatum, Albae-regiae regum tumulo inferri curauit. Sed et illud admodum verisimile est, *Ioannem Comnenum Stephano* regi indicium fecisse, de superflite adhuc *Almi* filio *Bela*, id quod ille ex eius patre apud se exule intelligere poterat, atque tum iam autorem huic fuisse, vt, quoniam herede carebat, eundem aucto solio restitueret. Sed neque illud a vero alienum est eredere, eadem tempestate actum fuisse cum *Vrosio*, Seruiae dynasta, Tarnouiensi *Iupano*,

(a) Chironicon cap. LXIII. Post haec imperator, et rex per fidèles nuncios conuenerunt ad colloquendum, nauigantes in insulam, quae ciuitati Boronch, Boroch, proxima est. Ibi vero inter principes suos diu se excusantes, et incusantes, tandem pace robata, redierunt ad propria.

seu domiuo de filia eius *Helena*, *Belae* duci collocanda. Quae omnia ex eo firmantur, quod hoc eodem anno, *Bela* a rege in gratiam receptus, heres regni institutus, atque coniugio illigatus fuisse narretur.

#### §. IV.

*Bela caecus, Almi filius, successor in regno constituitur.*

A confecto bello Graeco, domum redux Stephanus nil antiquius habuit, quam vt *Belam* ducem suum in solio heredem constitueret: ad id porro accelerandum stimulos ei impri-  
mis addebat et heredis suscipiendi, et vitae longius producendae desperatio, neue re-  
gnum, successore nondum constituto, turbis domesticis, quae iam superiore anno se pro-  
dere cooperant, moriens obiiceret. Cum enim feruente bello Graeco, grauius, vt diximus,  
*Agriae* aegrotaret, vt exigua esset valetu-  
dinis recuperandae spes, pars procerum *Be-  
lam* ducem superstitem esse ignorans de *Sa-  
ule* quodam, regis ex *Sophia* forore nepote,  
ad solium euehendo agere cooperant, partem  
*Iuanus*, seu *Ioannes* palatinus comes sibi con-  
ciliauerat, neque paucos comes *Bors* ad fe-  
renda pro se suffragia pertraxerat: et quia  
factio quaelibet et numero, et viribus pol-  
lebat, atrocissimum domi incendium erupisset,  
nisi singulari Numinis prouidentia rex se se  
aliquantum a morbo collegisset. Itaque de  
iis, quae aegrotante se acta erant, edoctus,

*Ioannem* palatinum, de ambitu regni conuictum  
obtruncari iussit; comitem *Bors* in exilium  
relegauit in Graeciam; ea insuper lege lata;  
ne quis ex eius posteris vlo vnquam tempo-  
re ad aulae regiae ministeria assumeretur (*a*).  
His iustissimae seueritatis exemplis prius edi-  
tis suum postea de *Bela* duce consilium regni  
primoribus patefecit. Princeps hic a morte  
*Colomanni* regis clam in coenobio quodam  
educabatur tamdiu; dum *Stephanus* rex ado-  
lescentiam ingressus, atque a curatorum, mi-  
nistrorumque aulae manibus liber, ipse iam  
rempublicam moderari coepit: quo tempore  
cum *Almum* inter, ac regem sincera aliquam-  
diu vigeret amicitia, *Bela* e tenebris in lu-  
cem eductus, patri suo Dömössini agenti ad  
tempus redditus fuit. At postquam assenta-  
torum crimen, sublata iterum concordia  
*Stephanus* *Almo* iniquior esse coepit, hicque  
Bizantium profugit, *Othmarus* comes, er *Pau-  
lus* praepositus Dömössensis *Belam* Pétsua-  
radiensibus Benedictinis custodiendum, alen-  
dumque commisere. Hic ille triennium fe-  
re, quam paucissimis rei consciis, exegit,  
monachorum eius loci liberalitate, victu,  
amicu, ceterisque rebus necessariis affatim  
exultus (*b*): qua temporis intercapedine,

(*a*) Chronicon cap LXII

(*b*) Certum id sit ex fragmento diplomatis *Geisae*  
H. regis A. 158. Pétsuaradiensi coenobio dati  
aptid cl. Katona Tom. III pag. 442.

cum in Hungaria videri desisiisset, plerique aut a patre in Graeciam abductum, aut etiam mortuum credidere. Quapropter cum A.

- 1129** 1129. eumdem a *Stephano* sincera voluntate perquiri cernerent praepositus Dömössiensis *Paulus*, et comes *Othmarus*, nil iam periculi subesse conspicati, infastum ad eum diem principem, sanum, atque incolumem regi, atque regni primoribus exhibuere: vix dictu est, quam sincera omnium laetitia, et gratulatio inopinatam hanc scenam consecuta fit. Videbant omnes, mira Numinis dispositione eumdem e tot periculis, ac maleuolorum insidiis ereptum, atque seruatum, solium illud occupaturum, a quo vt excluderetur, tot machinis, et fraudibus olim actum fuit, manifesto indicio, *non esse consilium contra Dominum*. Rex ipse eorum, quae ab aulae ministris antea seductus in *Almum*, Belamque molitus erat, poenitentia ductus, nulla interposita mora eumdem regni heredem, successoremque proclamauit, quin etiam, vt, si aliquamdiu superstes foret, futurae posteritatis solarium ocyus intueretur, mox legatos in Seruiam misit ad *Vrosium*, Tarnouensem iupanum, qui eius filiam *Helena*, vt ante iam conuentum erat, *Belae* duci coniugem adducerent: quae postquam solenni ritu eidem in manus conuenit, nouis coniugibus regia arx Tolnensis ad habitandum data, redditusque amplissimi regia prorsus munificencia eisdem assignati sunt. Connubium hoc superis placuisse, euentus docuit. *Helena*
- 1130** enim A. 1130. auspicato partu, *Geisam* fi-

lium enixa, regem, gentemque vniuersam singulari gaudio, et laetitia cumulauit (a).

### §. V.

*Stephanus regnum in Belam transfert, ac improlis obit.*

Herede, successoreque constituto, valetudo regis in dies deterior fieri coepit, lenta nempe febri consumebatur, quam ex promiscua libidine, iam inde a prima adolescencia exercita, contraxerat (b). Connuebant principio regis cupiditati aulae administrī, ut, voluptatibus intento principe, cuncta ipsi pro arbitrio agerent: verum regni primores et regni orbitatem, et cetera damna inde oritura animo pensantes, regem adiere, grauibusque rationum momentis id effecere, ut ad nuptias demum applicuerit animum, verum, quae, aut qua e domo orta eius coniux fuerit, pro certo definiri nequit. Chronica nostra eam ex Apulia accersunt, Roberto Guifredo ge-

(a) Gauisus est gaudio magno, Stephanus viso Bela due, quia absque dubio sciebat se heredem non habere, statimque misit nuncios in Seruiam, et filiam Vros comitis magni in legitimam uxorem Belae traduxerunt, quae non post multos dies. procreauit Geycham: quo andiro: rex gauisus est valde. Disposuerat eum rex viuere in Tulna, Tolna, et dabantur ei regalia stipendia. Chron. cap. LXIII.

(b) Chronicorum cap. LXIII. Rex autem Stephanus, legitimam nolebat ducere uxorem, sed concubinis mereetricibus iunctus erat.

nitam (a). Sed etsi hunc filias V. procreasse constet, nullam tamen earum *Stephani* regis vxorem esse potuisse exploratum est (b). Alii *Adelhaidem* Henrici landgrauii de Stephiling, comitis de Rietenburg, et Richardis Austriae filiam eidem vxorem tribuunt (c: quibus etiam, dum certiora discamus, interea assentimur. Quia inquam quaecumque demum *Stephani* vxor fuerit, nullam is ex ea suscepit sobolem, seu quod attenuatis, exhaustisque iam iuuenili intemperantia viribus, coniugium inierit, seu quod afflita continua fere vteretur valetudine. In grauescente itaque vehementius morbo, cum se curis, laboribusque regni causa tolerandis imparem sentiret, atque una rerum negotiorumque omnium taedio afficeretur,

**A. 1131. IV. Calendas Maii, id est XXVIII. Aprilis, feria III. post dominicam in Albis Belam regem inaugurarri curauit (d), re-**

(a) *Quare barones, et optimates dolentes de regni defolations, et regis sterilitate, duxerunt ei uxorem, dominam nobilissimam, filiam regis Roberti, Viceardi de Apulia.* Chronicorum cap. LXIII

(b) Cl. Schier in reginis Hungariae pag. 95.

(c) Idem ibidem pag. 100. et cl. Katona Tom. III. a pag. 385.

(d) Chronicum Budense: *Et mortuo ipso, rege Stephano, coronatur Bela, IV. Calendas Maii feria III quae A. 1131. rite congruunt.* Errat tamen, quod coronationem post obitum *Stephani* factam referat, unde corrigendum ex chronicis Turotzii, qui disterte habet Stephanum se regno ante mortem abdicasse.

gnoque abdicato, monachalem indutus vestem, priuatam deinceps egit vitam (*a*) ad mortem usque, quam ad diem III. Iulii eiusdem anni collocamus: postquam ab obitu Colomanni regis annos XVII. menses V. in regno exegit (*b*). Sepultus Varadini pone ossa aui sui S. Ladislai.

## S. VI.

*Virtutes, et vitia regis Stephani.*

**E**x iis, quae compendio recensuimus, facile quisque intelliget, quibus virtutibus inclaruerit Stephanus, quibus ex aduerso virtiis nomen suum obscurauerit. Mente illi excelsam, animumque intrepidum fuisse complura bella fortiter gesta probant; in quibus una bellicam artem se pro eius aetatis more egregie calluisse ostendit. Suos non tam clementia, quam severitate in officio continuit. Quemadmodum in iram vindictamque facile pronus, ita una implacabilis fuit,

(*a*) *Sed cum esset in articulo mortis, monachalem habitum relicto regno suscepit.* Chronicorum cap. LXIII.

(*b*) Chronicorum Budense ita habet: *Anno regni sui XVIII. et mensibus V.* Id est anni octaui decimi mensibus quinque expletis: id quod nobiscum consentit. Si enim a die III. Februarii A. 1114. quo demortuo parenti suo Colomanno successit Stephanus, annos regni numerare incipias die III. Iulii A. 1131. anni septemdecim, et menses quinque euoluti sunt,

quod vel odium illud, quo *Altum* in Graecia exulem prosecutus erat, satis superque indicat. In reis plectendis modum excessisse videri potest, quos inusitatis plane suppliciis prius tortos, neci dabat. Non leuem item nomini suo notam inussit foeda cum pellicibus consuetudine, qua mature attritis in adolescentia viribus, morbisque contractis, mortem sibi aetatis anno tricesimo consciuit. Aliud quoque verene, an secus chronica nostra vitio dant *Stephano* regi, quod nimio, atque prae Hungaris ipsis in Cumanos ferre-

**A. 1123** tur amore. Gens haec A. 1123. a *Ioanne Comneno* orientis imperatore irreparabilem in Bulgaria cladem acceperat (*a*), quapropter pars eorum Hungaris vicinior, obtenta prius

**A. 1124** a *Stephano* rege facultate, A. 1124. cum coniugibus, liberis, facultatibusque suis, ductore *Tatár* dicto in Hungariam immigravit, fertilissimamque regalem terram ultra Tisicum, orientem versus sitam insedit, quae hodieum *Cumania maior* audit. Ut nouis colonis ad libenter apud se manendum, Christianamque religionem amplectendam animos adderet *Stephanus*, non modo cum duce eorum *Tatáro*, verum etiam promiscue cum reliquis, posita maiestate regia, pene ad priuati hominis modum, familiaritatatem co-  
luit; hac animati Cumani gentiles adhuc,

(*a*) Belli huius cum Cumaniis, qui tum Patzinatae, ac Seythae audiebant, gesti historiam legé apud Nicetam Choniatem, et Cinnamum.

nullisque domi suae legibus assueti, in vicinis Hungarorum ditionibus rapinas agere; ac, si quis res suas aut tueri, aut ablatas repetere auderet, trucidare in more habuere. De his et si non raro regi accusarentur, numquam tamen, ut oportebat, fuere coerciti, ut adeo iniuriae hae Hungaris ad ultimam usque regis aegritudinem, Belaeque coronationem ferendae, dissimulanda eque fuerint. Tum enim vero Hungari sumta audacia, Cumanos eos, qui sibi ante damna intulerant, neci dedere. Quod cum dux *Tatár*, primoresque gentis in extremis iam agenti *Stephano* retulissent, bono animo eos esse iusserit, pollicitus fide regia, si coequaluisse, cuiusvis Cumani caedem, decem Hungarorum supplicio vindicatum iri (a). At enim vindictae huic locus amplius non fuit; rex quippe monastico sub habitu, sincero una animo acta poenitentia, expiatis superioris vitae erratis, ad fatalem ex hac vita transitum comparatus, haud diu post e Cumanorum non minus, quam Hungarorum confortio, ut iam diximus, ereptus fuit,




---

(a) Vide chronicon cap. LXII. Si sanitati, inquit, restitutus fuero, pro uno quoque, quem ex vobis interfecerunt, decem interficiam.

**BELA III. CAECVS.**

R E X XI.

A. C. 1131.

§. I.

*Quid negotii Belae cum Borichio.*

1131 Stephano II. sub initium mensis Iulii A. 1131. e viuis sublato, non adeo tranquillae domi res erant. Illi imprimis, qui dolis, fraudibusque suis olim ducem *Almum* vna cum filio *Bela* perditum ibant, sceleris conscientia animum remordente, impendentem sibi vindictam reformidantes, modum omnem circumspicie bant, quo *Belam* e folio, *Stephani* potissimum regis voluntate occupato, praecipitem agerent: neque eis seu opportunitas, seu spes etiam id, quod intendebant, exequendi defuit: multi quippe ex Hungaris pro certo tenebant *Predslauam* reginam, *Colomanni* regis coniugem, maleuolorum artibus in adulterii suspicionem adductam, innocentem prorsus thoro, regnoque exactam fuisse, ac idcirco natum ex ea *Borichium* legitimum *Colomanni* esse filium, cui proinde post *Stephani* II. regis obitum prae *Bela* caeco regnum deberetur. *Borichius* de multorum Hungarorum in se studiis certus, postquam *Stephanum* II. obiisse intellexit, Constantino.

polim profectus est, vt *Irenem* imperatricem, *Colomanii*, quemadmodum ipse arbitrabatur, patris sui sororem, ac per eam *Ioannem Comnenum* imperatorem sibi propitium redderet, quem si partium suarum patronum nancisceretur, nil iam de extorquenda Hungariae corona ambigebat: verum et si coniugem imperatoriae domui cognatam obtinuerit, imperare tamen non potuit, vt *Ioannes Comnenus* rupto, quod A. 1129. cum Hungaris inierat, foedere, quidquam ei auxiliorum aduersus *Belam* regem addiceret. Domum itaque re infecta redux sanguine sibi iunctis Russorum ducibus, et *Boleslao III.* Poloniae duce in belli societatem pertractis A. 1132. infestis signis Hungariam ingressus, in Scepusiensi regione confedit, sperans fore, vt Hungari audito aduentu suo, desertis *Belae* partibus, certatim ad se confluerent: quorum accessione auctus, debellatis residuis, nullo negotio regno potiretur. Rex *Bela*, cognito *Borichii* apparatu, copias collegit, ac in antistitum, procerumque sibi fidelium comitatu progressus, ad Saionem fluuium castra metatus est. Hic antequam belli aduersum aemulum rationem iniaret, optimates regni bona fide ad se euocauit, ac, quid de *Borichii* natalibus sentirent, iussit edicere: quo hac methodo singulorum erga se animos exploraret. Pars potior ex adulterio suscepitum, nil in coronam Hungariae iuris habere propalam pronunciant: alii, rege in conuentu praesente, *Borichio* aperte fauere non ausi, id solum reponebant, dubium admis-

1129
1132

dum esse de *Predslauae* reginae adulterio, quod id numquam euidenter probatum fuisset, nil itaque de *Borichii* illegitimitate certo posse constituī: nec defuere, qui metu omni deposito, eum legitimo thoro ex *Colomanno* genitum, atque ideo illi solium deberi iactarent, quo sic vicino iam, atque Saioni fluvio appropinquare hoste regi *Belae* timorem incuterent (*a*). Detectis hac ratione coniuratis, satellites signo dato irruerunt, non nullosque ex *Borichiana* factionis patronis ante omnium ora, oculoque trucidauerunt; verum, quia medio in campo conuentus celebratus fuit, quamplurimi magni nominis primores fuga elapsi ad *Borichii* castra transiere. His actis, placuit communī regni ordinum nomine legatos ad *Boleslaum* Poloniae, ceterosque Russiae dūces mittere, qui referrent, *Borichium* ab omnibus ut illegitimum reiici, *Belam* ex aduerso communib⁹ gentis totius suffragiis ad solium electum, pro vero, legitimoque rege, ac domino et haberi, et porro habitum iri; desinerent igitur hominis adulterini iniquas, nulloque iure nixas partes porro sustentare. Qua de-nuntiatione audita, et *Boleslaus* Poloniae, et

(*a*) Hoc in numero fuit comes *Samson*, qui proprius ad Belam regem accedens, his eum verbis assari non est veritus: *Quid facis vilissime canis cum regno? viilius es⁹ dominio tuo, Borichium regnum habere, et tu viuas in monasterio tuo, Dōmōsieafi, sicut vixit pater tuus.* *Chronicon cap. LXIV.*

reliqui Russiae duces, fortasse quod minoribus, quam ut *Bela* rex debellari posset, viribus instructi erant, signum receptui dedere, (a) anno futuro maiore apparatu bellum instauraturi. *Borichius* pariter, digressis foederatis, nil cum exigua suorum manu utiliter ab se tentari posse videns, in Poloniā se recepit. Anno itaque insequente 1133. 1133 bellum iterum recruduit (b). *Borichius* enim, incertum quibus pactis, atque promissis, eo rem suam adduxit, ut *Boleslaus* Polonus, Russique duces maiore quam ante apparatu eidem opem tulerint. *Bela* pariter propriis diffisus viribus *Albertum* Austriae marchionem, affinem suum, a bellica virtute celebratum in auxilium euocauerat: iunctis itaque et animis, et viribus, die XXII. Iulii commisso praelio multis Polonorum, et coniuratorum Hungarorum caesis, et captis, *Borichius* e regni finibus exactus fuit (c). Etsi

(a) His auditis duces Russiae, et Poloniae destituerunt amplius adiuuare Borichium et reuersi sunt singuli in suas prouincias. Idem ibidem.

(b) Bellum eum Borichio anno 1132. minime terminatum, atque anno insequente continuatum fuisse, eruditus ostendit cl. Katona pag. 471, et sequ.

(c) Huc pertinent ea, quae chronicon narrat cap. LXIV. *Borich* autem cum multitudine populorum venit pugnare contra regem, rex autem diuino fretrus consilio, et auxilio contrivit omne robur Borichii, in praelio, et fugauit illum in gladio, conclusque exercitum Polonorum in morte, in ipsa festiuitate Mariae Magdalena accipiens spolia eorum, et reuersus est cum magna victoria.

autem illustri eo die victoria potitus sit *Bela*, quia tamen verebatur, ne *Boleslaus* Polonus clade hac irritatus, partes *Borichii* rursum tuendas susciperet, sibiique porro etiam negotium facesseret, *Petrum Albensem* prae-  
**1134** positum in Germaniam A. 1134. ad *Lothari-*  
*um* caesarem misit orans, ut is autoritate sua  
 interposita, Polonum a *Borichio* abstraheret:  
 ad quod impetrandum cum et magni pretii  
 munera caefari obtulisset, et *Sobieslaus* Bo-  
 hemiae dux intercessor accessisset, effecit de-  
 inum *Lotbarius*, vt *Boleslaus* Poloniae dux  
 deserto penitus *Borichio*, intimam cum *Bela*  
 Hungariae rege amicitiam iniuierit, omnique  
 deinceps eumdem metu liberauerit (*a*).

## §. II.

*Caecitatis Belae regis autores severè puniun-  
 tur.*

*Borichio* aemulo feliciter profligato, et *Bo-  
 leslao* Poloniae duce nouo foedere concilia-  
 to, cum coniurati, exterorum auxilio desti-  
 tuti, minime iam timendi viderentur, *Hele-  
 na* regina aliquid audendum rata, quam du-  
 dum animo conceperat, vindictam de mari-  
 ti sui excaecationis autoribus sumere de-  
 creuit: ex quo non immerito arguas, multa

(*a*) Continuator Cosmae Pragensis ad A. 1134. Otto  
 Frisingensis lib. VII. cap. XIX. Cl. Katona pag.  
 485. et sequ.

olim *Colomanno*, cum insano capit is cruciatu, ex quo demum obiit, torqueretur, aut ignaro, aut mentis non satis compote, a maleuolis per vim, ac fraudem acta fuisse; utque nil iam de *Almo* duce, qui crimine aliquo supplicium promereri poterat, dicamus; illud pro certo haberri potest, *Colomanum* nequaquam imperasse, vt sceleris omnis expers puer *Bela* lumen amittat, et, quod multo adhuc atrocius est, euiretur: haec itaque omnia ministrorum, ac aulicorum, qui *Altum* ducem tota cum stirpe sublatum volueret, conspiratione euenisse, e fide dignis, grauibusque viris edocta regina *Helena*, marito autor fuit, vt comitia regni Aradinum indicaret: factum id est A. 1135(a). Quo 1135 cum incredibilis omnium ordinum frequentia confluxisset, *Helena* regina adductis secum, quos ad id tempus luci dederat, quatuor filiis: *Geisa* videlicet, *Ladislao*, *Stephano*, atque *Almo*, pone regem confedit, iucundissimoque hoc spectaculo captis praesentium oculis atque animis, sermonem ad conuentum habuit: quo cum plerosque ad regis luminibus orbati commiserationem commouisset, calamitatis huius causas proferri,

(a) Chronicon nostrum conuentum hunc sub initium regni Belae regis refert, at cum eius matrimonium ante exitum anni 1129. minime coaluerit, quatuor autem filiorum nativitas, totidem saltem annos requirat, conuentus iste Aradinensis ante annum 1135. haberri non potuit.

atrocissimique facinoris reos propalam indicari flagitauit, vt promerita illis irrogari possint supplicia. Ut loqui regina desit, exorto tumultu, manus in quosdam regni barones, nobilesque, de quorum in *Alnum* ducem, eiusdemque filium *Belam* odiis, et machinationibus propalam constabat, iniiciuntur: alii ex his sine mora trucidati, alii in vincula coniecti, postquam de criminis conuicti sunt, durante adhuc Aradinensi conuentu, vario mortis genere vitam amisere. Octo supra sexaginta, qui regi olim malum consciuerant, hac tempestate scelus suum expiarunt, omnisque illorum posteritas perpetua infamia est notata. Ut autem *Bela* rex omnem auaritiae suspicionem a se amoliretur, amplissima interemperorum bona nec fisco addici, nec clientibus suis donari voluit, verum omnia inter cathedrales regni ecclesias diuisit (a).

### §. III.

#### *Belae II. regis encomia, et vitia.*

Post vindicatum, quod obliteratum iam videbatur, admissum olim in se crimen, perpetua

(a) Haec vberius legi possunt in chronicō cap. LXIV. in quod omnia Belae II. gesta, sed perturbato rerum, et temporum ordine sunt coniecta, vt recte obseruatum est a cl. Katona Histor. crit. Tom. II. pag. 500.

petua deinceps cum foris, tum domi pace  
vſus Bela, regnum recte sapientorque mo-  
deratus fuit, nec quidquam ditionum Hunga-  
ricarum amisit, quas etiam Bosniae, seu Ra-  
mae regno, cuius titulis vſus fuit, auxit;  
qua in re fidam sane, p̄aeclaramque adiutri-  
cem habuit Helenam reginam, excelsi profe-  
cto animi matronam. Verum ea exeunte an-  
no 1139. fatis funeta, vt caecitatis, atque 1139  
viduitatis cumprimis taedia leuaret, paulo  
largius vino ad ebrietatem vſque vti coepit:  
atque de hoc tempore verosimilia sunt ea,  
quae chronicon nostrum narrat: aulicos sci-  
licet regi vino madenti libellos supplices,  
aut preces exhibere solitos, cuncta, quae pe-  
tebant, impetrare consueuisse: quae etiam,  
postquam crapulam exhalauerat, rata habe-  
bat, ne, si retractaret, ebrium se fuisse fa-  
teri cogeretur. Atque hac ratione aulici  
maximas opes sunt adepti: multis tamen haec  
regis temulentia irreparabili damno fuit: spe-  
ciatim geminis viris, et illustribus, et vir-  
tute conspicuis Sauli, ac Poch, quorum cum  
neci imprudens, suique impos ab aulicis in-  
ductus subscripſisset, illi nihilominus mortem  
oppetiere (a). Patris sui Almi memoriam, de-  
cennio post obitum Constantinoli mortem,  
solennibus exequiis exeunte mense Septembri  
A. 1137. prosecutus fuit, quibus etiam fo- 1137  
ror eius Adelhaid, Sobieslai Bohemiae ducis con-

(a) Chronicon cap. LXIV.

iux, intererat (*a*). Serius ea pietas instituta fuerit propterea ; quod magnificentius mau-  
folaeum regio fumtu curatum, tunc primum ad apicem adductum, perfectumque fuerit , cui *Almi* ducis corpus, quod olim in basili-  
cam eamdem iussu *Stephani* regis repositum , pluribus annis sine peculiari honore quieue-  
rat , ea occasione illatum fuit. *Belae* II. re-  
gis memoriam tuetur hodiedum praepositura  
Dömössiensis , quam ab *Almo* patre coeptam  
ipse absoluit , regioque diplomate roborauit :  
(*b*) Collegiata item ad id tempus ecclesia Ni-  
triensis, per eundem ad cathedralem digni-  
tatem euecta fuit, *Nicolao* loci praeposito,  
primo illius episcopo constituto (*c*).

#### §. IV.

*Belae caeci regis coniux, liberi, et obitus.*

Coniux *Belae* II. regis fuit *Helena*, Vrosii  
II 39 Seruiae iupani filia, A. 1139. antequam fi-  
lia *Sophia* Admontem abduceretur , demor-  
tua (*d*), ex qua sex numero proles natae sunt :

(*a*) Discimus id ex continuatore Cosmae Pragensis ad  
A. 1137. Vide cl. Katona Tom. III. pag. 514.

(*b*) Diploma foundationis Dömössiensis A. 1138. da-  
tum edidit cl. Schmitt in episopis Agriensis Tom.  
I. pag. 63.

(*c*) Cl. Pray Hierarchiae Part. I. pag. 363.

(*d*) Recte id obseruat cl. Schier in reginis Hunga-  
riae pag. 108.

I. *Geisa* II. rex, qui patrem in folio exceptit. II. dux *Ladislaus*, cui patrimonii titulo *Boznensis* ducatus, seu Rama assignata fuit (a). III. *Stephanus* dux, ut nobis videtur, Sirmiensi regione donatus, hanc enim spe regni recuperandi postea deiectus, ut patrimonii sui partem, a nepote suo *Stephano* III. rege repetebat. IV. *Almus* dux in infantia mortuus. Filiarum natu maior *Sophia* A. 1138. (b) *Henrico*, *Conradi* III. imperatoris filio sponsa, ac, quod per aetatem nondum coniugio erat idonea, in Admontense virginum sacrarum coenobium A. 1139. abducta, post sponsi sui Henrici mortem A. 1150. ibidem se se Deo consecravit (c). Altera *Gertrudis* nomine, a *Geisa* II. fratre suo *Miecisla* Poloniae duci matrimonio collocata fuit. Obiit porro *Bela* II. rex idibus Februarii feria V. seu decimatertia eiusdem mensis, A. 1141.

(a) Fidei instrumentum sine anno, et die a cl. Bernardo Pez vulgatum in codice diplom. Tom. VI. Col. 355. ubi haec sub initium leguntur: *Natum sit omnibus - - - quod rex Bela inclitus, in conuentu Strigonienſi, ubi filio suo Ladizlao communione regni consilio Boznensem ducatum dedit &c.* Apud cl. Katona Tom. III. pag. 503.

(b) Autor incertus chronicus Austriaci apud cl. Pez col. 557. ad A. 1138. *Filia regis Vngarorum Belae, desparsata est filio regis Romanorum.*

(c) Sponsionis nuptialis historiam lege in vita S. Otttonis episcopi Bainbergensis apud Bollandistas Tom. I mensis Iulii, Vide cl. Katona Tom. HI. pag. 531. et 602.

exactis ab inauguratione sua in regno annis IX. mensibus VI. et diebus XII. (a). Albae-regiae in basilica B. V. Mariae sepultus (b).

---

## G E I S A II.

R E X XII.

A. C. 1141.

§. I.

*Geisae II. regis inauguratio.*

Tertio ab obitu Belae II. regis die, XIV. calendas Martii, seu XVI. Februarii, in quem 1141 dominica I. quadragesimae eo anno 1141. inciderat, Geisa duodecimum agens annum inauguratus fuit. (c). Ea fortasse de causa in-

(a) Haec ad fidem chronicorum cap. LXIV. qui calendarus ad annos suos congruit, nisi quod a die 28. Aprilis A. 1131. quo Bela II. coronatus fuit, anni quidem IX. et menses VI. dies tamen XV. reapse effluxerint, sed nempe scriptor chronicorum residuos tres Aprilis dies a coronatione negligendos, calculumque a calendis Maii inchoandum putauit.

(b) Cetera regis huius gesta videri possunt apud e. Katona Tom. III.

(c) Chronicum Budense. *Coronatus est IV.* corrigere XIV. *Cal. Martii in dominica Invocavit, transversis duobus diebus post mortem patris.*

augurationis solennia accelerare placuit, ne si in longius differentur, *Borichius* valida factio pro se concitata, res nouas moliri, obicemque *Geisae* posset ponere. Hac eadem occasione optime memores regni ordinnes, quoties fere plures regii sanguinis principes vna vixerunt, toties dissidia eos inter non sine totius monarchiae damno regnasse, prouidam sane *Belae* regis de reliquis duobus filiis *Ladislao*, et *Stephano* dueibus dispositionem constabiliuere; ac illi quidem ducatus Boznensis, huic autem Sirmiensis ditio, cum redditibus omnibus pleno iure patrimonii titulo, fuere tradita. Datus insuper utriusque tutor *Belus* auunculus, reginae *Heleneae* frater, qui non modo bona administraret, verum etiam ducis utriusque cum in moribus, tum in literis institutioni praeesset. At enim hoc ille munere non ita, ut reipublicae Hungaricae salus, atque tranquillitas exposcebat, defunctus fuit: uimio quippe, in *Stephanum* praesertim, abreptus affectu, cum intempestiuam illius arrogantiam opportunis praceptionibus corrigere debuerat, ultra modum conniuendo in omnibus, ac principem non ad solium, sed ad priuatae, summoque imperanti subordinatae vitae conditionem destinatum, honorificentius, quam par erat, habendo, tantam concipere sicut ambitionem, ut is *Geisae* fratris maiestatem aspernari, ac ad solium etiam eidem eripendum aspirare subinde non dubitauerit: ut adeo tota depravati *Stephani* ducis animi cul-

pa praeposterae *Beli* auunculi institutioni attributa fuerit (a).

## §. II.

### *Belli Austriaci occasio.*

**T**riennio integro quieto esse licuit *Geisae*,  
**1145** verum A. 1145. bellum inde, vnde dudum  
 timebatur, erupit. *Borichius*, id quod viuo  
*Bela* II. rege infeliciter tentarat, mox ab  
 eius morte repetere aggressus, vicinorum  
*Hungariae* principum aulas omnes, auxilio-  
 rum causa percursans, multis demum preci-  
 bus, muneribus, atque promissis *Henricum*  
*Austriae* marchionem, tum *Vladislauum* Bo-  
 hemum *Adelhaidis* Hungarae, quae *Belae* II.  
 regis soror fuit, filium ad opem sibi contra  
*Geisam* regem ferendam pertraxit: quin ipsum  
 etiam *Conradum* imperatorem, cuius filio  
*Henrico* *Sophiam* *Geisae* sororem desponsam  
 narrauimus, multo aere oblato, causae suae

(a) Huc facit versus Guntheri Ligurini Lib. VI. *Huic Geisae satis in teneris adolescens strenuus annis, frater erat Stephanus, quem rex ad culmina regni, aspirare dolo Bela, Belo, suafore ferebat. Idem discimus ex Radeuico apud Muratorium Tom. VI. lib. I. cap. XII. De rebus gestis Friderici: Atque in ea re, in ambitu regni, auunculum amborum Belum, virum valde prudentem, et ad innouandas res idoneum, suafore babere putabatur Stephanus dux, pro eo quod honorificentius habitu adolescenti per studia colendi, assentandi, ferociae visus est nutrimenta suggestere.*

conciliauit (*a*). Omnes hi, quod mirere, amicitiae, affinitatis, aut etiam sanguinis nexu *Geisae* regi coniuncti fuere, adeo nempe nulla mortales inter tam firma sunt vincula, quae non avaritia, priuatique lucri cupiditate labefactari dissoluique valeant. *Geisa* rex e foederatis *Borichii* omnibus maxime sibi metuendam videns *Conradi* caesaris potentiam, ut huius vires distraheret, *Guelfonem*, *Henrici* Bauariae ducis fratrem, virum bellicosum ad se in Hungariam accersiuit, atque ita cum eodem transegit, ut is collecto in Germania milite, Bauariam, Sueviam, totamque circum Rhenum regionem infestam redderet, sieque *Conradum* ad res suas tuendas domi retineret, eum in finem *Guelfoni* addicta fuere stipendia, annis singulis, quamdiu bellum duraret, ex Hungaria transmitenda. Atque his pactis cum *Guelfo* regi Hungariae strenue morem gessisset, *Conradus* caesar ne vires suas diminueret, auxilia, quae *Borichio* antea pollicitus fuerat, denegare postea coactus fuit (*b*). Hac parte suppetiis destitutus *Borichius* minime despontanimum, fretus quorumdam Hungarorum in se fauore, apud quos ob tot illustres viros, cognatos, affines, amicosque suos olim a *Bela II.* rege Aradini, ut diximus A. 1135. suppicio **1135**

(*a*) *Chronicon Admontense* ad A. 1145. apud cl. Pez Tom. II. Otto Frisingensis lib. VII. cap. XXXIV.

(*b*) *Arenpeckius Tom. III.* pag. 665. apud Leibnitzium.

affectos et parentis memoria, et filii nomen exosa fuere. Quare cum *Henricus Austriae marchio*, bello cum Ratisponensi episcopo occupatus, pariter tempori adesse non posset, *Borichius* morae impatiens, conductis aere proprio in Austria copiis, *Ratibaldo*, aliter *Rapoltho* duce in Hungariam penetrauit, castrumque Posoniense, astu deluso loci comite, atque praefecto *Iuliano* occupauit: quod tamen rex *Geisa* adducto, quem in promptu habebat, exercitu, arctissima sine mora ciuitate obsidione, eoque Germanos praefidiarios a *Borichio* impositos adegit, ut illi desperatis suppeditiis, arcem eamdem, accepto ter mille librarum argenti pretio, Hungaris restituerint (*a*).

### §. III.

#### *Memorabiliis Geisae regis de Austriacis victoria.*

**E**t si *Henricus Austriae marchio* tum, cum *Borichius* bellum Hungariae intulit, domo, ut dictum est, aberat, quia tamen eius permisso ille militem in ditionibus Austriacis conduxerat, multique ducis aulae ministri, provinciaeque primores *Borichii* castra secuti erant, *Geisa* rex antiqua foedera hunc in modum violata, sibi vindicanda putauit; hibernis eapropter mensibus exercitui colli-

(*a*) Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici I. Imp. lib. I. cap. XXX. Chronicon cap. LXV.

gendo impensis vere A. 1146. cum LXX. 1146  
 millibus armatorum Austriae ad Leitham flu-  
 men limitibus appropinquauit. Hinc prius-  
 quam in hostem moueret, in vicina castris  
 lignea aede sacra, inter antistitum, ex ritu  
 ecclesiae, benedictiones, gladio accinctus,  
 atque in militum numerum relatus, supremum  
 in copias imperium adiit. Exinde Leitham  
 fluvium transgressus, Austriae se se infudit.  
*Henricus* marchio suae, suorumque virtuti  
 confisus, non satis explorato hostis robore,  
 acieique structura, fessos ex itinere Hunga-  
 ros ingenti cum clamore, atque tumultu ag-  
 gressus, principio loco mouerat; verum ab  
 accurate regis auunculo *Belo* instaurata pu-  
 gna, ingenti cum caede profligatus est.  
 Hungari fugientibus ad Fischam usque amnem  
 instantes, maiorem in fuga, quam in praelio,  
 edidere stragem, VII. mille, multique ex  
 prouinciae primoribus eo die periisse ferun-  
 tur, dux ipse puluerum nube Hungarorum  
 conspectui ereptus, aegre Viennam peruenit.  
 Captiuorum numerum auxit idem ille *Rati-  
 boldus*, qui anno superiore Posonium dolo  
 occupauerat (a). Fructus tam illuistris victo-  
 riae optatissimus fuit redditus Hungariae tran-  
 quillitas. *Henricus* enim minime deinceps  
 prouocandas in se putauit Hungarorum iras,  
*Borichiique* et foederi, et amicitiae num-  
 cium misit. *Borichius* pariter non multo

(a) Chronicon cap. LXV. Otto Frisingensis lib. I. cap.  
 XXXII. de rebus gestis Friderici I. Imp.

post omnem omnino auxiliorum aduersus *Geisam* a Germaniae principibus obtainendorum spem depositus. Nam cum *Conradus* imperator assumta cruce A. 1147. immensa cum hominum multitudine per Hungariam iter haberet, dubitari profecto nequit, eum tunc de non adiuando amplius *Borichio* fidem *Geisae* regi dedisse: verum caro id stetit Hungaris. Caesar enim tantam eapropter pecuniae sumimam sibi numerari voluit, vt ad eamdem quantocyus conflandam, postquam aerarium publicum exhaustum fuit, omnia omnino monasteria, et ipsae adeo ecclesiae aes suum omne conferre cogerentur (a). Neque *Geisae* regi tergiuersari integrum fuit, quod innumerabilem illam cruciatorum tempestatem, quam *Conradus* secum ducebat, pertimesceret, neque ignoraret, *Borichium* in *Ludouici VII.* Galliae regis, qui mox consequbatur, comitatu latere: ac hunc quidem, cum per

(a) Chronicon cap. LXVI. enormem hanc Conradi exactionem ita describit: *Circa etiam eadem tempora Conradus caesar iter fecit Hierosolymam per Hungariam: Hungariae vero non peregrinus Christi apparuit, sed potius iram tyranni, et praedonis exercuit. Nam petitionis simulatione inuenta, simulans nempe se Borichium adiuuare, ac damna per Guelfonem sibi ex instigatione regis Geisae illata, vindicare velle: pro aditu, fors abitu, a regno Hungariae pecuniam non modicam extorsit, ita ut nulla ecclesia, siue monasterium totius Hungariæ remaneret, de quo pecunia non extraheretur et peregrinanti caesari prætimore, Borichii, non offerretur.*

Hungariam transiret, omni humanitatis officio excultum orabat, vt capitalem hostem suum sibi vincatum traderet: at cum *Ludouicus* infelicem hominem asylum apud se quarentem sine crimine, et maiestatis regiae laetione prodi non posse respondisset, *Geisa* quidem nil porro obmouit (a), at *Börichius* in orientem ad *Flauium* Manuelem Comnenum imperatorem delatus, sine villa deinceps Hungariae obtinendae spe in Graecia vixit, dum denique A. 1155. in praelio occubuit.

1155

## §. IV.

*Belli Graeci causae, et exitus.*

**E**nnumera illa cruciatorum in Palaestinam A. 1147. proficiscentium agmina, rebus omnibus ad victum necessariis in Hungaria absumptis, tantam toti regno famem inuexere, vt hyeme insequente multa mortalium millia inedia sint enecta: (b) quapropter id egit *Geisa*, vt et *Conradus* imperator, et ceteri cruce signatorum principes biennio post in Europam reuertentes, non per Hungariam, sed per Adriaticum mare iter facerent. Interrea cum se a fame aliquantum collegisset Hungaria, *Geisa* difficile cum Graecis bello se se imprudens inuoluit. *Bacchinius*, Seruiae

1147

(a) Odo de Diogilo scriptor coaenus praefens tum in castris Gallorum. lib. II. Chronicon cap. LXVI.

(b) Chronicon cap. LXV.

iupanus , seu dominus , orientalis imperii cliens , quo inuisorum sibi dominorum iugum facilius excuteret , a Geisa rege , sibi fortasse per Helenam matrem sanguine iuncto , auxilia impetraverat . *Manuel Comnenus* imperator , *Ioannis Comneni* , et *Irenes* , seu *Priscae Hungaræ* filius , qui A. 1143 . Bizantinum solium concenderat , ad rebellem edomandum copias in Seruiam , quam *Cinnamus Graecus* scriptor

**1143** passim Dalmatiam appellat A. 1151 . transtulit , Bacchinumque tota pene ditione exutum , nullo negotio ad obsequium reduxit . Verum

**1151** anno insequente 1152 . *Geisam* quoque ob praebita rebelli auxilia , violatumque foedus castigaturus rediit . Quodsi maximos vtriusque principis ad bellum apparatus , eiusdemque diuturnitatem spectes , nil fere memorabile actum fuit . *Manuel* imperator satis habuit Sirmium , vicinasque Danubii littoribus plagas euastasse ; *Geisa* vero viribus suis diffusus , euitato semper decretorio certamine , id solum prohibere conatus fuit , ne Graeci in regni interiora penetrarent . Verum cum videret *Geisa Manuel* et copiarum numero , et ducum variis iam bellis exercitorum praestantia , et neruo denique multum sibi antire , atque idcirco finistros belli exitus pertimesceret , ad pacem serio demum aspirare coepit , ad quam accelerandam illud etiam accessit , quod germanus eius frater dux *Stephanus* , ruptis fraterni nexus vinculis , bello durante , cum delecta suorum manu ad Grae-

cos transferit (a). Itaque A. 1156. mora 1156 omni abrupta, *Manueli* maximo cum appara-  
tu aduersus Hungariam iterum venienti, le-  
gatos obuiam misit, qui pacem peterent,  
Hungarumque regem omnia, quae imperator  
iussisset, facturum pollicerentur. Legatione  
hac placatus imperator faciem se īe praebuit;  
si modo captiui variis praeliis intercepti, et  
praeda omnis integra fide sine litro restitu-  
rentur, ac insuper tot equi Hungarici illi  
submitterentur, quot Graecis toto eo bello  
perierant: quod cum cauisset *Geisa*, vtrinque  
a bello discessum fuit (b). Pax haec dura  
profecto fuit Hungaris. Nam vt tot millium  
Hungarorum bello caesorum iacturam, tot  
item sumtus nullo fructu profusos praetere-  
amus, captiuos, et spolia omnia hosti sine  
litro reddere, tot item millia equorum sine  
pretio in Graeciam propellere, iactura fane  
Hungaris non facile reparabilis fuit.

## §. V.

*Geisam inter, ac fratres duces discordiae.*

Illud profecto *Geisae* regi, et Hungaris to-  
to bello Graecanico acerbissimum accidit,  
quod *Stephanus* dux fuga cum delectis suo-  
rum elapsus, in *Manuelis* imperatoris castris

(a) Cinnamus Histor. lib. III.

(b) Belli huius historiam, a domesticis scriptoribus  
praetermissam, legere est apud Graecos. Cina-  
mum lib. III histor. et Nicetam Choniatem.

aduersus patriam militauerit. Prima discordiae omnis origo ex praeposta illius institutione repetenda est. Cum enim *Belus* auunculus iusto plus eius cupiditatibus indulget, intolerandam ambitionem adulando, honorificeque puerum adhuc habendo souet potius, quam reprimit, creuit in dies arrogantia, usque adeo, ut forte sua non contentus, nonnisi de regio diademate cogitaret, atque fratri *Geisae* sui studiosissimo praeesse mallet, quam subesse; *Geisa* ex aduerso nil benevolentiae, nil amoris, ac fiduciae in fratres praetermittebat, quo eorumdem animos arctius sibi adstringeret. Hinc ultra, quam pater *Bela* II. moriens constituerat, adolescentibus iam, ne de se iuste queri possent

**1150** A. 1150. aut tertiam Hungariae partem ducatus titulo, aut certe redditus huic commensuratos addixit, unde pro ducum Hungariae dignitate liberalius, splendidiusque possent viuere (*a*). Quin etiam in maiestatis regiae communionem adlectos, tanto in honore et habuit ipse, et a suis haberri voluit, ut illi dignitate prope pares, solo nomine a rege distinguerentur. Verum haec ipsa et facultatum, et honorum accessio noua *Stephani* ducis ambitioni fomenta praebuit. Coronam enim fratri tam in se benefico per

(*a*) Innuit hoc chronicon cap. LXVI. Post haec autem rex *Geisa* dedit ducales expensas fratribus suis *Ladislao*, et *Stephano*, duxitque exercitum in Russiam super *Lodomerium* ducem.

summam ingratitudinem eripere certus, clam primum per homines perfidiae suae consciens, et incentores primorum captare animos, clientes sibi parare, follicitare ad defectionem, atque seditionem denique domi commouere. Non ita occulte haec agi poterant, vt *Geisam* laterent: quo tempore et si ingratum, laesaeque maiestatis reum fratrem atrocioribus poenis plectere poterat; quo tamen iustitiae vna, atque clementiae documentum ederet, hacque ratione aberrantem ad resipiscendum adduceret, nil grauius in eum constituit, quam quod tenerum illum, quo in eum ante ferriconfueverat, amorem, atque fiduciam ab eodem abstraxerit, cautiusque deinceps sibi tamquam cum domestico hoste agendum putauerit (*a*). Credibile quoque est hac occasione, *Stephano* duci ab omni regni administratione remoto, reddituum quoque aliquid, ne illis in pernicem patriae abuti posset, fuisse ablatum. Mitissimam hanc grauiter ab se offensi fratri animaduersiōnē atrocissimae instar iniuriae accepit *Stephanus*, cumque domi tranquille viuere, ac prouum ad parcendum *Geisae* animum placare poterat, priora crimina nouo perfidiae scelere cumulauit. Ut enim liberiorem vindictae cam-

(*a*) Huc spectant Ligurini verba lib. VI. *At postquam durum patuit scelus, illud amice non potuisse pari, nec tunc quoque saeuius accum, aut grauius quidquam, quam quod iam fraude reperta, causus, Geisa, ab infido se substraxisset amico.*

pum nancisceretur, tum plane, cum Hungari difficulti cum Graecis bello premerentur, magna seditionis manu collecta ad Manuelem transfugere, atque cum hostibus aduersus fratrem, et patriam arma expedire non erubuit, verum euentu plane improspero.

**1155** Cum enim A. 1155. *Basilio* Graecarum copiarum duce sibi coniuncto, *Geisae* regis exercitum incredibili cum impetu, ac fiducia victoriae aggressus fuisset, seditionis Hungaris, quos ipse ductabat, prope omnibus caesis, victus, profligatusque, Graecos quoque in fugam traxit (*a*). Clade hac accisas *Stephani* spes penitus affixit pax anno insequente *Manuelem* inter, atque *Geisam* confecta, in qua nulla illius ratione habita, sua solum commoda spectauit imperator. Atque hanc *Stephani* ad hostes defectionem tantopere execrati sunt regni ordines, vt eum velut perduellem, patriaeque hostem e regni finibus proscriptum, perpetuo exilio, et infamia notauerint. Lege hac apud Hungaros lata, cum redditum sibi in patriam interclusum cerneret *Stephanus*, ac *Manuelem* quoque votis suis minime fauentem experiretur, seu sponte sua, seu aulae Bizantinae ministrorum

---

(*a*) *Magna utrinque facta est caedes, donec Hungari, qui cum Stephano Geisae fratre Romanis militabant, primi fugam cepere: mutata demum, atque ab altera, Geisae scilicet, parte facta insecutione, Hungari, qui cum Stephano erant, fere omnes, ex Romanis vero multi cedidere.* Cinnamus histor. lib. III.

rum hortatu, in Germaniam A. 1157. se  
transfulit, atque *Friderici I. Barbarossa* au-  
xilium implorauit: ac de hoc quidem obti-  
nendo spem non modicam concipere poterat,  
quod *Fridericus* dudum iam animo voluebat,  
qua ratione Hungariam, sibi, imperioque  
Germanico subditam tributariamque redderet,  
belloque eapropter *Geisam* iam A. 1153. **1153**  
appetiuisset, nisi imperii Romani principes  
ab eo dissensissent, belloque aperte iniusto  
auxilia se datus negauissent *a)*. *Fridericus*  
auditis *Stephani* querelis, priusquam aliquid  
constitueret, querelarum, et accusationum  
capita *Geisae* regi communicanda censuit.  
*Geis* recte factorum conscientia tutus, sine  
mora ad initium A. 1158. *Geruasium*, Iauri-  
nensem episcopum, et *Henricum* curialem co-  
mitem, oratores Ratisponam ad caesarem re-  
misit, per quos *Stephani* fratriis accusationes  
omnes neruose diluit, enumeratisque crimi-  
nibus ab eo patratis, et iniuriis sibi illatis,  
iure illum demum e regno proscriptum fuisse

(a) Testatur id Otto Frisingensis lib II. cap. VI. *Ibi*,  
Ratisponae inquit, princeps *Fridericus* eo quod omni-  
bus in proprii imperii finibus, ad eius voluntatem  
compositis, virtutem animi, quam intus gerebat,  
extra fieri disponeret, *Vngaris* bellum indicere,  
ipsosque ad monarchiae Germanicae, apicem redu-  
cere volebat; sed cum assensum super hoc principum  
quibusdam de causis latentibus, habere non posset,  
ad effectum tunc perducere ea, quae voluebat men-  
te, non valens, ad opportuniora tempora distulit.

ostendit (a). Quia vero Geisa rex Friderici imperatoris auaritiam, cupiditatemque optimam habebat perspectam, quo causae suae omni ex parte iustissimae eumdem fauentem redderet, mille circiter auri talenta illi dono misit (b); quibus fortasse paulo plus; quam rationum pondere permotus, Stephano duci omnem patrocinii aduersus Geisam regem obtinendi spem ademit: illud nihilominus vicissim a Geisa postulauit, ut oblitteratis vtrinque iniuriis, Stephanum domum redire pa-

(a) Clariora haec fiunt ex Geisae regis responsi per legatos expositis apud Radeuicum de gestis Friderici I. imp. lib. I. cap. XII. Commemorabat autem praeter iniurias, et alia peccata plurima in se admissa, regni consortio secum illum participassa, solo nomine scilicet illo priorem runtum fuisse, quamdiu germanitatis iura inter se iniulata mansissent. Deinde prauorum consilia securum, quae ad pessima studia lubricam in adolescenti aetatem impellebant: ita factum quemadmodum in corpore, ubi semper, dum aliqua pars tumescit, suaque corruptione totum corpus debilitat, et inficit, ex quo cureri desperatur, rescindi oportere: bellum vero inferentem, postquam superatus sit, queri, quod iniuriam facere nequivisser. Fugam ipsum simulasse: in regno manere licuisse: donec odia omnium, et iniurias adeo contra se firmauerit, ut velut crudelem hostem, ex regni insulatorem pellendum arbitrarentur, antequam facinoribus suis illud cruentari, ac dilacerari conrigisset.

(b) Legatos quoque regis, Hungariae, acceptis ab eis munieribus, ferme ad mille talenta, simulque eos sua liberalitate honoratos ad principem suum cum pacis legatione remeare concessit. Idem ibidem.

teretur, pristinamque cum eo concordiam renouaret (*a*). Neque ab hoc abhorruit *Geisa*; verum *Stephanus*, vt erat ambitione, atque arrogantia tumens, patriam repetere, et cum offenso fratre in gratiam redire turpe, atque indecorum sibi fore existimans, *Fridericum* orauit, ac etiam impetravit, vt se potius *Constantinopolim* abire fineret (*b*). Eo igitur per *Venetias* profectus, non modo beneuole, et honorifice a *Manuele* acceptus fuit, verum etiam coniugem obtinuit *Mariam*, eiusdem ex fratre *Iaacio Comneno* neptem (*c*); quin tamen quidquam deinceps, quoad *Geisa* rex vixit, aduersus patriam sit molitus. Haec inter dissidia domestica, *Ladislaus* dux in sum-

(*a*) *Annales Augstburgenses apud Menckenium Tom. I.* pacis *Geisam* inter, et *Stephanum*, opera *Friedrici* tum compositae, diserte inveniuntur. *Anno 1158. imperator octava Epiphaniarum denuo comitia, maxima principum frequentia Regensburgi celebrare coepit: ubi postquam Geisam Hungariae regem cum fratre Stephano reconciliaisset, Ladislaum Bohemiae ducem regem creauit.* Apud cl. Katona Tom. III. pag. 681.

(*b*) *Radeuicus loc. cit. Itaque rogatus ab adolescenti, Stephano, per Venetias illum transmisit in Graeciam.*

(*c*) *Nicetas Choniates lib. IV. Stephanus Constantinopolim profectus, et a Manuele imperatore humeriter suscepitus, praeter alia plurima beneficia, etiam Mariam uxorem accepit, Item Cinnamus lib. V. Et Stephanus quidem ex fratre neptem duxit Mariam, Isaacii Sebastocratoris filiam, virginem formissimam: alter vero Ladislaus cuelebs permanxit.*

ma pace, atque concordia apud Geisam visuebat, omnibus amoris, atque honoris officiis ab eodem cumulatus. Is, non quod aliqua domi affectus iniuria esset, sed rerum secundarum, quibus fratrem Bizantii apud Manuelem affluere acceperat, fama inductus, 1160 animique causa, conscio Geisa circa A. 1160. pariter Constantinopolim concessit. Hunc quoque Manuel summo in honore habuit, quin etiam, quam vellet ex Augusta domo, coniugem ducendam obtulit: quod tamen ille constanter deprecatus est: verebatur scilicet, ne sponsae amoribus irretitus, a constituto in Hungariam reditu prohiberetur, offensoque eapropter Geisa fratre, et benevolentiae illius, et commodorum, atque honorum iacturam pateretur (*a*). Verum cum aulae Bizantinae maiestate, ac splendo-

(*a*) Iuuat totam narrationem ex Niceta Choniate huc transferre. *Paulo post alter quoque frater Bladistlabus, Ladislaus, Stephanum imitatus, ad Manuelem se consulit, non tam quod a fratre, Geisa rege, minus, quam par esset, amaretur, aut insidias timeret, quam fama rerum secundarum fratris Stephanii impulsus.* Neque vero spe sua frustratus est, aut aliter ab imperatore suscepturn, quam genus eius decebat, sed omnia ex sententia confecit, ac uxorem quam vellet, vel ex imperatoria stirpe ducere ei licuisset, verum coniugio abstinuit, ne illius blonditiis irretitus, neglecto in patriam redire, rebus suis minus consuleret. *Annal. lib. IV.* Hinc corrigendus Cinnainus, qui *Ladislaum eodem cum Stephano tempore, iisque ex causis ex Hungaria in Graeciam fugisse communisicitur. Histor. lib. V.*

re detentus, iusto diutius in Graecia com-moratur, anno inseque[n]te Geisam regem prae-maturo fato exstinctum amisit. Haec paulo diffusius explicanda videbantur, vt ex eis et perfidiae Stephani ducis magnitudo, et Geisae regis virtus eo clarius elucesceret: da-mnaque vna intelligerentur, quae ex regiae domus discordiis in vniuersam rem publicam propagata sunt.

## §. VI.

*Geisae regis obitus, et laudes.*

**H**as inter vicissitudines Geisa exactis in re-gno annis XX. mensibus III. et diebus XV. praematro fato, aetatis anno tricesimo se-cundo excessit e vita, pridie calendas Iunii A. 1161. (a). Corpus Albae-regiae consue-to regum tumulo illatum fuit. Amisit in Geis-a rege Hungaria pium, fortem, felicemque principem, qui prouinciarum sibi a decesso-re Bela II. rege relictarum fines, ac cum-primis Dalmatiam ad obitum usque in fide, et imperio suo conseruavit. Hungarorum ani-mos prudentia, aequitate, atque clementia ita sibi adstringere nouerat, vt tentata sae-pius per Stephanum fratrem seditio, num-quam radices agere potuerit. Ut Hungariae nondum satis ab incolis habitatae frequentiam

1161

---

(a) Chronicon cap. LXVI. quae omnia ad annus in congruant.

procuraret, nouas Saxonum colonias partim  
in Hungariam, partim in Transsiluaniam A.  
1143. deduxit (*a*), per quos elegantiora vtro-  
bique oppida condi coepere. Horum nume-  
**1149** rum circa A. 1149. auxere non tam Saxones,  
quam Flandri, aliique Teutonici populi, qui  
e cruciata expeditione, auspiciis *Conradi* im-  
peratoris peracta reduces, vacuas cultoribus  
**1155** regales terras in Transsiluania infondere. Ex  
his conscripti fuere milites illi, qui A. 1155.  
egregiam Hungaros contra *Manuelem* impe-  
ratorem nauarant operam (*b*). Celebriori-  
bus *Geisae* regis institutis adnumerari potest  
illud, quod Colocensem ecclesiam egestate  
prefsam cum metropolitana sede Batsiensi  
vnione perpetua circa A. 1149. copulauerit.  
Quantum e diplomatibus hactenus in lucem  
prolatis eruere licet, primus vnitis canon-  
ice ecclesiis praefuit *Miko*, seu *Michael*, e pra-  
posito Budensi ad archiepiscopatum pro-

(*a*) Ita habet inscriptio templi Coronensis, seu Brasso-  
viensis in Transsiluania. A. 1143. *Geisa II. annus*  
*Andreas regis, Saxones euocauit in Transsiluaniam.*  
Huc item facit priuilegium ab Andrea II. Saxon-  
ibus Transsiluanis A. 1224. datum, quod illustra-  
tum edidit immortalis memoriae vir Ioannes Sze-  
gedi in libello, cui titulus: *Andreas II. Saxonum*  
*in Transsiluania libertatis assertor.* Taurini 1751.

(*b*) Saxonum eo bello militantium meminit Cinnamus histor. lib. III. Flandrenses autem Geisa II.  
imperante in Transsiluaniam venisse patet ex literis  
Gregorii apostolicae sedis legati, apud Pray. dissert.  
VII. pag. 165. Consule cl. Katona Tom III. ad A.  
1143. a pag. 552.

motus (*a*). Baronius non leuem notam *Geisae* regis nomini aspergit, cum eumdem *Victori* antipapae, aduersus legitimum pontificem *Alexandrum III.* aliquamdiu adhaesisse putauit, quod tamen falsum esse cum ex *Belae III.* regis literis (*b*), tum vero ex aliis eius aetatis monumentis demonstratur (*c*).

### §. VII.

#### *Geisae coniux, et liberi.*

**V**t Russiae duces, ab aemuli sui *Borichii* partibus abstractos, sibi arctius coniungeret *Geisa*, coniugem accepit *Euprosinam*, *Minoslai* Russorum ducis filiam, quae affinitas id reapse ei commodi peperit, vt *Borichio* nil deinceps in Russia esset praefidii. Ex hac itaque coniuge nati sunt. I. *Stephanus III.* rex. II. *Bela III.* rex. III. *Arpadus* dux, quem exteri etiam *Guitardum* appellant. IV. denique *Geisa* dux (*d*). De primis duobus nullum esse

(*a*) Cl. Pray. in Hierarchia Part. II. Vide item cl. Katona pag. 596.

(*b*) Has legem apud Ill. Kollar. Histor. Diplom. iuris patroa. lib. II. et in Annal. Reg. Hung. Tom. I. pag. 171. ad A. 1179.

(*c*) Argumentum hoc erudite, ac copiose pertractat cl. Katona histor. crit. Tom. III. a pag. 713.

(*d*) Chronicon Croaticum MS. apud cl. Schier in reginis Hung. pag. 116. ad A. 1161. haec habet: *I mel je cheriré Szine: Steffana, Bela, Arpade et Geisa.*

potest dubium, residuos autem adhuc Belae III. regis aetate superstites, turbis occasio-  
nem dedisse, fide digna monumenta probant  
(a). Filiorum primogenitum Stephanum re-  
gni heredem esse voluit Geisa; Belae autem  
duci Sirmium, et Sclauoniam patrimonii no-  
mine moriens reliquit, ceteros, quod in pri-  
ma adhuc erant infantia, matris Euprosinae  
curae, et successoris regis munificentiae com-  
misit. Filiarum prima Helena A. 1174. Leo-  
poldo Austriae marchioni nupsit. Elisabetha,  
Fridericum Bohemiae ducem, huius autem  
fratrem Suatoplucum Hulicba maritos obti-  
puere.




---

(a) Arpadi, seu Guitardi, et Geisae ducum, regis Geisae II filiorum, meminit Albericus monachus apud cl. Schier pag. 142. Chronicon breve Posoniense apud cl. Koller in appendice ad histor. episcop. Quinque-eccles. Chronographus Siloenensis apud cl. Dobner monument. Tom. II. pag. 89. Arnoldus Lubecensis ad A. 1189. apud Leibnitzium. Consule item cl. Katona Tomo IV. pag. 224. Quamquam gemini hi principes Arpadus, et Geisa sine postestate obiere.

# STEPHANVS III.

REX XIII.

A. C. 1161.

§. I.

*Stephani III. successioni totis viribus obfistit  
Manuel imperator.*

Mortuo Geisa II. proceres regni, quibus Stephani ducis ambitio optime perspecta fuit, vehementer solliciti, ne is audita regis morte in spem solii Hungarici erectus, Manuelem imperatorem affinitate sibi iam coniunctum eo induceret, ut ad inuadendam Hungariam, coronamque extorquendam auxilio effet, accelerandam putauere Stephani III. inaugurationem. Itaque mox die mortem consequente, calendis Iunii A. 1161. peracta fuit (a). Venerum hac etiam arte id, quod metuebant, minime prohibere poterant. Ut primum enim Manuel simul Geisae II. mortem, simul Stephani III. eius filii inaugurationem accepit: quae dudum iam animo agitabat, exequi con-

---

(a) Eruitur id ex anno obitus Stephani III. et tempore, quo Hungris imperasse traditur. Chronici cap. LXVII. et LXVIII.

stituit. Iuuat arcana eius consilia paucis hic describere. Cum supra decessores suos ambitione, et gloriae cupiditate tumeret *Manuel*, orientalis imperii amplitudine non contentus, in occidentem quoque fines suos proferre cogitabat; primam igitur ad ictum destinabat Hungariam, medio inter duo imperia situ positam (*a*), quam ut eo facilius pedetentim subiugaret, Graeco prius imperio fiduciariam tributariamque reddere intendebat. Istud porro non sine gloriae suae accessione, nullo negotio perfici posse videbatur, si *Stephanum* ducem Hungarum regem imponeret: neque enim dubitare poterat, hominem et affinitatem sibi iunctum, et beneficio suo regiam dignitatem asseditum, cuncta, quae ab eo exigerentur, quam cumulatissime praestitum (*b*). His apud animum suum rite constitutis, *Manuel* plurimum ad felicem negotii exitum in

(*a*) Testatur id Cinnamus histor. lib. V. *Hungariam*, inquit, *medio occidentalium nationum positam*, *sibi comparare totis viribus satagebat*. Quae deinceps de Stephani III. Ladislai II. et Stephani IV. rebus narraturi sumus, e Cinnamo, et Niceta scriptoribus Graecis petemus: nil enim fere de his Chronica nostra meminere.

(*b*) Nicetas Annal. lib. IV. *At imperator eo casu, morte Geisae regis, delectatus, initaque ratione, si Hunnorum Satrapia ad Stephanum affinem suum transferret, primum id sibi gloriae fore: deinde Romano imperio forsitan aliquid tributi accessurum; Zeugmino certe, et Fracnochorio, seu Sirmensi regione, circa controversiam potiturum, rei conficiens* *dac intendit animum.*

celeritate positum existimans, eadem aestate A. 1161. festinatis itineribus, valido cum 1161 exercitu *Sardicam*, quam hodie *Sophiam* dicimus, contendit; interea vero *Stephanum* ducem cum legatis in Hungariam praemisit, cum mandatis, ut largitionibus, promissis, minis, ac omni denique ratione apud Hungaros id agerent, ut *Stephano III. Geisae* filio exautorato, dux *Stephanus* eius patruus rex inauguraretur. Quo autem arcana consilia sua specioso aliquo aequitatis velo conTEGERET, id praetexebat: apud Hungaros vsu, ac consuetudine olim receptum fuisse, ut demortuo regi non filius, sed, si quis superstes foret, frater in regno succederet: quod quidem imperite admodum iactabatur; sed neque paucorum, puta: *Belae I. Geisae I. et S. Ladislai* exempla succedendi ius, regum fratribus prae filiis, afferere poterant; contra quam sub *Almo*, et *Arpado* ducibus inter Hungaros transactum, vsuque postea roboretum fuit. Fecerant imperata legati non segniter, ac ipse etiam *Stephanus* dux nil eorum omisit, quae ad primorum regni animos sibi conciliandos facere poterant. At frustratum fuere omnia. Hungari enim, quo *Manuelis* consilia tenderent, sagaciter perspicientes, citra ambages legatis reposuere: se *Stephanum* ducem regem nolle, cum ob alias causas, tum vero, quia *Romanam duxisset uxorem*: minime enim e re sua esse, virum admittere Romano imperatori *Manueli* affinitate iunctum; vereri se, ne Hungari suo regi, rex

vero imperatori Romanorum pareret (a), hacque ratione Hungaria, amissa libertate sua, Graecorum subiret iugum. Haec cum legati ad Manuelem Sardicae adhuc commorantem retulissent, repulsa hac magis irritatus, ac ad id, quod orsus erat, totis viribus profundum incensus, exercitui suo Belgradum versus profectionem indixit; interea vero Stephano duci adiunxit Alexium Contostephano, qui cum copiarum parte Hungariam subiret, mandataque sua regni primoribus iterum exponeret: quae si illi reiicerent, bellum ineuitabile comminaretur. Alexius transmisso ad Chramum, vbi hodie Vipalanka, Istro, Hungariam ingressus: postquam aduentus sui causam, maximosque imperatoris apparatus Hungaris retulisset, non leuis eos metus incessit: videbant quippe, vires suas Graecorum viribus multo esse inferiores, verebanturque, ne, si bello succumberent, durioribus postea conditionibus pacem amplecti cogerentur: tempori igitur cedendum, ac aliquid Manueli indulgendum rati, id, quod minus malum fore praeuidebant, elegere. Quare communi nomine Alexio Contostephano exposuere: quoniam imperator regnum Hungariae ad denortui regis Geisae fratrem deuolui iuberet, se ei morem gesturos, coronamque Ladislao duci, qui ut aetate, ita iure pariter Stephanum ducem an-

(a) Nicetas lib. cit.

teiret, delaturos. Huc nempe consilii adducti fuere primores regni, ob praeclaram *Ladislai* ducis indolem, quem minime dubitabant, et nepoti suo *Stephano* III. inaugurate iam regi propitium, fauentemque futurum, et diligenter acturum, ne Hungaria in Graecorum feruitutem aliquando redigeretur.

---

## LADISLAVS II.

R E X XIV.

A. C. 1161.

§. I.

*Ladislau*s rex inauguratur, ac paulo post obit.

*Alexius* Contostephanus his Hungarorum responsis acceptis, quod nil ea de re in mandatis haberet, Belgradum rediit, quid sibi porro agendum esset, ex *Manuele* intellecturus. Hic etsi aegre ferret, consilia sua optato effectu frustrari, ne tamen, si iuniorem fratrem seniori praeponeret, aduersus iura omnia egisse videretur, affensus fuit, verum una id postulauit, ut eodem tempore *Stephanus* dux, *Ladislai* in regno successor constitueretur, ac, quemadmodum in aula Bizantina heres regni *Kyrios*, seu dominus, audit,

ita is pariter *Dominus Hungarorum* appellatur. Hungari ea in re potentissimo imperatori minime obsistere ausi, eo ipso die  
**1161** XVI. Iulii eiusdem A. 1161. quo *Ladislaus II.* in regem inauguratus est, *Stephanum ducem, Dominum suum, Hungaris Uram, Urunk* proclamarunt (*a*). Qua occasione *Stephano III.* regi, ut pro priuati principis dignitate posset viuere, *Ladislaus II.* rex Posonium cum adsita regione, ac plura fortasse bona alia, quae a nemine scriptorum adnotata sunt, assignauit. Porro dux *Stephanus* successor declaratus in Hungaria deinceps permanxit, ne aliquam fratri suo, ad eum diem caelibi, aliquando in solio succendi opportunatatem sibi elabi fineret: quin etiam grauis suspicio est, illius aut manu, aut confilio *Ladislaum* in ipso aetatis flore sublatum fuisse. Postquam enim non plus sex mensibus Hungaris praefuisset XIX. calendas  
**1162** Februarii, seu XIV. Ianuarii A. 1162. dominica secunda post Epiphaniam repente viuere desiit, Albae-regiae sepultus (*b*). Con-

(*a*) Cinnamus loc. cit. *Quapropter Hungari, cum eiusmodi legem colerent, et imperatoris reverentur aduentum, Stephanum III Geizae filium abdicantes imperio, alteri fratribus Ladislae illud tradiderunt, Stephano vero Vrumi, Uram, Urunk, dignitatem concesserunt; quo nomine ita apud Hungaros regni successor indicatur.*

(*b*) Chronicon cap. LXVII. ut illud corrigit cl. Schier in reginis Hungariae pag. 127. Nota 12. et cl. Katona Tom. IV. pag. 21.

iugii expers, nullam post se reliquit sobolem. Id illi laudi dari potest, quod intimam cum fratre suo *Geisa* II. rege concordiam coluerit, neque prauis *Stephani* ducis exemplis induci se passus sit, vt aduersum illum, et patriam aliquid moliretur, qua animi moderatione id obtinuit, vt Hungari eumdem *Stephano* fratri, coronam Hungariae pessimis artibus ambienti, antetulerint.

---

## STEPHANVS IV.

G R A E C V S

R E X XV.

A. C. 1162.

§. I.

*Stephanus IV. Graecus Ladislao fratri in folio succedit, ac inde depellitur.*

Sublato e viuis quacunque demum ratione *Ladislao* II. Hungari *Stephanum* III. *Geisae* II. filium folio, vnde ante exciderat, restituere nitebantur, verum consilio huic totis viribus obstitit *Stephanus* dux, quem nos deinceps, quia apud Graecos exul erat, et Graecorum ope coronam obtinuerat, *Graecum* appellabimus: nisi enim se, quem iam ante

successorem in regno constitutum, *Domi*<sup>n</sup>i dignitate ornauerant, inauguraient, atrocissimam imperatoris *Manuelis* vindictam, et gravissima quaeque mala comminatus, id demum  
 1162 ab Hungaris extorsit, vt eodem anno 1162, III. idus, seu XI. Februarii, quae in sexagesimae dominicam inciderat, ritu solito Albae-regiae coronaretur (a). Verum ille, qui iam inde a prima pueritia inordinatae ambitioni, cupiditatique suae omnia litare consueuerat, fratremque suum *Geisam* regem se superiorem pati non poterat vt priuatus; neque ad solium eluctatus sibi imperare, modumque in summa potestate tenere nouerat. Quapropter *Cinnamo* ipso, Graeco scriptore teste, praepostra agendi ratione adeo suis mox grauis esse cooperat, vt gens vniuersa aperte illum probris insectaretur, viasque omnes circumspiceret, eundem quam minimo patriae incommodo e regno depellendi. Communi eo odio perculsus, Graecarumque copiarum, quas custodiae causa *Manuel* illi reliquerat, paucitati diffisus *Stephanus IV. Graecus* per citatissimos nuncios *Manuelis* opem implorauit. Hic nil cunctatus, circa vernum aequinoctium, sub finem Martii mensis eodem A. 1162. valido cum exercitu Bizantio digressus, breui Philippopolim tenuit, ibique cum maiore virium parte subsistens, *Alexium*, filium *Alexii Contostephani*, suum ex forore nepotem,

---

(a) Chronicon cap. LXVIII.

nepotem, cum ceteris copiis in Hungariam praemisit, clienti suo aduersus Hungaros auxilio futurum. Verum cum Hungari *Manuelis* aduentantis fama conterriti, dissimulato interea odio, ad quietem rediisse viderentur, nullumque seditionis indicium appareret, *Stephanus Graecus* veritus, ne, si Graecorum copiae regnum subirent, ac, ut sit, iniuria aliqua Hungaros laederent, sopita iam odia grauius recrudescerent, repudiatis auxiliis, *Alexium* ad *Manuelem* redire pacataque omnia renunciare iussit. Haec ipsa cautio, qua auersos a se Hungarorum animos conciliari posse sperabat, illi exitio fuit. Ut primum enim *Alexium* Graecarum copiarum ductorem procul a regni finibus digressum audiere, matura iam ad excutiendum *Stephani Graeci* iugum seditione, in unum confluunt, atque *Stephanum III. Geisae* filium, Posonio in castra deductum, suum consalutant regem, eidemque denuo *vitam et sanguinem* vouent. *Stephanus IV. Graecus* eo rerum suarum periculo, ad extrema tentanda animatus, et Graecas copias, et quos ex Hungaris fauentes sibi reddiderat, in unum contrahit, armisque arma opponit, atque die XIX. Iunii eodem A. 1162. decretorium cum *Stephano III.* nepote init certamen: quoniam de corona aut perdenda, aut retinenda vtrinque agebatur, fit praelium atrox, et cruentum, in quo *Stephani Graeci* miles tanta pertinacia dimicauit, ut Hungari quidem victoriam demum retulerint, sed multorum illustrium virorum caede funestam; *Stephanus Graecus*

fuga elapsus, e regno numquam recuperando amplius excessit, postquam eidem menses V. et totidem dies praefuisset (*a*).

---

## STEPHANVS III.

### RESTITVTVS.

A. C. 1162.

#### §. I.

*Restituto in solium Stephano III. noua Mānuelis de Hungaria consilia.*

Sardicae tum castra habebat *Manuel*, cum haec in Hungaria agebantur, quae cum ei *Stephanus Graecus* propriae clavis nuncius retulisset, clientis sui vicem miseratus, pecuniis eum, et idoneis copiis *Alexio Contostephano* ductore instructum, in Hungariam praeire, fortunamque periclitari iubet, donec ipse lentiore progrediens gradu, Belgradum perueniat. Interea adsunt *Stephani III.*

(*a*) *Chronicon cap. LXVIII. Post bunc Ladislauum II. Stephanus IV. Graecus frater eius usurpauit sibi coronam mensibus quinque, et diebus quinque. Coronatus est autem III. idus Februarii in dominica Exsurge, deinceps est autem in festo SS. Gervasio et Protasii feria III. ubi nobiles Hungariorum corruerunt, post haec expulsus est de regno,*

legati, qui et principis sui, et communis regni ordinum nomine orarent imperatorem, ne Stephano Graeco, quem inuiti ad solium cœxerant, ac ob intolerandam cum subditis agendi rationem toti genti exosum regno exuerant, porro auxilio esse pergit. Stephanum III. regem, Hungarosque cuncta, quae imperatori collibuisserent, perlibenter facturos. Is legatos talia ferentes non sine stomacho castris excedere, domumque faceſſere tum quidem iussit: at postquam Belgradum attigit, atque ibi certo cognovit Hungaros summa fide, et constantia regi suo Stephanuſ III. adhaerere, ex aduerso autem tanto odio Stephanum Graecum auersari, ut extrema potius perpeti velint, quam eumdem in regnum admittere, ipſe iam ſentire coepit, aegre admodum, ac nonnisi multa cum ſanguinis effuſione fieri poſſe, vt cliens ſuus amiffam coronam recuperaret, ac, ſi etiam vi in ſolium intruderetur, numquam eum in pace impetraturum. Itaque ab vrgenda porro illius reſtitutione ſibi abſtinendum, aliamque Hungariae ſub iugum mittendae rationem incundam putauit (a). Erat Stephanuſ III. regi mi-

(a) Cineamus. Cum igitur eo, Belgradum, perueniſſet imperator, fierique huic poſſe agnouifſet, ut Stephanus Graecus Hungariae regnum adipiſceretur, (Stephanum quippe III. Geisae filium iterum reſtiterunt Hungari) alio ſe conuerſit; Hungariam enim, uti dictum eſt, in medio occidentalium nationum poſitam ſibi comparare rotis viibus fatigebat.

nor natu frater dux *Bela*, pueritiam nondum  
 egressus; erat et *Manueli* ex *Augusta* coniu-  
 ge *Irene* Sulzbacensi, pari aetate filia vnica  
*Maria*: huic igitur maritum dare *Belam*, et  
 quia masculo carebat herede, neque ex se-  
 cunda coniuge *Maria* Antiochena, quam A.  
 1161. 1161. duxerat, vlla illius fuscipiendi spes  
 apparebat, simul in imperio successorem de-  
 cernere constituit: (a) neque dubitabat, ho-  
 norificae huic destinationi et *Stephanum* III.  
 regem et Hungaros quam libentissime subscri-  
 pturos, sperabat insuper fieri posse, vt iuxta  
 legem, ad quam amplectendam Hungaros iam  
 ante adigere conatus fuerat, demortuo *Ste-*  
 phano III. non ad filios, sed ad fratrem *Be-*  
 lam corona Hungariae deuolueretur, hacque  
 ratione regnum hoc citra sanguinis profusio-  
 nem Graeco imperio coniungeretur; nec  
 mora *Georgium* Palaeologum cohortis impe-  
 ratoriae praefectum in Hungarianam misit, qui  
 de ineunda hac affinitate cum Hungarianis trans-  
 igeret. Ipse interea imperator Bizantium  
 cum exercitu recessit.

---

(a) Idem. Quapropter *Belam*, qui post *Stephanum* III. *Geisae* filius erat, *Mariae* filiae suae matri-  
monio iungere constituit.

## §. II.

*Pax Hungarica honorifica cum Manuele componitur.*

Postquam in pleno Hungarorum senatu *Manuelis* mentem explicuisset *Georgius Palaeologus*, cupide ab omnibus auditus fuit, opinioneque sua celerius negotium confecit. Et rex enim, et regni ordines non modo affinitatis tam illustris, verum etiam imperatoriae dignitatis ad regiae domus sue principem aliquando deuoluendae fulgore perficiet, cunctis, quae *Manuel* voluit, assensere. Pacis tum initiae conditiones has fere fuisse e rebus postea gestis colligimus. Hungari perpetui deinceps essent Graecorum amici, ac socii. *Bela* dux in augustarum nuptiarum et successionis spem educandus, *Bizantium* transmitteretur: quae ei a patre *Geisa* II. rege patrimonii nomine legata erat, *Bosnia*, et *Sirmium* Graecorum manibus cederentur administranda: *Stephano* denique IV. *Graeco*, priuatam in Graecia vitam acturo, condigna annis singulis ex Hungaria praeberentur stipendia, queis contentus, nil porro hostile in nepotem *Stephanum* III. regem moliretur. Quae omnia postquam solennibus vtrinque iuramentis stabilita erant, *Georgius Palaeologus* eiusdem A. 1162. aestate *Belam* ducem 1162 *Bizantium* abduxit, summa cum amoris significatione suscepsum, *Alexium* vocari voluit imperator, despotaque dignitate ornatum, dignis augusto fastigio artibus, et sci-

entiis institui curauit: ne autem seu Stephanus III. rex, seu Hungari de sincera voluntate sua dubitare possent, conuocatos ad se imperii principes eo permouit, vt Mariae filiae suae, eiusdemque sponso Alexio Hungaro, tamquam legitimis suis in imperio successoribus, fidelitatis sacramentum nuncuparent. Cunctis ea in re Manuela morem gerentibus unus obstitit Andronicus, iam tum tacite ad tyrannidem, quam postea arripuit, aspirans: turpe id, Graecoque nomini indecorum esse iactans, vt tot illustribus, et antiquitate generis, et rerum pro imperio gestarum gloria familiis domi praeteritis, alienigena in generum, heredemque adsciscereatur (a). Haec Andronici intercessio acerbius, quam credi possit, accepta fuit ab Alexio Bela principe, qui conceptam eapropter vindictam diu postea pressit, vsquedum Manuele fatis functo, in apertum erupit.

### §. III.

*Bellum exoritur, ac mox pace terminatur.*

Pax haec non diu firma stetit. Post Belae in Graeciam discessum, sentire coeperunt Hungari, quantum sibi, patriaeque suae pace illa conflauissent periculi. Sirmium, Bossnia, et aliae quaedam ditiones, quae ad Belae patrimonium pertinebant, vna cum pacis ob-

---

(a) Nicetas lib. IV.

fide regio principe in Graecorum deuenie-  
bant potestatem, quas si *Manuel* occupasset,  
metus erat; ne iis sacra Hungariae corona  
in perpetuum priuaretur: vt itaque rem tem-  
pestine corrigerent, patrimonium *Belae* ducis  
Graecis curatoribus consignare detrectarunt,  
atque ex ea etiam parte, quam ante tradi-  
derant, curatores Graecos eiecere. Eodem  
prope tempore *Stephanus Graecus* collecta  
factiosorum manu, contra pacta, per *Anchia-  
lum* ciuitatem in Hungariam irrupti, multis-  
que Hungaris sibi conciliatis, inferiores re-  
gni partes sui iuris effecit, eoque successu  
animatus, in spem venit eripiendae iterum  
nepoti suo coronae. Ne defectio haec vte-  
rius serperet, *Stephanus III.* rex non modo  
vires suas omnes in unum contraxit, verum  
etiam ab *Vladislao* Bohemiae rege auxilia  
follicitauit. Haec ubi cognouit imperator,  
etsi in Asiam transire constituerat, mutato  
nihilominus consilio eodem adhuc A. 1162. 1162  
in Hungariam est reuersus, cum vt *Alexii*  
*Belae* generi sui patrimonium integre sibi  
restitui procuraret, tum vero, vt *Stephanum*  
*Graecum* aduersus *Stephani III.* regis vires  
tueretur, periculoque omni exemtum ad qui-  
etem rursus reuocaret. Itaque *Andronicum*  
ducem cum copiarum parte clienti suo sup-  
petias misit: quibus ille adiutus in occupata  
Hungariae parte porro etiam perditit; ne-  
que enim tantas tum adhuc vires collegerat  
*Stephanus III.* vt aemulum e regno posset  
eiecere, satisque habuit prohibere, ne vte-  
rius progrederetur. *Manuel* interea Sauo,

Istroque superatis, ad Titelium primum substatit, inde perlustrata Batisensi prouincia, eiusdemque ciuitate metropolitana Batisino, in Sirmium iterum regressus, ad Petricum, seu Petriuaradinum cum vniuerso exercitu confedit. Priusquam hostile aliquid tentaret, Stephanum III. regem ad consignandam sibi *Belae* ducis hereditatem, pacemque hac ratione secum renouandam per literas hortatus est, quarum haec fuit sententia: „ Non „ ad inferendum Hungaris bellum, fili mi! „ venimus, sed vt *Belae* fratri tuo possessio- „ nem restituamus, quam a dominatione tua „ minime abstulimus, sed quam tu ipse, pa- „ terque vester *Geisa* iam pridem concessi- „ stis. Atque adeo etiam, vt patruum tu- „ um Stephanum maiestatis nostrae affinem „ periculo eximamus. Si igitur te etiam vo- „ lente, *Belam* generum nostrum esse con- „ tigit, quod et tu pactis ipsis firmasti, cur „ non reddita ei sua possessione, nostra po- „ tius frueris societate, et benevolentia? si „ vero necessitudinem, et affinitatem respu- „ is, scias longe nos amplius ab eo abesse, „ vt vim nobis inferri patiamur„. Literis his parum tum iam mouebatur Stephanus III. quod praeter Germanorum, Russorumque auxiliares copias, ipse etiam *Vladislau* Bo- hemiae rex valido cum exercitu ad eius ca- stra aduenerat, quibus confisus decretorio certamine cum Graecis congregandi auebat. Ve- rum istud declinabat *Manuel* propterea, quod Hungaros foederatis coniunctos pares iam sibi, aut etiam superiores esse sentiebat, ac

idcirco intutum existimabat, vii praelio fortunam, gloriisque ad eum diem partam committere. Quapropter, ut circumspectum, prouidumque oportebat principem, foederatos prius ab Hungarorum societate abstrahere, viresque eorum diminuere instituit, quo sic Stephanum III regem, aut ad pacem amplectendam adigeret, aut si a foederatis etiam destitutus bello insisteret, solum iam, viribusque inferiorem eo facilius vinceret. Sapiens hoc, rebusque suis opportunissimum consilium, hunc in modum *Manuel* executus fuit. *Vladislaus* Bohemiae rex, quem Hungaris auxilo venisse diximus, eo tempore, quo cum *Conrado* imperatore inter cruce signatos in oriente A. 1147. agebat, 1147  
solemnibus pactis perpetuum cum *Manuele* imperatore foedus inierat: ad hunc itaque nuncium, idiomatis Bohemici gnarum, misit imperator, qui illi pacta olim secum inita in memoriam reuocaret, atque una exprobraret, quod *Stephano* III. regi hosti suo contra datam fidem assistere non sibi religioni duceret: eadem opportunitate belli causa in Hungaros rejecta, paratum suum ad pacem renouandam animum declarari eidem iussit, simodo *Belae* duci genero suo a patre *Geisa* II. testamento legatum, et a fratre *Stephano* III. iureiurando confirmatum patrimonium integre sibi redderetur. Amicam hanc exprobationem iustum esse agnouit *Vladislaus* Bohemiae rex, vtque citra aut *Manuelis*, aut *Stephani* III. offensam, errorem corrigeret, ac se se bello omni expediret, in id deinceps

diligenter incubuit, vt Hungarum regem ad pacis consilia traduceret: neque id difficile fuit ab eo impetrare, postquam enim vidit Bohemum auxilia sibi aduersus Graecos subtracturum, sicque totam bellum molem sibi vni incubituram, paci vel inuitus assentiri debuit. Itaque *Vladislaus* remisso in castra Graecorum nuncio, imperatorem quoque de pace interpellauit, quae etiam facili negotio coa-luit, postquam *Stephanus III.* totum *Belae* du-cis patrimonium Graecorum manibus se ces-surum recepisset; ex aduerso autem *Manuel* data fide cauisset, se numquam deinceps per-missurum, vt *Stephanus IV. Graecus* Hungariam armis inuaderet, minus vero ad id ten-tandum auxilia eidem praebiturum. Hunc in modum tradita Graecis iterum *Bossnia* et  
1162 Sirmensi regione, autumno A. 1162. a bello vtrinque cessatum fuit (*a*). Qua in re haud scio an quis aut *Manuelem* imperatorem frau-dis alicuius admissae: aut *Vladislaum* Bohe-miae regem, quod auxilia tum *Stephano III.* regi denegarit, perfidiae possit accusare.

#### §. IV.

*Stephani IV. Graeci noua contra Hungariam molimina, clades, et obitus.*

Antequam Bizantium reueteretur *Manuel*, datam fidem liberaturus clientem, affinem-

(*a*) Haec ad fidem Cinnami histor. lib. V.

que suum Stephanum IV. Graecum maiorem in modum hortatus fuit, ut positis coronae recuperandae curis, ex Hungaria penitus excederet, atque in obnoxiam Graecis prouinciam se reciperet, ut sic metu omni Hungari absoluuerentur. Monebat paterne, ne iniquam toties fortunam expertus, in nouum se disserim coniicere, vnde nequiret postea eripi: aperte insuper declarauit, se nullas illi porro daturum suppetias, eo quod recepta Belae ducis ditione, nullam omnino belli Hungarisi inferendi iustam haberet causam (a). Verum ille quorundam regni procerum, et antistitum sibi adhaerentium fide, atque potentia fretus, ad porro in Hungaria perleuerandum, inferioresque regni partes, quas antea occupauerat, extremis viribus tuendas obfirmauerat animum (b). Quare

(a) Cinnamus: Stephanum autem Graecum hortatus est imperator, ut ipse ab Hungaria excedereret, ut qui reuera odium erga se, indignationemque contribulum esset expertus. Sed cum id homini persuadere haud potuisset, ego quidem, inquit, nunc recedo: Bela quippe in integrum restituto, nulla mihi amplius belli, nisi iniusti, ratio relinquitur: tu vero pro certo scias, te breui intimicis ruin prodendum esse. Lib. V.

(b) Qui praelari, et proceres Stephano IV. adhaeserint, quamue Hungariae partem tam is possederit, patet ex eius diplomate A. 1163. Indict. XI. Epacta XIV. Bernaldo episcopo Zagrabensi dato: huic quippe subscripti leguntur testes: Miko Batsienlis archiepiscopus, Macarius Quinque eccles. Nicolaus Varad, Stephanus Chanad, episcopi, Belus Banus, auunculus eius,

cum imperator monitis nil proficeret, neque ad refrenandam turbulenti hominis cupiditatem severiora adhibere vellet remedia, *Nicephorum Caluphem* cum delecta militum manu remanere iussit, qui assinis sui securitati inuigilaret. *Stephanus III.* rex, confecta licet iam pacē, aemulum suum adhuc in regno haerere, quietem domesticam aduersus parta turbare, regiam denique potestatem, et iurisdictionem exercere, (*a*) aegre ferens, nil se aduersus nuperam pacem acturum existimauit, si armis eum aggredieretur, ac e regni finibus eiiceret. *Nicephorus Caluphes* ab Hungaris bellum in *Stephanum IV.* Graecum apparari cernens, autor eidem fuit, ut imminentem sibi procellam declinaturus, tempestive ex Hungaria discederet, ac saltem in Sirmensem agrum, quem *Belae* ducis nomine Graeci procurabant, se transferret: ut autem obstinatum hominem ad id consiliī vel inquitum adigeret, noua se ab imperatore

*Thomas Palatinus. Brocha comes curiae. Boricius Banus. Comes Adrianus, Henricus Bodrogiensis, et Eusa Chanadiensis comitatuum comites. Cancellariorum vices obiuere Hugo notarius, et Thomas Strigoniensis capellae magister. Diploma editum lege in Histor. eccles. Zagrab. pag. 76. et apud cl. Katona Tom. IV pag. 42.*

(*b*) Regiam potestatem sub initium anni 1163. excusse in Hungaria Stephanum IV. Graecum, patet e priuilegio Zagrabiensi episcopo dato, cuius clausulam superius retulimus.

mandata accepisse simulans, prior ipse superato Danubio eodem suo cum milite concessit. Sed neque hoc *Nicephori*, Graecarumque copiarum discessu ad emigrandum e regno permoueri ille amplius potuit. Quapropter rigente adhuc hyeme A. 1163. *Stephanus III.* rex ex improviso eundem aggressus; eo angustiarum rededit, ut aegre in Sirmensem regionem fuga evaserit: hic ille se in Zeugminum a natura, et arte egregie communitatam ciuitatem, cum delecta suorum manu coniecit, ratus ibidem tutum se porro ab Hungaris fore. Verum *Stephanus III.* rex sapienter praeuidens, numquam sibi Hungariaeque pacem redditum iri, nisi *Stephanus IV. Graecus* eiusdem toties iam violatae reus, in potestatem redigeretur, victoriae cursum prosecutus in Sirmium traduxit copias, atque Zeugminum arctissima cinxit obsidione. Diu vrbs haec Hungarorum lusit conatus ob insignem praefidariorum militum vigilantiam, et fortitudinem, qui pro imperatoris sui affine *Stephano IV. Graeco* vitam ponere parati, ne nomen quidem ditionis sustinebant, praeterea delusis oppugnantium excubiis, aduerso Sano flumine nouo interdum militis, et annonae subfido obfessi reficiebantur: erigebat etiam eorumdem animos spes affuturi *Manuelis*, qui in affinis sui ibidem obfessi auxilium properare nunciabatur. Hoc loco cum res essent: *Stephanus IV. Graecus* e diurnis, nocturnisque fatigiis lethalem contraxit febrim, cui cum venae sectione frustra mederi conatus fuisset, eodem

1163 anno 1163. III. idus, seu XI. Aprilis, feria V. decepsit (a). Scriptores Graeci ad conflandam nomini Hungarico inuidiam mortem infausti huius principis malunt attribuere veneno, quo incisae venae ictum a Thomā quodam corruptum comminiscuntur (b). Verum nobis ita videtur, ipsum venae sectio- nis usum argumento esse, Stephanum IV. Graecum maligna febri tum laborasse, quae etiam eidem mortem consciuit. Demortuo, quem tuendum suscepserant, principe, praefidarii de ditione cum Hungaris agere coepere, atque obtenta in virtutis suae prae- mium, vitae, rerumque suarum incolumente, urbem Stephano III. regi tradidere. Corpus Stephani IV. Graeci ab efferatis Hunga- ris aliquamdiu ludibrio habitum, primo ibi- dem in D. Stephani protomartyris ecclesia tu- mulatum (c), postea vero Albam regiam trans- latum in consueto regum tumulo cum ho- nore conditum fuit (d). Hic erat infelcis principis exitus, cui diadema, quod iniquis artibus quaesierat, exitium attulit. Mira sa- ne Dei prouidentia factum, ut regno, quo antea, et fratrem Geisam II. et nepotem Ste- phanum III. priuare totis viribus connisus

(a) Chronicon cap. LXVIII. vbi si anno 1173. vi- tio scriptoris apposito substitutas annum 1163. cetera omnia exacte congruant.

(b) Cinnamus lib. V. Nicetas lib. IV.

(c) Cinnamus lib. V.

(d) Chronicon cap. LXVIII.

fuit, ipse excideret. Obiit autem in ipso aetatis flore, annos non plus triginta natus. Coniugem habuit, ut diximus, Mariam, *Manuelis* imperatoris neptem, ex qua num aliquam sustulerit sobolem, admodum incertum est, nemo enim scriptorum de hoc meminit.

## §. V.

*Bellum inde recrudescens Hungaris fatale.*

Vix *Stephanus III.* instauratis Zeugmini moenibus, pedem e Sirmio retraxerat, adfuit validus cum exercitu *Manuel* imperator, ac non tam *Stephani IV.* Graeci mortem vlturus, quam Sirmensem regionem iterum Hungaros erepturus Zeugminum obsedit. Eluxit tum posterorum et memoria et imitatione digna Hungarorum praefidiorum virtus, ac fortitudo: reiecta enim deditione prostratis licet moenibus pectora sua hosti opposuere, fortiterque dimicantes ad unum omnes caesi, non prius urbem, quam vitam amiserent. Ex eo tempore bellum recruduit, ac ad obitum usque regis *Stephani III.* odiis non minus, quam armis decertatum fuit: et si porro Hungari interdum victores euaserint, ea tamen fuit fortunae iniquitas, ut praeter Sirmium, et Boissiam, septem supra sexaginta urbes in Croatia, et Dalmatia *Manuel* in suam redegerit potestatem: tantae iacturae culpa merito *Stephano III.* regi, aut certe eius administris tribuenda est, ut qui etiam tum, cum a foederatis omnibus destitutos se vi-

derant, maluere inaequalibus viribus bellum prosequi; quam pacem, a qua *Manuel* minime abhorrebat, amplecti: ita saepe vñuenit, vt ob priuata summorum imperantium odia, imperia etiam validissima in ruinam impellantur (a).

## §. VI.

*Stephani III. coniux, obitus, et fata.*

**D**iuturni, atque infeliciis belli taedia non mediocriter auxit illud, quod connubio pariter parum felix erat *Stephanus III.* Desponderat ille sibi iam antea *Hieroslai Galliciae* ducis filiam, eamdemque ad se in Hungariam traduci currarat, vt illic et mores gentis addisceret, et, quoniam tenera adhuc erat, in spēm nuptiarum adolesceret. *Manuel* bello tum Hungarico implicitus, vt *Stephano III. Russica* subtraheret auxilia, variis accusationibus eo deum permouit *Hieroslai* ducis animum, vt is generum atris adeo coloribus sibi depictum auersatus, non modo sponzionem nuptialem irritam declararit, verum etiam foedus cum *Manuele* aduersus Hungaros percuesserit. Atroci ea iniuria vehementer offensus *Stephanus III. rex, Henrici quoque Austriae ducis,* e

Græcia

(a) Fatalis huius belli historiam e Græcis potissimum scriptoribus concinnatam vide apud cl. Katalina Tomo IV.

Graecia reducis, hortatu accedente, non con-  
iugem, vt fallo quidam credidere, sed *spon-  
sam*, ac teste *Cinnamo puellam* e regno ex-  
actam, ad suos in Galliciam A. 1165. remisit  
1165  
 (a), nuptiasque postea cum eiusdem *Henrici*  
 filia Agneta init, quam etiam vterum ge-  
 rentem moriens reliquit, praematuero fato  
 ereptus *Strigonii* A. 1173. IV. nonas, seu die  
1173  
 IV. mensis Martii, dominica secunda quadra-  
 gesimae, ibidemque sepultus (b). Imperauit  
 Hungaris annos XI. menses IX. dies tres. Si-  
 quis vnquam regum decefforum, certe *Ste-  
phanus III.* de constante in se Hungarorum  
 fide gloriari potuit: qui eundem aduersus  
 potentissimi imperatoris *Manuelis* vim, artes-  
 que politicas omnes non sine multa proprii  
 sanguinis profusione sunt tutati, maluerunt-  
 que iniquae sibi fortunae succumbere, plu-  
 rimumque ditionum iacturam pati, quam a iu-  
 rata regi suo fide discedere; ceterum bello  
 huic duplex fomentum addidit *Fridericus I.*  
 imperator. Feruentibus enim cum *Alexandro*  
III.  
*papa* dissidiis, vt *Manuelem* orientis im-  
 peratorem partibus suis adiungeret, foedus  
 cum eo aduersus Hungaros A. 1164. per-  
1164

(a) *Henricus ab obita apud Manuelem legatione do-*  
*mum rediens cum in Hungariam perhenisset, Ste-*  
*phano III. persuasit, vt remissa, ac pulsa Tauro-*  
*Seythica puella filiam suam in matrimonium du-*  
*cerer. Cinnamus lib. V. pag. 153.*

(b) *Chronicon cap. LXVIII.*

cussit (*a*); postquam autem id apud pontificem agere intellexit *Manuelem*, vt se exau-torato, occidentalis quoque imperii impe-rator ille crearetur, eiusdemque opera Italiae principes, atque vrbes in se concitas sen-sit (*b*), quo secundis aemuli successibus ali-quam iniiceret moram, Hungaris aggeris in-star vñrus, *Stephanum III.* auxiliorum polli-citatione in prosequendo bello confirmauit: verum fidem datam minime expleuit *Fridericus*, neque vllas vñquam submisit suppetias, et si ad militem comparandum V. millia auri marcarum ab eodem acceperat (*c*): quin potius Hungaros validissimo cum hoste collu-ctantes otiosus spectauit, seu vincerent hi, seu vincerentur, id sibi perinde semper com-modo fore putans: ita ille facile credulum *Stephanum III.* delusit. Sunt, qui regem hunc seu ex Russica sponsa, seu ex illegitimo tho-ro filium *Merisam* nomine sustulisse autu-  
ment, diplomatis A. 1166. editi autoritate

1166

(*a*) Cinnamus. *Dum haec geruntur, Fridericus Ale-mannorum rex, ubi in occidente strenue se gerere imperatorem Manuelem rescivit, direntis simultibus, pace cum Romanis inita, se quoque belli ad-versus Stephanum III. socium fore principi Manue-li paciscitur.* Lib V.

(*b*) Machinas Manuels contra Fridericum I. describit Nicetas Choniates lib. IV. Cinnamus lib. V. Baronius Annal. Eccles. ad A. 1166. Vide cl. Ka-tona Tom. IV. pap. 131 et sequ.

(*c*) Chronicon Austriacum ad A. 1166 apud Hieron. Pez Tom. CI. l. Calles Annal. Austr. P. I, pag. 46.

inducti : verum et donatio illic facta , et diplomatis contextus ipse ostendit , *Merisum* non regis , sed *Vidonis* , cuius donationem rex confirmat , fuisse filium (a).

### §. VII.

#### *Quid in hierarchia Hungarica a Stephano III. constitutum.*

**M**edios inter bellorum strepitus , curas suas in hierarchiae Hungaricae commodum inten-  
dit Stephanus III. Tria autem fere sunt , quae ab eodem A. 1169. sancta legimus (b) . Pri-  
mo cum pater eius Geisa II. rex *Alexandro*  
III. papae fidem dedisset , se praelatos Hun-  
gariae nec translaturum de ecclesia vna ad  
aliam , nec depositurum , sine scitu sedis apo-  
stolicae , ipse quoque id ratum esse voluit.  
Secundo. Mos erat antea , vt demortuis prae-  
latis vacantium ecclesiarum bona secularibus  
viris administranda traderentur , qui non ra-  
ro parte reddituum , vt ipsis collibuerat , in  
aerarium regium illata , ceteros prouentus ,  
ac emolumenta omnia in priuatos usus suos

(a) Vide cl. Katona pag. 145.

(b) Instrumentum hoc aliqui ad A. 1179. affigunt ,  
ac *Belae* III. regi attribuunt , verum , cum illic  
*Lucae Strigonensis* , ac *Cosmae Colocensis* , et  
*Batsiensis* archiepiscopi mentio sit , euidens est ,  
illud a *Stephano* III. rege A. 1169. fuisse editum .  
Vide cl. Katona Tom. IV. pag. 183.

conuertebant; et quoniam ecclesias, aedesque episcopales conseruare, opportuneque reficere negligebant, fieri necesse fuit, vt, si diutius vacabat sedes, haec omnia vitio curatorum desolarentur. Damna haec ab ecclesiis prohibiturus *Stephanus* III. constituit, vt deinceps vacantium ecclesiarum bonis administrandis delecti e sacro ordine viri praeferentur, qui definitis sibi a principe stipendiis contenti, redditus patrimonii sacri omnes in ecclesiarum, aedium episcopaliū, et canonicalium seu instaurationem, seu, si opus sit, erectionem bona fide impenderent, siquid autem ab his rite procuratis residuum foret, id in egenorum, viduarum, ac orphanarum prolium subsidium, utilitatemque erogarent. Cauit insuper rex, se nil inde ad aerarium suum decerpturum, nisi tum, cum aut solito validior hostis regnum inuaderet, belloque propulsando communis neruus deficeret, aut certe grauissima aliqua, vrgensque necessitas Hungariam premeret, cui depellendae aliter succurri nequiret. Postremo a pluribus retro annis is abusus inualuerat, vt archiepiscopi et episcopi non modo minoris ordinis beneficiatos, verum etiam canonicos, dignitates, ac ipsos adeo capitolorum praepositos iudicata causa, citra omnem iuris formam, pro arbitrio suo dignitate, beneficioque priuarent: qua in re cumprimis excessisse notatus fuit *Cosmas* Colocensium, et Batsiensium antistes, qui id in publico regni conuentu vltro confessus, vna emendationem spopondisse memoratur. Rex *Stepha-*

*nus III. sua principis, communis omnium subditorum patris, plurimum interesse ratus, ita praelatorum iurisdictioni, autoritatique prospicere, ut nihilominus inferiores ab iniqua eorumdem oppressione, atque iniuria immunes praestarentur, aequissime sanxit, ne quis praelatorum porro quemquam cuiuscumque demum gradus, atque conditionis beneficiatum dignitate, beneficioque priuare ausit, nisi ille crimen suum confessus, aut certe legitimo iudicio de eodem sit conuictus. His sanctionibus solenni instrumento editis, Stephanus III. et exigiam Dei ecclesiarum, ordinisque ecclesiastici curam, et insigne aequitatis studium testatum fecit. (a).*

---

## B E L A    III.

R E X    XVI.

A. C. 1174.

§. I.

*Belae vicissitudines in aula Bizantina.*

*Alter Geisae II. regis filiorum, dux Bela consentientibus Hungaris, iam A. 1162. Constantinopolim, vt suo loco diximus, concef-* 1162

---

(a) Vide histor. diplom. de iure patron. regum Hung. pag. 120, ac apud cl. Katona Tom. IV. pag. 183.

serat, vbi *despotae dignitate exornatus, simul Manuelis imperatoris gener, simul in imperio orientali successor designatus, in geminas has spes ibidem adolescebat, vt autem praeter literarum, et virtutum principe dignarum adiumenta, imperatorias praeterea belli, pacisue artes vsu ipso condisceret, affluus ubique Manuelis comes, cum bellis aliis, tum vero repetitis in Hungariam expeditionibus interfuit, vt adeo nemo dubitaret eum multa cum laude olim orienti imperaturum. Verum splendidae hae destinationes octennio vix euoluto in irritum abiere. Postquam enim altera Manuelis coniux Maria, Raymundi Pictauiensis comitis, et Antiochiae principis filia post plurium annorum sterilitatem, die X. Septembris A. 1170.*

**1170** auspicato partu *Alexium filium in lucem edidit (a), hunc Manuel imperator altero mox anno, propalam in basilica Deiparae virginis, aucti solii heredem proclamari, solitisque ritibus coronari iussit: quo tempore, cum imperii principes iureiurando fidem suam novo heredi *Alexio obligassent, ab eo iuramento, quod Mariae Augustae filiae, eiusdemque sponso Belae Hungaro decennio abhinc puncupauerant, absoluti sunt (b). Hac ra-**

(a) Vide cl. Katona Tom. IV. pag. 199.

(b) Nicetas lib. V. Post natuitatem Alexii filii, aliud, inquit, consilium coepit *imperator, et iusiurandum de imperii successione a Maria filia, et eius marito, corripe sponso, Alexio Pannonio, Bela, in filium transferre iusticuit: proinde cum filio, et ciuibus in*

tione *Bela* ab imperii successione remoto, non leuis *Manuelem* angebat cura, ne *Maria* filia ab arrogantia, et turbido ingenio notata, eo nomine, quod ex prima coniuge nata, heresque olim, ut diximus, declarata erat, ius sibi ad imperium p<sup>r</sup>a*Alexio* fratre e secunda coniuge genito, aliquando arrogaret, turbasque eapropter cieret: quibus etiam subinde vniuersam aulam Bizantium illa commouerat. Periculum inde etiam grauius fore apparebat, quod et multi e Graecis primoribus *Mariae* adhaesuri, et Hungari popularem suum *Belam* ducem illius sponsum ad occupandum imperii diadeema perlibenter adiuturi videbantur. Quapropter ut dissidiis domesticis tempestive occasionem praecideret, si que *Alexio* filio certam, securamque redderet successionem, *Mariam* filiam ab ineundo cum *Bela* duce matrimonio prohibere, atque vel innuptam relinquere, vel certe inopi alicui principi, viribusque ad res nouas moliendas destituto collocare constituit (a).

*amplissimo temp'lo genitricis Dei conuenit, et per iusurandum, successione in filium, ut putabat, translata, paulopost filiam Mariam ab Alexio, Bela, seiungit, eique uxoris suae sororem, recens cum Balduino fratre Antiochia profectam, despoudet.*

(a) Maria haec octennio post Raynero Montisferrati marchioni tradita, postquam factionibus Bizantinam perturbasset, vna cum marito suo veneno sublata obiit. A. 1182. Vide cl. Schier in reginis Hungariae pag. 131. et sequ.

Consilium hoc sane quam prouidum cum ratione exequendi, opportunatatem praebuit feuerior id temporis ecclesiae, praesertim Latinae, circa matrimonii impedimenta usus, ac disciplina. Tum quippe affinitatis impedimentum passim inter viriusque coniugis cognatos contrahebatur, vetabatque eos inter coniugia iniri (a). Cum igitur Stephanus IV. Graecus Hungariae rex, Belae ducis patruus, Manuelis imperatoris ex Isaacio fratre neptem in matrimonio habuisset, Bela dux cum Maria Manuelis filia affinitatis mutuae vinculo coniunctus, vi legis memoratae, ab eadem ducenda arcebatur. Hanc affinitatis legem consiliis suis opportunam perlibenter tum arripuit Manuel imperator, maluitque ea de causa sponzionem nuptialem dissolui; quam obtenta, quod facile fieri poterat, ecclesiae dispensatione in effectum deduci. Hunc in modum a Mariae filiae nuptiis semotum Belam, ut sibi nihilominus, atque filio Alexio arctius adstringeret Manuel, Augustae coniugis suae Mariae sororem Agnetem, mutato nomine Annam dictam, eximiae virtutis fe-

(a) Lex haec affinitatis A. 1215. in concilio Lateranensi IV. sub Ianocentio III. P. celebrata relaxata fuit, iudicioque ecclesiae sanctum, ut affinitas deinceps non nisi inter coniugis viuis personam, et alierius coniugis cognatos ad quartum solummodo gradum contraheretur, licetque geminis fratribus geminas sorores seorsim coniuges accipere. Vide Ferraris Voce *affinitas* No. 10. Item Benedicti de Syn. Dioces. lib. IX. cap. XIII.

minam (*a*) eidem vxorem dedit, caesaremque eodem tempore A. 1172. renunciauit (*b*). 1172  
 Bela his tum denuo auctus honoribus, vota *Manuelis*, quoad licuit, fideliter postea expluit, ab eius enim morte, enatis subinde *Andronici* factione turbis, et Augustae imperatricis viduae, et filii eius Alexii partes pro viribus est tuitus.

## §. II.

*Bela absens multorum ingratiss rex eligitur.*

Hoc loco cum *Belae* ducis, et Graecorum caesaris res essent Bizantii, *Stephanus III.* rex die IV. Martii A. 1173. e viuis sublatus, 1173 grauissimis Hungariam obiecit turbis. Expectatum aliquamdiu fuit, dum *Agnes regina* vidua partu leuaretur, vt, si filium edidisset, is patri in auito solio succederet (*c*). At postquam aut nulla proles nata, aut certe mox denata fuit, tum enimvero regnam

(*a*) Consule cl. Schier de reginis Hung. pag. 140.

(*b*) Haec omnia complectitur Cinnamus lib. VI. Ceterum Bela in generum imperatoris primo delectus, quemadmodum in superioribus a me narratum est, postea cognationis lege obstante, sororem Augustae duxerat, ideoque caesar fuerat renclusus, istius dignitatis praerogativa, ceteris praelatus in urbe Bizanina proceribus.

(*c*) Cl. Pray. Annal. reg. Hung. P. I. pag. 163. Cl. Schier in reginis Hung. pag. 142.

omne factionibus scindi coepit (*a*). Etsi enim Stephano III. sine mascula prole decedente, Hungariam hereditario iure ad eius fratrem germanum *Belam* ducem deuolui necesse fuerit, non defuere tamen, qui iure hoc eundem spoliare, regnoque excludere satagebant. Prima omnium fuit *Belae* mater *Euphrasina*, *Geisae* II. vidua, cuius tamquam *reginae senioris* maxima fuit interregni tempore autoritas: haec filium decem, et amplius annos domo absentem, incertum qua de causa, auersata, eo studia omnia convertit, ut tertioenitus *Guithardus*, vel potius *Arpadus* eidem anteferretur, soliumque Hungaricum conscenderet. *Euphrasinae* partes cum plurimi alii vtriusque ordinis illustres viri sequebantur, tum vero cum primis *Lucas Banfi* Strigoniensis archiepiscopus, insigni vitae probitate, et doctrina domi, forisque conspicuus. Verebantur hi fortasse, ne *Bela* tot annis in aula Bizantina versatus, Graecis moribus, et consuetudinibus monarchiam Hungaricam gubernaret, neue cuncta ex *Manuelis*, cui innumeris nominibus obstrictus fuerat, nutu, ac voluntate ageret: quo id demum fieret, ut Hungari regi suo, hic autem Graeco imperatori obtemperare cogeretur. Cum itaque implacabili in *Maneuelum* ferrentur odio, id fibi totis viribus

(*a*) Cinnamus turbarum harum meminit lib. VI. Stephano, inquit, qui Hungariae imperauerat, extincto, cuncta ibi perturbata, et confusa sunt.

prohibendum putauere, ne eius cliens *Bela* regni habenas caperet. Ex aduerso *Paulus Colocensis*, et *Batxiensis* archiepiscopus cum altera procerum parte negabant, *Belam* ducem citra atrocissimam iniuriam, hereditario suo iure a quoquam posse priuari: atque eo libentius sua in eum contulere suffragia, quod ex eius electione maxima insuper commoda toti genti obuentura augurabantur. Spes quippe non vana apparebat fore, vt *Manuel Boffniam*, *Sirmium*, et quidquid nomine patrimonii *Belae* ducis occupauerat, ac ad eum diem tenuerat, Hungaris haud grauata effet restituturus; videbant praeterea bello grauissimo sibi a Graecis impendenti se fontem obstructuros. Nam cum *Manuel* imperator nato sibi iam filio *Alexio* nequiret amplius *Belam* suum in imperio orientali successorem constitueret, euidens erat, illum totis viribus in id incubitum, vt clientem suum caesarem, ac coniugis Augustae affinem Hungaris regem imponeret, cuius immensa potentiae, et virtuti bellicae quam parum ab Hungaris resisti possit, superiorum annorum bella satis superque docuerant: quapropter ut lege stabilitus, et longo vsu roboratus Arpadianorum principum sibi in folio succendi ordo inuiolatus custodiretur, patriae autem a belli calamitatibus respirandi opportunitas procuraretur, insuper habita *Euphrosinae* reginae, et *Lucae Strigoniensis* archiepiscopi intercessione, legati diliguntur, qui *Manueli* nunciarent, *Belam* a saniore procerum parte regem electum esse, atque una

hunc ad capessendum ocyus regnum inuitarent. Quia vero Strigonensem archiepiscopum, ad quem veteri iure, et consuetudine coronatio regum pertinebat, propalam *Belae* electioni aduersari constabat, verebantur proceres, ne, vbi *Bela* in Hungariam peruenisset, is hunc solito ritu vngere, atque inaugurate detrectaret, quo tempore si alius aliquis ex Hungariae antistitibus id officii peregisset, periculum erat, ne *Euprosinae* reginae partium asseclae, inaugurationem *Belae* vt illegitimam, et nullam cauillarentur, dissidiaque domestica augerentur potius, quam tollerentur. Vt itaque incommodo huic tempestiue remedium adferrent, *Belae*que coronationem accelerarent, eodem prorsus tempore per celeres nuncios *Alexandrum III.* papam de *Belae* ducis in regem electione, aduersaeque partis molitionibus edocuere, orantes, vt, si *Lucas* Strigonensis sacrum diadema *Belae* vertici imponere porro etiam abnueret, munus coronandi regem *Paulo Colocensi* archiepiscopo, aut, si hic forte impediretur, cuius alteri episcopo deferri patetur. *Alexander* pontifex, qui *Manuelem* peculiari studio prosequebatur, atque legitimae *Belae* causae modis omnibus fauendum putauit, procerum votis perlibenter annuit, misisque in Hungariam literis, simul *Euprosinae* partium primores *Belae* conciliare studuit, simul *Lucam* Strigonensem archiepiscopum paterne hortatus est, vt posito partium studio, nouum regem, vbi in Hungariam peruenisset, solitis solennitatibus *Albae-regiae*

coronaret: quem cum nullis rationum momentis ad id adduci posse videret, quo Hungariae pacem, tranquillitatemque procuraret, *Paulo Colocensium archiepiscopo* in mandatis dedit, vt, abrupta omni mora, in *Bela* inaugurando Strigoniensis archiepiscopi vices obiret, accepta tamen prius a neoinaugurato rege scripta cautione, nihil singulari hoc facto Strigoniensis sedis iuribus detractum, derogatumque iri (*a*), id quod re ipsa etiam postea a *Bela* rege praestitum fuit.

### S. III.

*Bela a Graecia redux per Colocensem archiepiscopum inauguratur.*

Sic dum dissidiis, factionibusque domesticis criminis *Euphrosinae*, reginae senioris, suscitatis Hungaria agitatur, *Manuel* imperator cognito *Stephani III.* regis obitu, oblatam sibi *Belae* ducis ad solium Hungaricum evehendi opportunitatem auide arripuit. Primum igitur regem illum Hungariae adhuc *Bizantii* proclamari iussit, ac, vt rem, quam aggressus erat, perficeret, exercitum primo quoque tempore Hungariam versus praemisit, quem ipse etiam in *Belae*, eiusdemque coniugis

(*a*) Haec tum acta fuisse testimonium perhibet *Innocentius HI.* P. in literis A. 1204. ad *Emericum* regem datis apud *Raynaldum* ad h. a. Item in aliis A. 1209. quas recitat cl. *Pray.* in specimine hierarchiae Hung. Part. I. pag. 113.

*Annae* comitatu mox consecutus, vbi Sardicam peruenit, praeter spem, obuios habuit, quos missos diximus, Hungarorum legatos, qui peractam *Bela* electionem retulere, obtestantes, vt eundem ocyus ad occupandum regnum dimitteret. *Manuel* sua in clientem studia per Hungaros anteuersa esse mirifice laetatus, priusquam *Bela* ab se abire sine-ret, id ab eo exegit, vt iuramento interpo-sito caueret, se ea omnia, *quae* *Manueli imperatori, et Romanis, scilicet orientalibus, profutura essent, per omnem vitam curaturum.* Hac cautione paulo arctius Bizantinae aulae obstrictus *Bela* cum *Anna* coniuge, multisque illustribus viris, quos *Manuel* et honoris, et securitatis causa addiderat, iter in Hungariam prosecutus fuit, (a) et si autem indubium sit eum aestate A. 1173. eo peruenisse, non tamen illico, vt optarat, inaugurari, regnique possessionem adire potuit, quod *Euphrosinae* reginae matris affeclae armata manu eidem obsisterent: quo tempore et si ad compescendam factiosorum audaciam non leue momentum attulerit in vicina Hungariae Seruia consistens *Manuelis* imperatoris exercitus, cuius vindictam denuo prouocare multi, nec immerito, verebantur: plurimum tamen ad bellum restinguendum operae collatum fuit ab *Alexandro III. P.* vt qui missis in Hunga-

---

(a) Cinnamus lib. VI. pag. 167. Nicetas Choniates lib. V. pag. 110.

rīam nunciis, et literis apostolicis, nou modo multos e seditiosis ad ponenda arma, deferendasque *Euphrosinae* partes adduxit, verum etiam *Arpadum*, et *Geisman* duces, ad ineundam cum *Bela* rege germano suo concordiam permouit (a). Sopitis aliquantum turbis, coronationis solennia Albam-regiam ad diem XIII. Ianuarii, qui in dominicam I. post epiphaniam A. 1174. inciderat, sunt indicta (b). Vnus ab his, quem maxime praesentem esse oportebat, abfuit *Lucas Strigoniensis*, qui seu, quod reipsa adhuc a *Bela* dissideret, seu quod errorem ante admissum propalam agnoscere, retractareue turpe sibi duceret, contractam e morbo virium debilitatem obtendebat, quo minus inaugurationem per se ipse perageret (c). Quapropter,

1174

(a) Raynaldus ad A. 1204. refert Innocentium III. cetera inter haec Emerico regi scripsisse : *Ipsius patrem Belam III. Alexandri iussu a Colocensi archiepiscopo corona fuisse redimicrum, quo tempore maximas illius adipiscendae difficultates pateretur, quin et circa regni primordia cum bello grauiore appeteretur, sedis apostolicae cura ad pacem, atque officium fratres ipsius, ac sequaces fuisse adductos.*

(b) Chronicon cap. LXIX.

(c) Patet id ex literis Innocentii III. A. 1209. ad Ioannein Strigonensem archiepiscopum datis : *Idem praedecessor noster Alexander III. praedecessori tuo Lucae per apostolica scripta mandauit, et in obedientiae virtute praecepit, ut supradictum Belam III. electum in regem, omni dilatatione, contradictione, et appellatione postpositis, coronaret, aut si per se ipsum eum forte debilitate corporis coronare non*

vt iam ante prōceres inter, atque *Alexandrum*, papam conuentum erat, Colocensis archiepiscopus *Paulus* sacro regni Hungarici diadematē, eo, quo diximus, die *Belam III.* regem redimivit.

## §. IV.

*Seditio domestica recrudescit, et sevē castigatur.*

Peracta *Belae* regis inauguratione, noua iterum tempestas coorta est per *Euphrosinam reginam*, eiusdemque filium *Arpadum* fuscita, verum hanc, quod multi interea ad obsequium redierant, facile dissipauit *Bela*, rebelli *Arpado* duce victo, atque intercepto: qui ne deinceps quietem domesticam turbare posset, rex salutem reipublicae fraternae caritati anteponendam existimans, eumdem eo-

1174 dem A. 1174. perpetuae custodiae mancipavit, vbi postquam annos XV. exegisset, Fri-

1189 dericus I. imperator A. 1189. iter per Hungariam cum cruciatis habens, aegre a *Bela III.* impetravit, vt in libertatem affereretur

posset, bonae memoriae Colocensi archiepiscopo intramarer, ut eum absque præcindicio honoris, et dignitatis ipsius, ac Strigoniensis ecclesiae, congregatis episcopis regni in loco, vbi reges coronari consueverunt, in regem inungeret, et sibi coronam imponere non differret, Hierarchiae Hung. P. I. pag.

tur (a). Rursus A. 1176. fratum minimus, *Geisa* dux, incertum qua de causa, ab *Euphrosina* matre haud dubie animatus, acerbius a *Bela* rege dissidere coepit; fraterna odia usque eo creuerunt, vt *Geisa* de eripiendo eidem regno consilia agitare coepit: quem in finem ex Hungaria clam elapsus, in Bohemiam se recepit, vt *Sobieslai* ducis opera, atque commendatione, facilem aditum ad *Fridericum I.* imperatorem impetraret, a quo eo promptius auxilia sibi praestitum iri, sperabat, quod *Belam* regem, fratrem suum, ob intimam cum *Alexandro III.* pontifice, sibi triennio abhinc in aditu regni fauente amicitiam, eidem exosum esse non ignoraret. Verum secus, ac sperarat, res accedit: *Sobieslaus* enim rebellem ducem amicitiae specie aliquamdiu apud se detenun, captumque A. 1177. in Hungariam ad *Belam*<sup>1177</sup> regem remisit, in attentatae perfidiae poenam carceri postea mancipatum (b). Atque hac, vt nobis quidem videtur, tempestate, regina mater *Euphrosina* ob turbataim toties domi pa-

(a) Testem captiuitatis, et liberationis habemus Arnoldum Lubecensem lib. I. cap. XXXIX. apud Leibnitium Tom. II. pag. 677.

(b) Chronographus Silensis ad A. 1177. apud cl. Dobner monument. Tom. II. pag. 89. Meminat huius facti chronicon MS Poloniense ad annum MCLXXXVII. cui tamen substituendus annus MCLXXVII. Dux, inquit, *Geyza* transiit de *Auaustria* in *Bohemiam*, unde a rege fratre suo reductus est in *Vngariam*.

cem, in Bosniae arcem Broncz filii regis iussu inclusa fuit, (a) unde non multo post liberata, missa rebus humanis nuncio, Albae regiae in hospitali Ierosolimitano, ab se multis prius donis excuto, religiosum suscepit habitum, quietemque deinceps, ad obitum usque coluit: (b) hunc in modum Bela rex ab iniquae sibi aliquamdiu matris Euphrosinae, ac fratrum Arpadi, et Geisae duum impetitionibus liber, tranquille deinceps rex Hungaricas moderatus fuit.

## §. V.

*Bela fines Hungariae e Graecorum manibus vindicat.*

Postquam Belam regem apud Hungaros inaugurate intellexit Manuel, Sirmium, ac

(a) Chronicon MS. Posoniense ad A. MCLXXXVI. corrigere LXXVI. *Mater vero eius tencitur captiva in Bronz.* Item ad annum insequentem eodem tempore mater regis Euphrosina in exilium in Graeciam mittitur. Cum Bosnia tum in Graecorum fuerit manibus, arcis Broncz inclusa regina recte in Graeciam missa dici poterat.

(b) Fidem huius faciunt literae Elisabethae, Belae III. regis sororis, atque conjugis Friderici Bohemiae ducis A. 1186. datae, quibus nouo in Bohemia domicilio auget hospitale Ierosolimitanum Albaregalense, diserteque meminit, matrem suam Euphrosinam ibideum religionis habitum suscepisse. Literas ipsas recitat cl. Schier, vel potius ejus editor in reginis Hung. pag. 114.

alias ditiones nonnullas ab se olim occupatas eidem restituit; non tamen omnes, quin etiam munitas quasdam arces, et ciuitates, quas inter nominatim Belgradum, et Branis-  
ua fuit, suo sub praesidio, atque imperio re-  
tinuit. Quamdiu *Manuel* vixit, haec ab eo-  
dem repetere partim verecundia quadam, et  
reuerentia prohibebatur *Bela*, partim autem  
turbatis adhuc in Hungaria rebus vicinam  
Graecorum opem ad refractarios compescen-  
dos necessariam sibi esse existimabat. Obiit  
porro *Manuel* imperator VIII. Calendas Octo-  
bris A. 1180. postquam septem supra triginta  
annos immortali cum nominis gloria ori-  
enti praefuisse. Successit illi in imperio  
filius *Alexius* imperator, cui, quod pueri-  
tiam nondum egressus erat, pessimo prorsus  
confilio, tutor datus Flauius *Andronicus*, is  
ipse, qui olim *Belam* *Manuelis* in imperio  
heredem, atque successorem agnoscere detre-  
ctauerat, quique tutela hac ad tyrannidem  
postea abusus fuit. Hac itaque opportunita-  
te *Bela* ad regni sui fines recuperandos ani-  
matus, postquam de voluntatis suae aequi-  
tate *Mariam*, imperatricem viduam, coniugis  
suae germanam, atque per hanc *Alexium* i-  
psum edocuisset, missis in Dalmatiam literis,  
ac nunciis, vrbes omnes, vt ad sacrae coro-  
nae Hungaricae obsequium vltro redirent,  
inuitauit, easdem illis libertates, et praero-  
gatiwas, quas olim a *Colomanno* rege acce-  
perant, permisum iri pollicitus: cui inui-  
tationi fine mora Spalatenses, Iadrenses, plu-  
riusque aliarum vrbiuum primores obsecuti,

desertis Graecis ad Hungaros transiere (*a*).  
 1181 Belgradum postea, et Branisouam electo inde Graecorum praesidio A. 1181. in suam redigit potestatem. His *Belae* regis progressionibus obicem positurus *Andronicus*, *Alexii* tutor, validas copias *Brana* et *Lamparda* du  
 1182 cibus A. 1182. in Seruiam misit, qui tamen prohibere minime poterant, quo minus Hungari pedetentim res suas recuperarent. Quia vero Flauius *Andronicus Mariam* imperatricem viduam sibi infensam, *Belae* regi fauere nouerat, veritus, ne vtriusque artibus, et consiliis concitata Bizantii seditione, ipse ex *Alexii* tutela deiectus, in ordinem redigetur, quo expeditam sibi ad tyrannidem viam redderet, Augustam imperatricem delectis per se, corruptisque iudicibus de proditione ream agit: accusatio omnis in eo sita erat, quod Augusta ad *Belam* regem affinem suum crebras dederit literas, eundemque multis pollicitationibus eo adduxerit, vt Belgradum, ac Branizouam Graecis eruptum iret. *Andronicus* non satis habuit, eamdem per iudices damnari, illud quoque ad amoliendam a se inuidiam effecit, vt *Alexius* imperator ipse latam in matrem mortis sententiam subscriberet. Itaque infelix Augusta imperatrix, postquam carceris squalorem, famem, sitim contumelias, atque ludibria a custodibus tolerasset, laqueo tandem suffocata interiit

(a) Vide cl. Katona hist. Tom. IV. pag. 274.

A. 1183. Equidem *Bela* barbaram *Andronici* 1183  
 cum Augusta agendi rationem vlturus, ditio-  
 nes Graecas, ipsamque Bulgaria superiore  
 iam anno ferro, et igne euastare, ac in serui-  
 tutem redigere cooperat, (a) indignam nihil-  
 minus illius mortem impedire non poterat.  
 Tristi hac scena peracta laetus *Andronicus*  
 id quoque impetravit, vt *Alexio* aequali cum  
 potestate socius in imperio daretur, quo ob-  
 tento, e socio praedo factus, *Alexium* ipsum  
 imperatorem A. 1185. clam noctu strangula-  
 tum, resecto capite, in mare praecipitem e-  
 git (b). At enim ab offensa atrocibus tot  
 criminibus plebe paulo post e vita exturba-  
 tus, eodem anno successorem in imperio na-  
 cetus est *Isacium Angelum Comnenum*: quo im-  
 perante Hungari in Dalmatiae, Boissiae, cete-  
 rarumque ditionum postliminio recuperata-  
 rum possessione confirmati sunt. Is enim quo  
 se aduersus domesticos non minus, quam ex-  
 teros hostes in solio tueretur, in ipso re-  
 gni aditu intimam cum vicino sibi, familiari-  
 terque olim *Bizantii* cognito Hungaro rege  
 iniit foederis societatem, quam etiam bien-  
 nio post A. 1187. ducta in matrimonium eius 1187

(a) *Chronicon Anstr.* apud Pez T. I. Col. 564. ad  
 A. 1182. haec habet: *Rex Hungariae Bela Grae-  
 corum castra, et ciuitates in Bulgaria obrinuit.*  
 Item ad annum 1183. *Rex Hungariae Bela terram  
 Graecorum valida manu vastar.*

(b) Haec ex Niceta Choniate in rebus *Alexii II.*  
*imp. et Andronici.*

filia *Maria*, nouo affinitatis vinculo roborauit. Eamdem hanc amicitiam coram renouaturus A. 1191. ad Sauum flumen aduenit, multisque illic diebus commoratus, sua cum *Bela* rege consilia contulit (a). Haec copiosius hic enarrari oportuit, vt quibus viis amissae olim prouinciae ad obsequium S. coronae redierint, clarius intelligeremus: unde illud etiam perspicue videri potest, Diuina prorsus prouidentia, insigni Hungariae commodo factum, vt *Bela* Bizantium abductus tot illic annis versaretur, domumque inde rursus accerseretur. Contracta enim cum Graeciae principibus viris amicitia, perspectaeque aulae Bizantinae res ex vsu ei postea fuere.

## S. VI.

*Gallicia S. coronae Hungaricae dominio adiungitur.*

Russia, quam olim iam sub S. *Ladislao* rege in Hungarorum ius concessisse meminimus, rursus *Belae III.* regis temporibus eorumdem dominatui adiuncta fuit. Iuuat rem, vt gesta est, enarrare. Contendebant aliquamdiu de principatu gemini Galliciensis ducis filii, ex *Casimiri* Poloniae ducis forore geniti, *Miccislaus*, et *Lodomerius*, usquedum posterior et matris fauore, et prouincialium confensione regnum adeptus est, sed mini-

---

(a) Idem in rebus *Isacii Angeli imperatoris*.

me diuturnum. *Miccislaus* enim ope, atque  
armis *Casimiri* Poloni depulso fratri A. 1182.  
illud eripuit. *Lodomerius* regno exul in  
Hungariam ad cognatum *Belam III.* Euphra-  
sina Russa genitum confugit, orans, vt illa-  
tam sibi a fratre iniuriam vlcisceretur. In-  
terea Galicienses *Miccislae* cum Polono ami-  
citiam non ferentes, veritique, ne a Polo-  
nis subinde in feruitutem redigerentur, eum-  
dem clam A. 1185. e medio sustulere. Id 1185  
vbi *Casimirus* intellexit, sine mora valido  
cum exercitu adfuit, ac *Lodomerium* a regno  
excludere certus, *Romanum* Lodomeriae du-  
cem inuitis Galiciensibus principem imponit.  
Ut primum inde receffit *Casimirus*, mittuntur  
e Galicia nuncii ad *Belam III.* regem, com-  
muni primorum gentis nomine flagitantes, vt  
eos cum ab intrusi ducis *Romani*, tum vero  
a Polonorum oppressione liberatos in fidem  
reciperet, quin tamen *Lodomerium* exulem, a  
crudelitate notatum, sibique inuisum repe-  
tierint. Aude hanc pristina Hungarorum in  
Galiciam iura vindicandi opportunitatem am-  
plexus fuit *Bela III.* Itaque *Lodomerio* exu-  
le, ne quid consiliis suis obturbaret, ipfis  
baud dubie Galiciensium legatis id postulan-  
tibus, in custodia apud se retento, anno  
1186. *Andream* filium secundo genitum cum  
exercitu in Galiciam dimittit: qui postquam  
suorum virtute *Romanum* profligasset, inter  
faustas populi acclamations, principem re-  
gni arcem Galiciam ingressus, accepto a pri-  
moribus fidelitatis iuramento, Galiciae re-  
gni possessionem adiit. Hanc Galiciae, per

*Andream ducem occupatae, historiam ne ipsi quidem Poloni scriptores inficiantur, id solum criminantur, Belam III. iura hospitalitatis violasse, cum *Lodomerium ducem*, openi apud se implorantem, custodiae mancipauit, eodemque ab hereditate sua per vim excluso, Galliciam filio suo afferuit. At enim *Balam* regem singulari religionis, aequitatis, ac humanitatis laude conspicuum principem, iustis de causis ad id consilii adductum fuisse, non est, cur dubitemus: quae quoniam nobis ignotae sunt, nos eum ab omni inhumanitatis criminie absoluemus. Ceterum *Andreae* ducis in Galicia dominatus minime diuturnus fuit. *Lodomerius* enim corruptis auro custodibus carcere Hungarico elapsus, collecta seditione*

- 1187 forum manu A. 1187. Galliciam inuasit, sed ab Hungaricis, Russicisque *Andreae* copiis victus, profligatusque, cum nullibi perfugium reperiret, Cracouiam ad *Casimirum* Ponionum se recepit, supplexque eius opem implorauit. *Casimirus* etsi crudelem hominem detestaretur, vt tamen Hungaros a Russiae possessione prohiberet, *Nicolao* palatino comiti, et Cracouensi wayuodae negotium dedit, vt iusto cum exercitu in Galliciam tenderet, ejectisque inde Hungaris, *Lodomerium* restitueret. *Andreas* dux hostium aduentu cognito, cum frustra aliquamdiu suppetias ex Hungaria praestolatus fuisset, suorum paucitati diffusus, ne salutem suam discrimini obiiceret, vltro suis cum Hungaris discedens, Galliciam *Lodomerio* duci A. 1188. occupandam reliquit. Exinde grauissimae

*Belam* inter et *Casimirum* Galiciae causa lites exortae sunt, quae de numero constitutis utrinque arbitris, pristino foedere renouato, desierunt (a). Atque hoc tempore contendunt scriptores Poloni *Belam III.* suis in Galiciam iuribus renuntiare coactum fuisse; at, praeterquam quod Vincentius Kadlubko, eius aetatis scriptor, ubi foederis huius capita refert, ne verbo quidem huius renunciationis meminerit, falso eam a recentioris aevi scriptoribus adstrui vel illud satis indicat, quod *Bela III.* post eam pacem Galiciae titulo usus legatur. (b).

---

(a) Vincentius Kadlubko cap. XVIII. pag. 797. haec narrat: *Regis quoque Pannionorum Belae III. foedera, idem, qui eadem, Lodomerium contra Andream adiuvando, dissoluisse arguebatur, palatii comes Nicolaus, cum semper memorato Cracouensem praefule Fulcone ad perfectum redintegrant, iuxta sanctorum instituta, regis videlicet B. Stephani, et S. Polonorum patroni Adalberti: communiter debere coli utriusque regni amicitias, communiter alterius hostilitates insectari, communes fore prosperitatum successus, ad indirimentes necessitatum succursus.*

(b) Gemina ad id ostendendum proferimus instrumenta: In literis episcopi Scardonensis Michaelis, monasterio monialium Iadrensi datis, hoc legitur initium: *Anno ab incarnatione domini 1189. mense Maii, die II. astante inductione VII. temporibus euidem domini nostri Belae, glorioissimi regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Rameaque, et Galliae. Apud Farlatum Tom. IV. pag. 12.* In tabulis concordiae Iadrenses inter, atque Arbenes initae. *Anno dominicae incarnationis MCXC. mense Iunii, die SS. Ioannis, et Pauli, in-*

Vt adeo illud congrue affirmari possit, *Lodomerium*, vt securam sibi praestaret Galliciae possessionem, vtrique principi, et Hungaro, et Polono clientelam fuisse professum, cuius exemplum eius in ducatu successores sunt imitati (a).

### §. VII.

*Quae piam sapienter, utiliterque a Bela III. instituta.*

Quam egregiam in Manuelis imperatoris aula Bizantii institutionem acceperit *Bela III.* abunde licet colligere ex iis, quae ad monarchiae suae utilitatem, atque gentis Hungaricae culturam sapienter instituit. Domum Bizantio reuersus, vbi primum seditionem semel ac iterum a matre, fratribusque fuscitatam compressit, toto conatu in id incubuit, vt fures, atque latrones publicos, quibus Hungaria tum scatebat, extirparet, ac illud demum prudentia, constantiaque sua ef-

*ditione VIII. Iadrae temporibus domini nostri Belae, Dei gratia inuictissimi regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, nec non Galliae. Apud Lucium lib. III. cap. XII.*

(a) Haec copiosius explicata reperies in dissert. de peculiaribus titulis, et insignibus M. Mariae Theresiae Augustae, vt apostolicae Hungarorum reginae, quam appendicis instar adiecimus ad specimen genealogico-progonologicum Augustae dominus Habsburg - Lotharingiae, Viennae A. 1774.

fecit, vt Hungariam a malo hoc liberatam ei vni  
chronica nostra in acceptis referant (*a*). Pri-  
mus item correxit praeposterum quemdam,  
ac venerandae summorum imperantium maie-  
stati parum decorum, inueteratum tamen in  
aula Hungarica morem. Ad eum diem pro-  
miscue quilibet, quois loco, ac tempore  
adibat regem, publica aequa ac priuata ne-  
gotia, lites, querelas, ac preces denique vo-  
ce depromebat, voceque vicissim, quasi ex  
stapede, responsa ab eodem accipiebat: vnde  
quanta, quamue grauia incommoda prouenire  
oportuerit, facile quiuis perspicit; saepe ob  
proponendi inscitiam, saepe ob intolerandam  
res suas exaggerandi garrulitatem, fastidio af-  
fecti reges, perperam ferebant iudicia, sae-  
pe ob minus sinceras, sinistrasque narrationes  
in errorem inducti, multa aequitati contra-  
ria decernebant, vt adeo veritatem subinde  
edocti, quae ante constituerant, antiquare,  
mutareue cogerentur. Sed neque ea, quae  
decretis regiis ineffe debet, responsis his  
autoritas tribuebatur: quod enim ore tenus  
solum data, neque vlo idoneo teste confir-  
mata erant, aut in alium sensum detorqueri,  
aut etiam contemni poterant. *Bela* rex haec,  
aliaque incommoda, ex promiscua illa regem  
alloquendi licentia sapienter perspiciens, id,  
quod in aula Bizantina apud *Manuelem* im-  
peratorem vfitatum viderat, publica constitu-

(*a*) Chronicon cap. LXIX.

tione sanxit, vt subditi deinceps petitiones omnes scripto complecterentur, easdemque delectis viris precum ministris consignarent: horum postea munus erat supplices libellos ad regem referre, vt eos per otium examinare, ac id, quod aequitati consentaneum videretur, posset decernere. Iidem hi precum ministri regis responsa summa fide in scriptum relata illis, quorum intererat, reddebant. Hoc instituto *Bela* non modo decoro maiestatis regiae, verum etiam subditorum commodo sapienter prospexit, ac fortasse illud etiam consecutus est, vt plures iam ex Hungaris literis operam darent, ne in libellis supplicibus concinnandis aliena semper opera vti cogerentur (*a*). Viderat denique *Bela* apud Bizantinos esse quosdam, qui imperatorum orientis res gestas ad posterorum memoriam conscriberent: qua praeteritorum temporum historia, successores facis instar vterentur, ad ea consilia inde feligenda, quae monarchiae suae utiliora viderentur: salubrem hunc morem a Bizantinis ad Hungariam traducturus, populares suos ad elucubrandas res patrias excitasse videtur, cum viros, historiae studio deditos, ad aulae suae obsequia adscivit. Hoc in numero fuit anonymous quidam, regis aulae *notarius*, vir et Graecis literis excultus, et in veteribus historiarum monumentis egregie versatus. Huic

(*a*) *Chronicon cap. cit.*

acceptam debemus VII. ducum historiam, e Graecis potissimum, Russicisque chronicis erutam, atque concinnatam. Pollicitus præterea fuit, se regum Hungariae, nobiliumque genealogiam conscripturum (*a*); verum opus hoc aut morte præuentus non absolvit, aut certe cum pluribus aliis eius aetatis chronicis, atque monumentis illud interiit tum, cum Belae IV. temporibus, Tartari complura Hungariae tabularia exulserunt.

### S. VIII.

*Bela III. obitus, memoria, coniuges,  
et liberi.*

Has inter curas exactis in regno annis XXIII. mensē uno, ac diebus XIX. non tam aetate, quam morborum vi consumptus *Bela III.* vitam clausit XXIII. mensis Aprilis, feria III. post dominicam resurrectionis domini A. 1196. *1196* Albae-regiae tumulatus (*b*). Multa, magna- que egit regni sui tempore, quibus gratam promeruit posterorum memoriam (*c*). Pecu- liare suum ad ornandam, illustrandamque ec- clesiam Hungaricam studium, non modo con-

(*a*) Vide sis praefationem anonymi Belae regis no- tarii ad historiam ducum Hungariae inter scripto- res rerum Hungaricarum editam.

(*b*) Chronicón cap. LXIX.

(*c*) Res sub *Bela III.* rege gestas omnium copiosissi- me enarrat cl. Katona Histor. Tom. IV.

dita in spirituale Scepusiensis populi solatium praepositura S. Martini de Scepusio, aliisque piis locis partim erectis, partim dota-tis, verum etiam singulari in florentissimum disciplina regulari Cisterciensium ordinem munificentia, luculenter testatus fuit (a). Etsi *Manuelis Graecorum imperatoris imitatione* eximia erat in *Alexandrum III.* pontificem obseruantia, et amicitia, nihil tamen sibi de apostolicorum Hungariae regum in ecclesias, ditione sua comprehensas, patronatus iure detraхи, adimiue sicut (b). D. *Radislausum* regem post usitatum de eius virtute, atque prodigiis examen ecclesiasticum, per *Caelestinum III.* papam in Diuorum syllabum A.

**1192** referri procurauit: quo tempore gemini dies festi eius memoriae instituti sunt: alter XXVII. Iunii, alter autem XXIX. Iuli, quo ille ante XCVII. annos obierat (c). Literarum apud suos studium feliciter instaurauit. Regiae apud Hungaros dignitati, Bizantinae aulae exemplo, primus dignam summo illo fastigio maiestatem, reuerentiamque conciliauit. Bella inuitus mouebat, eademque per delectos potius duces, quam per se ipsum administrabat, id quod singulare est,

(a) Ibidem pag. 287. 346. 371. 409.

(b) Ibidem pag. 277. et 295.

(c) Fidei faciunt vetera calendaria omnia, nominatim, quod missali A. 1480. Veronae impresso, et aliud, quod breuiario de tempore, et sanctis in usum Strigoniensis ecclesiae A. 1484. praefixum est.

illius humanitatis, et mansuetudinis argumentum: praeterea paulo studiosius, et diligenter pacem coluit cum vicinis populis, quos sic Hungari diuturnis ante bellis exhausti, populo, artibus, scientiis, commerciis, ac opibus denique crescendi otium nanciscerentur; quapropter regnum tranquillum, opulentum, sapientissimeque constitutum moriens reliquit. Sirmium, Ramam, seu Bosniam et Dalmatiam e Graecorum manibus vindicauit, Galliciae, Seruiaeque principes sibi sacraeque coronae suae clientelae iure obstrinxit, ut ex iis, quae sub successoribus regibus acta sunt, licet intelligere. Bis coniugio illigatus fuit *Bela III.* omnium nihilominus prolium superstitem mater fuit coniux prior *Anna*, Augustae Graecorum imperatricis soror. Primogenitum filium *Hemericum*, Hungarum *Emericum*, peculiari studio ad scientias, artesque summo imperanti necessarias erudiri curauit: quem in fine duodenni circiter moderatorem dedit *Bernardum* clericum, Perusio oriundum, virum et literis egregie excultum, et eloquentia praestantem (*a*), labente aetate ad Spalatensem ecclesiam promotum. Eudem hunc *Emericum*, ne quid a morte sua turbarum oriri posset, ante A. 1185. regni 1185 Hungarici heredem instituit, sacroque diadematate coronari fecit (*b*): qui postquam adole-

(*a*) Testis est *Thomas archidiaconus Spalatensis histor. Salonit. cap. XXIV.*

(*b*) Eruitur ad ex actis concilii a *Petro Spalatenzi archiepiscopo celebrati*, quibus hoc initium praefixum

uit, vt difficillimam gubernandi artem se duce, et magistro, vsu ipso condisceret, Dalmatiae, et Croatiae vicaria cum potestate circa

**1194** A. 1194. praefectus fuit. De *Andrea* filiorum altero, cuius praeferuidam indolem perspexerat, ea constituit prouidus pater, quae singularem eius commendant prudentiam. Cum enim optime adhuc meminisset, quam atrocia, totique genti noxia inter patrem suum *Geisam II.* patruumque *Stephanum IV.* exorta fuissent dissidia, vt his occasio- nem mature tolleret, *Andreae* duci a regimi- nis communione remoto, nullum prorsus du- catum, aut prouinciam, cui summo iure pre- effet, contulit, eiusdemque loco castella qua- dam, dominia, atque praedia eessit, eo quo ceteri Hungariae dynastae modo, iureque te- nenda: magnam insuper pecuniae vim eidem moriens legauit eo fine; vt ad eliberandam e manibus Saracenorum Palaestinam in orien- tem proficeretur, sive votum, quo ipse se *Fridericu* I. imperatoris, ac aliorum Euro- pae principum, certatim eo proficiscentium, exemplo, graui tum pressus infirmitate ob- strinxerat, ac postquam conualuit, exequi nequuerat, filius expleret (*a*). Noluit sa- piens

est: *A. ab incar. domini 1185. indict. III. D. Lu- cio papa III. apostolicae sedi praefidente, ac D. Be- la III. Hungariae regnum gubernante, et domino Émerico filio eius eo vivente coronato, hoc actum est.* Apud Farlatum Tom. III. pag. 213.

(*b*) Godefridus monachus apud Freherum Tom. I. pag. 366, ad A. 1199.

piens pater onus hoc peregrinationis sacrae  
*Emerico* filio, suo in folio successor, impone-  
 re, quod recte censuerit, longam principis  
 a regno, populoque suo absentiam numquam  
 non cum reipublicae detrimento esse coniunctam.  
 Praeter *Emericum*, et *Andream*, ter-  
 tium adhuc *Belae* III. filium A. 1198. super-  
 stitem fuisse, certum est ex *Innocentii* III. li-  
 teris eo anno ad *Andream* ducem datis (*a*).  
 Verum, quod huic nomen fuerit, quae deinceps  
 fata subierit, ac, quo demum anno vi-  
 xerit, a nemine scriptorum adnotatum est,  
 ut adeo credi possit, eumdem non multo  
 post diem suum obiisse. Filiarum *Belae* III.  
 altera *Margarita*, Graecis *Maria* dicta A. 1187. 1187  
*Isacio* orientis imperatori nupsit, eo vero de-  
 mortuo, *Bonifacium* Montisferrati marchio-  
 nem maritum A. 1204. accepit. Altera Con- 1204  
*stantia* *Premislao* I. Ottocaro Bohemiae regi  
 a fratre suo *Emerico* rege A. 1199. colloca- 1199  
 ta, arcem Tyrnauensem cum adfatis bonis  
 dotis nomine accepit, quam subinde *Bela*  
 IV. rex persoluto aere vindicauit (*b*). Con-

(*a*) Has vide apud cl. Katona Tom. IV. pag. 477.  
 vbi haec in fine leguntur : *Et regnum ipsum ad  
 minorum fratrem tuum appellatione postposita deuolu-  
 endum.*

(*b*) Huius memoria fit in literis foundationis coeno-  
 bii S. Clarae Tyrnauiae a *Bela* IV. rege editis:  
*Quod nos, inquit rex, saluti animae nostrae inui-  
 gilare cupientes Diuini nominis interuentu ad suspen-*

- 1183 iuge prima *Anna* regina A. 1183. orbatus *Bela* III. mox anno insequente missis Parisios legatis, *Margaritam*, *Ludouici* VII. Gallorum regis filiam, atque *Henrici* junioris *Angliae* regis viduam in coniugium petuit: quae tamen non prius, quam exeunte A. 1185. illi in manus conuenit: ex qua fortasse natus fuit tertio genitus *Belae* regis filius. Haec tot Europae principum imitatione, a morte mariti, in Palaestinam concessit, atque *Ptolemaide* sub initium Septembris A. 1197. ad quietem aeternam transiit (*a*).



tationem dilectorum in Christo sororum, regulam, et ordinem *B. Francisci profidentium*, quae in villa *Terna*, hodie *Tyrnevia*, ad famulandum Deo sunt collocatae, contulimus villam *Balaras* cum omnibus redditibus - - - exemptam a iurisdictione comitis, seu iudicis de *Posonio*, sicut ipsa villa de *Terna*, de cuius membris dictam villam *Balaras* exceperimus, est exempla, quam nos a dilecta sorore nostra *Constantia* regina *Bohemiae* illustri e comparauimus - - - perpetuo possidendam - - - praesentes in perpetuum concessimus literas, duplicitis sigilli nostri munimine peremprinter roboratas.

Datum anno domini MCCXLVII. VII. idus Novembris, regni autem nostri anno tertio decimo.

(*b*) Vide Cl. Schier in reginis *Hungariae* primae stirpis a pag. 148. et cl. Katona pag. 468. et seq.

## EMERICVS

R E X XVII.

A. C. 1196.

## §. I.

*Andreas dux complures prouincias Emerico eripit.*

Quod tranquillum, optimeque domi constitutum adierat regnum *Emericus*, non multo post *Andreae* ducis ambitio, et cupiditas prope euertit: id illi imprimis acerbum erat, quod contra vſitatum ante regiae domus principibus prospiciendi morem, vltimis patris tabulis *ducatu* deſtitutus, a regiminis communione exclusus, priuati instar hominis vitam agere, fratrique ſuo ſubelle cogebatur: praeterea iuuenili abreptus impetu, mox a morte patris liberalius, ſplendidiusque viuendo, multas largitiones ad amicos, clientesque comparandos profundendo, immensam illam pecuniae vim, quam moriens pater in peregrinationis Ierosolymitanae ſumtus deſtinaverat, breui tempore abliguriuit: cum itaque ad affuetum iam luxum porro prosequendum patriomonii ſui redditus minime ſuffecturos praeuideret: neque *Emericus*, vltimae patris voluntati inhaerens, quidquam vltra

prodigo fratri largiri vellet, is prauis assen-  
tatorum consiliis seductus, atque amicorum,  
clientumue, quos magno iam numero sibi de-  
uinxerat, fiducia fretus, coepit A. 1196. cop-  
pias specie peregrinationis cruciatae collige-  
re, quibus postea Dalmatiam, Croatiamque  
inuasit. Id vbi *Emericus* intellexit, traducto  
eo exercitu vim vi, arma armis opposuit;  
at euentu plane improspero. *Andreas* enim  
nouis interea suppetiis a *Leopoldo* Austriae  
duce obtentis, validior redditus, commisso  
certamine, memorabili potitus victoria, li-  
berius deinceps in Illyrico graffatus fuit (a).  
*Emericus* e tristibus his initii peiora perti-  
mescens, ac de conseruandis imprimis in fide  
Hungarum sollicitus, nil seu humanitatis, seu  
munificentiae praetermisit, quo cum alias  
regni primores, tum vero *Moghoneim* palati-  
num, *Iobum* Strigonensem, *Saulem* de He-  
deruara Colocensem archiepiscopos, ac reli-  
quos prelatos, ipsumque adeo Templiorum  
ordinem, arctius sibi adiungeret, ut fidem  
faciunt variae donationes, ac priuilegia, quae  
feruentibus cum fratre dissidiis *Emericus* eis-  
dem contulit (b). Neque hic conqueuit re-  
gis in arcto tum positi sollicitudo: missis Ro-

(a) Narrat hoc Godefridus monachus apud Freh-  
Tomi. I. cit. a cl. Katona pag. 464. Iten Inno-  
centius III. in literis A. 1198. ad Andream datu.  
Ibidem pag. 477.

(b) Recitantur haec apud cl. Katona pag. 503. et sequ.  
item pag. 525.

mam legatis, orauit *Coelestinum* III. pontificem, ut cum aliis opportunis remediiis, tum vero sacrarum poenarum comminatione factiosos a rebellis fratri sui partibus abducere satageret. Indoluit sane *Emerici* fato *Coelestinus*, vtque eiusdem votis satisfaceret, missis extemplo A. 1197. ad antistites Hungariae literis apostolicis, anathema promulgari iussit in eos omnes, qui *Andreae* duci aduersus legitimum principem adhaererent, opem, consiliumque praestarent, aut etiam literarum, nunciorumque commercium fouerent (a). Ipse quoque *Innocentius* III. pontifex, qui *Coelestino* III. die VIII. Ianuarii A. 1198. succeſſerat, paucis post aditum pontificatum diebus, primum *Andream* ducem paternè prorsus ad ponenda arma, peregrinationemque sacram aggrediendam cohortatus fuit (b), tum vero datis ad antistites regni literis, easdem, quas decessor in seditiones tulerat, poenas confirmauit (c). Sacra haec arma per utrumque pontificem intentata optatum quidem apud Hungaros fructum tulere, non item in Illyrico; vbi non profani solum proceres, verum etiam antistites aliquot, insuper habitis apostolicis comminationibus, aperte

1197

1198

(a) Testatur id *Innocentius* III. P. in literis A. 1198. ad praelatos Hungariae datis ibidem pag. 484. et 486.

(b) Referuntur hae ibidem pag. 477.

(c) Ibidem pag. 484. et sequ.

iam *Andreae* partes sequebantur (*a*). Quapropter hic, tantum abest, vt a perfidia recesserit, vt etiam continuato feliciter bello, ac victoriis aliquot de *Emerico* relatis, aestate A. 1198. Dalmatiam, Croatiam, Botniam, Chulmiaeque ducatum in suam redegerit potestate (*b*), ac non modo regnorum horum ducis titulos usurpauerit, verum etiam regiam ibidem iurisdictionem propalam exercuerit (*c*). Quo tempore in nauatae sibi operae praemium, eos vacantibus tum in Dalmatia ecclesiis praesules dedit, quorum consilio, auxilioue aduersus legitimum principem suum quam maxime vsus erat. Grauiter id, molesteque tulit *Innocentius III.* ac, ne perduellionis crimen impunitum abiret, *Sauli Colocensi* metropolitae, *Vgrino Iauriensi*, et *Dominico Zagrabiensi* episcopis praecepit, vt Iadertinum, ac Spalarensem archi-

(*a*) Ex literis *Innocentii III.* ad *Saulem Colocensem* archiepiscopum A. 1199. calendis Ianuarii exaratis. *Ibidem* pag. 486.

(*b*) Fidem facit monumentum publicum in victoriae memoriam confectum apud Lucium lib. IV. cap. III. et Farlatum Illyrici sacri Tom IV.

(*c*) In literis A. 1198. Pharense episcopo datis, hoc legitur initium: *Anno ab Incar. domini MCXCVIII. Indict. I. Ego Andreas tertii Belae regis filius, Dei gratia, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Culmaeque dux in perpetuum. Quoniam ducalis serenitati iura, et dispositiones regni sui licet - - - disponere, apud Lucium lib. III. cap. XIII. Item alias vide A. 1199. apud Farlatum Tom. III. pag. 5.*

episcopos ab *Andrea* duce contra *Emerici* regis ius nominatos, excommunicationis sententia propalam multatos, ab earumdem ecclesiarum possessione prohiberent (a). Ita *Innocentius III.* nil, quod suum summi Christianorum suorum antistitis, communisque fidelium patris erat, in tuendis *Emerici* regis iuribus desiderari ab se passus fuit.

## §. II.

### *Pax inter fratres coalescit.*

Tot prouinciarum, breui tempore amissarum, iactura ferenda aliquamdiu fuit *Emerico*, partim quod paulo maiore belli apparatu opus erat, ad aemulum e confirmata iam tot populorum possessione eiiciendum, partim quod is, secunda fortuna elatus, nullam omnino honestae pacis, atque concordiae tractationem admiriteret. *Innocentius III.* bello non Hungariae modo noxio, verum etiam cruciae Christianorum principum in Palaestinam proficiscentium expeditioni moram facturo finem impositurus, XVII. calendas Iunii A. 1198. humanissimas ad *Andream* ducem literas 1198 exarauerat, quibus, et grauissimis rationum momentis eum ad amplectendam, quam *Emericus* offerebat, concordiam excitabat, et vna, si porro id abnueret, anathema cum

(a) Vide literas *Innocentii III.* recitatas apud Cl. Katona pag. 486.

coniuratis omnibus, tum vero illi ipsi comminatus fuit (a). Verum *Andreas* assentatorum consiliis in transuersum actus, paternam eam monitionem superbe despexit, praeteritisque successibus paulo audacior redditus, Hungariae quoque regno *Emericum* depellere animum induxit. Desperata igitur, qua tot innocentum ciuium sanguini parci poterat, pace, *Emericus* sedulo bellum apparare coepit, ac postquam vniuersas prope Hungariae vires in vnum contraxisset, causae fiducia fre-

**A.D. 1199** tus, in rebellem fratrem aestate A. 1199. castra promovit. Et vero adfuit tum ille, qui summis imperantibus praefecto esse solet, DEVS : *Andreas* quippe decretorio certamine victus, atque profligatus, cum se se colligere amplius nequiret, præcipiti fuga aegre demum in Austriam ad *Leopoldum* ducem evasit (b). Laetissimus victoriae fructus fuit, Dalmatia, Croatia, Rama, et Chulnia ad *Emericu* regis obsequium reuocata. Inopinata hac clade maiorem in modum perculsus *Andreas*, cum toties, ac tam grauiter offensi fratris vindictam pertimesceret, coepit *Leopoldi* Austriae ducis, ac ceterorum Germaniae principum benevolentiam aucupari, quo eorumdem interuentu, atque autoritate, *Emericum* ad pacem honestis conditionibus

(a) Has lege apud Cl. Ketona pag. 481.

(b) Godefridus monachus apud Freherum. Tom. I. Chronica Australis, Chronicum Neoburgense, et Oratio ad A. 1199. cit. apud Cl. Katona pag. 586.

fibi concedendam pertraheret: hunc quoque in finem exul adhuc in Austria, *Bertholdi III. Meraniae ducis*, ac Istriae marchionis filiam *Gertrudem* fibi desponderat. Neque spes, quam in Germaniae principibus collocauerat, *Andream* fefellit. Adfuit enim non multo post missus communi nomine pacis arbiter *Conradus*, archiepiscopus Moguntinus: cuius opera, sublatis inter fratres similitatibus, pax demum anno 1200. *sancita* fuit, sequentibus conditionibus: *Emericus* non minus, quam *Andreas* voto semet peregrinationis Ierosolymitanae obstringerent, regno Hungariae curae *Leopoldi* Austriae ducis commisso, vterque primo quoque tempore, assumta cruce, in orientem discederent; quodsi *Emericus* illic obire contigeret, *Andreas* inde redux regnum occuparet: interea vero *Emericus* *Andream* in gratiam receptum, vna in regni consortium assumeret, ac porro etiam Dalmatiae, atque Croatiae, vicaria tamen potestate, praeesse pateretur (a). Conditiones has arduas, durasque suisse *Emerico* nemo non perspicit: Hungariam, quae tum maxime regis praesentia opus habebat, deferere, insanos sumtus in expeditionem nil prorsus rei Christianae profuturam pessimum dare, regnum denique exteri principis fidei credere,

(a) Godefridus monachus loc. cit. et Chronica Australis ad A. 1200. ibid. pag 589. Reaperte *Andream* porro Illyrico praefuisse, complures literae ab eo tum editae testantur.

profecto ad politicae prudentiae leges non  
satis exacta erant: illud autem, quod de  
mutua in regno successione constitutum erat,  
in iuria non vacabat. Si enim e *Constantia Ar-*  
**1198** *ragoniam coniuge*, quam A. 1198. duxerat  
*Emericus*, filius ei interea nasceretur, hic  
ab hereditaria in solio successione per *An-*  
*dream* excludi nullo iure poterat. At enim  
cedendum fuit tempori: periculum quippe  
erat, ne, si *Emericus* pacem abnueret, cru-  
ce signatorum, torrentis instar continuo in  
orientem migrantium, multitudinis iras, et  
arma in se conuerteret: itaque ipso die pen-  
tecostes, qui eo anno 1200. in XXVIII. Maii  
inciderat, concordiae tam cum *Andrea* fratre,  
quam cum *Leopoldo* Austriae duce tabulae  
vtrinque signatae (*a*), atque Romam ad *In-*  
*nocentium III.* pro eius aetatis consuetudine  
sunt submissae (*b*). Quin etiam ut pactorum  
se obseruantem declararet *Emericus*, votum  
peregrinationis Ierosolymitanae nuncupa-  
uit (*c*), quod tamen *Innocentius* eosque

(*a*) *Vitus Arenpekius apud Hieronymum Pez Tom. I.*  
*Anno domini MCC. in pentecoste pax fuit facta*  
*inter Emericum regem Hungariae, et praedi-*  
*etum ducem Leopoldum, et ibidem rex Eméricus*  
*fratrem suum Andream secundum in gratiam suam*  
*cepit.*

(*b*) *Fidei faciunt literae Innocentii III. editae a Cl.*  
*Dobner. Monument. Tom. II. pag. 340. apud. Cl.*  
*Katona Tom. IV. pag. 690.*

(*c*) *Colligimus id ex Innocentii III. literis A. 1202.*  
*quibus eum ad votum explendum adhortatur, apud*  
*Cl. Dobner Monum. Tom. II. pag. 428. et apud*  
*Cl. Katona pag. 634.*

differri voluit, dum res Hungariae domestico bello perturbatae, ad ordinem, et quietem reuocarentur, id quia ad obitum usque *Emericus* regis obtineri non poterat, numquam voto illi satisfactum fuit.

### S. III.

*Nouis dissidiis inter fratres exortis Andreas capitur.*

Confecta iam pace, *Constantia* regina A. 1201. 1202 aut certe mox insequente filium enixa est, cui in baptismo *Ladislai* nomen inditum fuit. Inopinata regii principis nativitas non mediocrem utriusque fratri sollicitudinem peperit. *Andreas* non immerito vereri cooperat, ne contra, quam nuperna pace cautum fuit, se excluso, filius patri in folio succederet: *Emericus* ex aduerso non abs re timebat, ne *Andreas*, eidemque studentes utriusque ordinis proceres *Ladislai* filii successioni obicem aliquando a morte sua ponerent, atque ideo illud sibi ante omnia perficiendum putauit, ut priusquam in Palaestinam proficisciatur, filium heredem institutum, inaugurate cerneret: quia vero prouido huic consilio contraria multorum senserat studia, *Innocentium* III. pontificem permouit, ut datis A. 1203. ad archiepiscopos, et episcopos 1203 Hungariae literis, non solum eos iuberet *Ladislao*, tamquam hereditario principi, atque successori fidelitatis iuramentum praestare; verum etiam id efficere, ut ceteri ecclesia-

stici omnes, secularesque regni ordines eorum exemplo, consimili fidem suam iureiurando obstringant (*a*). Quod cum ex *Emerici* regis voto a plerisque factum fuisset, nondum satis sospitis fratrum dissidiis nouum accessit fomentum: aliud quoque interea euenerat, quo suapte iam aeger *Andreae* ducis animus non mediocriter concitatus fuit. Cum relietos sibi a *Bela III.* patre thesauros, ut suo loco diximus, penitus absumisset, nouos sibi ab *Emerico* rege in peregrinationem cruciatam sumtus praestari petiit, quod cum non impetrasset, *Innocentium III.* interpellauit, ut, si cruciatam expeditionem a se suscipi vellet, regem ad numeranda sibi subsidia permoueret: sed neque pontificis commendatio (*b*) quidquam apud *Emerici* animum effecit: partim propterea, quod annuos fratris redditus per nupernam pacem liberaliter auctos, pio illi itineri sufficere existimabat, partim quod metueret, ne is data sibi pecunia in perniciem reipublicae abuteretur, ac, quemadmodum ante fecerat, eamdem ad conscribendos aduersum se milites conuerteret, partim denique, quod pontificiae literae fero

(*a*) Literae huius argumenti datae sunt V. Calendas Martii, quis lege apud cl. Dobner Monument. inedit. Tom. II. pag. 331. et ex eo apud cl. Katona pag. 659.

(*b*) Literae datae sunt nonis Nouembris A. 1203. apud cl. Dobner Tom. cit. pag. 339, et apud cl. Katona pag. 687.

iam fortasse post confectum bellum *Emerico* fint redditae. Id quidem certum, *Andream* non vsquequaque bona fide cum fratre egisse. Sub idem quippe tempus A. 1203. item classicum seditionis sustulerat, eo maiore cum fiducia, quod vniuersos pene proceres, nobilesque Hungariae a legitimi principis sui fide abstractos, partibus suis autoratos esse nouerat. Itaque ubi primum in campum prodiit, incredibilis armatorum multitudo ad illius castra confluxit, ut nemo fere esset, qui regis lateri adhaereret. Inexspectata hac suorum ad fratrem defectione vehementer commotus *Emericus*, paucorum, qui apud eum remanserant, antistitum, ac proximum consilia exquirit: nemo erat, qui cum tam valido hoste belli aleam experiendam suaderet: omnium vox una fuit, ut, si salutis suae vellet prospicere, declinata tempestate, fuga se se in vicinam aliquam regionem subduceret. Vnus *Emericus* ultimo eo in disertamine non despontit animum, turpe, indecorumque existimans, ne tentata quidem fortuna, ultro coronam perduelli fratri relinqueret. Post imploratam igitur Diuinam opem, multaque animo agitata, audax profecto, ac prope temerarium arripuit consilium, cuius prosper euentus Diuinae cumprimis prouidentiae adscribendus est. Cum enim mutuo in conspectu in Hungaria starent aduersae acies, iamque rebelles, visa regis copiarum paucitate, victoriam canerent, *Emericus* collocata in Deo, cui summorum imperantium salus cumprimis curae esse solet, fiducia, arma exuit,

1203

arreptaque manu virga , nemine comitante, castra rebellium ingreditur , lentoque incendens passu , elata , vt ab omnibus exaudiri posset , voce per vices inclamat : *Nunc, inquiens, videbo, quis erit ausus manum extendere ad cruorem regalis prosapiae.* Viso rege , voceque eius audita , tacitus quidam timor , ac reuerentia subiit rebelles , vt ne mutire quidem ausi , laxatis continuo ordinibus progradienti regi viam aperirent : sic ubi nemine resistente ad fratris vique tentorium peruenisset *Emericus* , manu sua arreptum e castris eduxit , suisque custodiendum tradidit : nec mora , vniuersa illa rebellium multitudo abiecitis armis , in genua prouoluti , veniam deprecati sunt . Rex ea scena ad clementiam commotus , omnes , et singulos in gratiam recepit . Vnus *Andreas* seditionis autor Strigoni primum custodiae datus , inde autem in Croatiam deductus , in arcem Kheene conjectus fuit (a) . Coniux quoque illius *Gertrudis* vindictam *Emerici* regis experiri debuit , domum ad parentes suos remissa , Hac ratione feralis illa tempestas , quam *Andreas* ad fratrem suum solio deiiciendum concitauebat , in autoris caput recidit .

(a) Hanc rebellionis, et captitutatis *Andreas* historiam copiose narrat Thomas archidiaconus , histor. Saloa. cap. XXIV. Oetelius ad A. 1203. In scriptor. rerum Boicarum Tom. II.

## §. IV.

*Ladislai filii coronatio. Ultima Emerici voluntas, et mors.*

Tanto igitur discrimine liberatus *Emericus*, accelerandam sibi putauit *Ladislai* filii coronationem: qua in re ne quidquam morae a quoquam posset obiici, illud tempestive ab *Innocentio III.* obtinuit, ut is *Guilielmo Strigonienſi* tum archiepiscopo VIII. calendas Maii A. 1204. mandatum transmiserit, quo iubebatur, quocumque tempore *Emerico* regi visum fuerit, eius filium, infantem licet adhuc, solitis ritibus inaugurate (a). At cum interea *Strigonienſis* diem suum obiisset, successorisque electio ob contraria suffraganeorum prouinciae episcoporum, metropolitanaeque ecclesiae canoniconum studia in longius protraheretur (b), nec *Emericus* rex litis finem praeſtolari vellet, *Ioanni Colocensi* archiepiscopo, ad *Strigonienſem* metropolim postulato, coronandi filii officium detulit, quo ille etiam

1204

(a) Literas vide apud cl. Dobner Monum. Tom. II. et apud cl. Katona pag. 712.

(b) Illud eo aeuo in Hungaria visitatum fuit, vt episcopum eius ecclesiae canonici: archiepiscopum autem et canonieci, et suffraganei eius prouinciae episcopi eligerent. Sic electum regi praesentare oportuit, qui interduum electionem ratam habuit, interduum, ea insuper habitâ, alium nominauit. Multum nihilominus tot virorum, qui et ecclesiae vaerantis necessitates, et electi dotes optime habebant perspectas, iudicio reges deferebant.

VII. calendas Septembris feria V. eodem anno 1204. (a), nequicquam intercedentibus, iuraque sedis suae facto hoc violari reclamantibus Strigoniensibus canonicis, defunctus fuit, vt ex *Innocentii III.* literis eodem anno X. calendas Decembris ad capitulum Strigonense exaratis eidenter colligitur (b). Solatio hoc, quod ex vnici filii *Ladislai*, ac in aucto folio successoris inauguratione hauserat *Emericus*, non diu frui potuit, non multo enim post inopinato morbo correptus fuit: quem cum lethalem sibi fore persentisceret, *Andream* fratrem e Kheenensi carcere eductum ad se acciuit, eodemque et praesente, et assentiente, vltimae voluntatis suae tabulas condidit: quarum illud erat caput praeципuum, vt *Andreas* dux et pupilli regis curam gereret, et regnum administraret tamdiu, dum ille ad maturam regno aetatem adolesceret (c). Sperabat scilicet *Emericus* *Andream* fratrem, hac in se fiducia delimitum, tutoris munus summa fide obitum, remque commissi sibi *Ladislai* pueri, vt suam, diligenter curaturum. Hac eadem occasione indubium est, coniugis quoque reginae *Constantiae* et dignitati, et autoritati ab *Emerico* fuisse prospectum. Quibus ex sententia gestis, *Emericus*

(a) Chronicon cap. LXXI:

(b) Apud cl. Dobner monument. Tom. II. et apud cl. Katona pag. 739.

(c) Haec certa sunt ex Thoma archidiacono histor. Salonit. cap. XXIV.

ricus tranquillo iam animo decepsit eodem anno 1204. pridie calendas Decembris feria 1204 III. Corpus, ut ipse voluit, in cathedrali ecclesia Agriensi honorifico tumulo illatum fuit (a).

### §. V.

#### *Emerici regis memoria.*

Imperauit Hungaris *Emericus* annos VIII. menes VII. dies VI. Fortis, excelsique animi princeps: de ecclesia, regnoque Hungarico insigniter breui illo regni tempore meritus: multum operae collocauit in *Patarenis* Boissiae haereticis ad rectum fidei trahitatem reducendis (b). Praeter alias Hungariae ecclesias in Strigonensem imprimis munificus fuit, cetera inter palatium regium, in arce Strigonensi situm, eius loci archiepiscopis in perpetuum donauit, retento tamen fibi, si res, et occasio ferret, illic hospitandi iure (c). Collegiatam praepositu-

(a) Chronicon cap. LXX. nisi quod anno MCCL substituendus sit IV. librariorum negligentia omissus.

(b) Disce id ex literis Emerici A. 1203. ad Innocentium III quas ex Raynaldo recitat cl. Katona pag. 680. De argumento hoc utiliter consules cl. Koller in Historia episcopatus Quinqueecclesiensis pag. 264. et sequ. ubi etiam *Patarenorum* appellationis significatio explicatur.

(c) Ex literis Emerici regis A. 1198. datis, quas vide in Analectis Scepusii P. I. pag. 24. Hierarchiae Hung. Part I. pag. 227. et apud cl. Katona pag. 504.

ram Posoniensem ex arce in ciuitatem trans-  
ferri curauit. Cum enim arx illa celebre tum  
esset limitaneum munimentum, periculum erat,  
ne belli tempore, hostes populo pietatis cau-  
sa ecclesiam frequentanti immixti, arcem clam  
subirent, eiusdemque aditus occuparent (a).

**1202** Seruam ante iam iuris Hungarici prouinciam  
paulo firmius sacrae coronae A. 1202. asse-  
ruit, depulso inde perfidiae causa Stephano  
Megaiupano, eidemque suffecto *Vulco*, seu  
*Lupo* fratre, fidelitatem regibus Hungariae  
prius professo. Bulgariae quoque partem  
quinque dioeceses complexam *Ioanni* eius re-  
gulo eripuit, Hungariaeque finibus adiun-  
xit (b), ac, vt perennis esset iuris in ea re-  
gna obtenti memoria, primus Seruam, et  
Bulgariam regiis titulis inferuit. In Dalmatia  
iacturam non mediocrem passus fuit *Eme-  
ricus*. Veneti enim dudum iam maritimis vr-  
bibus inhiantes, Gallorum cruce signatorum  
**1202** classe adiuti, Iadram A. 1202. subegerunt:  
atrocissimum hoc cruciatorum crimen, iniuriamque  
*Emerico* regi illatam adeo acerbe  
tulit pontifex, vt eosdem a fidelium com-  
munione resecuerit (c). Sacra haec poena  
valuit ad Gallos castigandos, Iadram nihilominus  
Hungaris minime restituit.

(a) Ex literis Innocentii III. ad Strigonensem archiepiscopum VIII. calendas Maii A. 1204. datis apud cl. Dobner Monum. Tom II. et cl. Katona pag. 710.

(b) Haec copiosius explicata repertis apud cl. Katona pag. 619. et sequi.

(c) Lege literas Innocentii III. A. 1203. ad cruce si-  
gnatos datas, quas ex Baluzio recitat cl. Katona p. 646.

# LADISLAVS III.

INFANS.

REX XVIII.

A. C. 1204.

§. I.

*Pontificis de Ladislao rege infante paterna sollicitudo.*

Triennis infans erat Ladislaus, cum *Emeric*um patrem amisit. De huius obitu, commissa suae curae pupilli tutela, ceterisque vltimae voluntatis capitibus cum *Andreas Innocentium III.* pontificem certiorem reddidisset: hic pro ea, qua in demortuum regem ferebatur, amicitia, ac ad salutem Hungariae studio, complures eodem die VII. calendas Maii A. 1205. dedit in Hungariam literas. *Andre*-

1205

*am* imprimis grauissimis rationum momentis ad fidelem, sinceramque pupilli curam gerendam, et assentatores, qui dissidia inter vtrumque ferere non sibi religioni ducerent, non audiendos, cohortatus fuit. Speciatim autem monuit, ut annuos redditus pupillo filio, et *Constantiae reginae* viduae destinatos, fideliter administret, pecuniam ab *Emerico* regie legatam in eos, quos ille voluerat, usus eroget, bona denique sacrae coronae pro-

O o 2

pria minime dissipet, aut alienet (*a*). Tum antistites, et proceres Hungariae ad intemeratam fidem infanti regi conseruandam excitauit; insuper vero *Ioanni Colocensi* archiepiscopo, ad Strigonensem metropolim iam tum postulato, commisit, vt cum ceteris regni antistitibus aduersus quosuis hostes, aut turbatores, regi reginaeque matris totis viribus fideliter, constanterque assistant, nec a quoquam eos, eorumdemque aut res, aut homines violari permittant (*b*).

## §. II.

### *Discordiae domesticae infantis regis morte sublatae.*

Innocentii III. de *Ladislao* infante sollicitudinem minime superuacaneum fuisse euenter postea docuit: *Andreas* quippe dominandi libidine abreptus, tutoriae potestatis limites egredi coepit, ac vt cuncta pro arbitrio agere, prodigamque vitae rationem, cui ab adolescentia insueuit, quamque non sine rei communis. damno, ne vt rex quidem unquam dimisit, liberalius posset prosequi, violatis testamenti tabulis, non autoritatem modo, verum etiam redditus tam pupilli regis, quam reginae matris *Constantiae* restrinxit.

(*a*) Haec ex quadruplicibus Innocentii III. literis, quas recitat. el. Katona pag. 759. et sequ.

(*b*) Ibidem pag. 764. et sequ.

Praepostero huic tutoris agendi modo cum nonnulli antistites, atque optimates, pupillo principi ex animo fauentes, obfisterent, *Andreas* id iniuriae loco accipiens, grauiter viros honestissimos insectari coepit. Primus eius vindictam experiri debuit *Ioannes Colocensis* archiepiscopus. Hunc Strigonienes probante *Emerico* sibi metropolitam delegrant, ipseque *Andreas* dux in tutelae *Ladislai* aditu eumdem ab *Innocentio III.* pontifice confirmari petierat, at postquam illum pupilli, reginaeque partibus adhaerere, suisque cupiditatibus aduersari senserat, mutato repente consilio, *Calanum Quinqueecclesiensem* episcopum, olim Dalmatiae, et Croatiae banum, eidem pontifici pro eadem Strigonieni metropoli commendauit (a). Haec, atque alia, quae inde consequi poterant, grauissimis in aula Hungarica dissidiis occasionem praebuere, ut adeo regina mater *Constantia*, quo suae, filiique saluti consuleret, accepto secum diuite thesauro, insignibusque regiis, in plurium antistitum, regnique optimatum comitatu, in Austria ad *Leopoldum* ducem A. 1205. se se receperit. *Andreas* ob inopinatam eam reginae cum pupillo fugam, non mediocrem se domi, forisque inuidiam incursum prae sagiens, mislis continuo in Austria punciis, egit apud *Leopoldum*, vt reginam

1205

(a) Ex *Innocentij III.* literis e. s. datis apud cl. Dobner Monum. Tom. II. cl. Katona pag. 770.

cum filio in Hungariam remitteret, cumque nihil nunciis proficeret, collecto exercitu hostiliter Austriae inuasit: obuiam illi processit *Leopoldus*, pupillum suae fidei a matre creditum, extremis viribus tuiturus: ac reapse atrox, cruentumque bellum tum exarsisset, nisi praeter omnium exspectationem, nunciū Vienna allapsus retulisset, *Ladislaum* eodem anno nonis Maii viuere desiisse: causa itaque belli sublata, princeps vterque positis odiis, dextras sibi mutuo dedere. Corpus *Ladislaei* infantis *Vgrinus* Iaurinensis episcopus in Hungariam reuexit, Albae-regiae tumulo donandum. At regina *Constantia* iniquum sibi affinem auersata, recta inde ad Arragoniam rediit, quadriennio post *Friderico* Siciliae regi, postea Germanorum imperatori, collata, filium olim editura *Henricum*, regem Romanorum. Denique diadema regium, ceteraque insignia per *Leopoldum* ducem in Hungariam sunt remissa(a).




---

(a) Chronicon Admontense ad h. a. apud Hieron. Pez. Tom. II. Col. 195.

---

# ANDREAS II.

## IEROSOLYMITANVS

### R E X XIX.

A. C. 1205.

§. I.

*Andreas II. rerum in Hungaria potitur.*

Confecta cum *Leopoldo* duce pace, ex Austria in Hungariam reuersus *Andreas* sine mora suis comitia Albam regalem indixit, cumque nemo alias e regia domo Hungarica superfstes esset XXVII. diebus a *Ladislai* morte elapsis, IV. calendas Iunii ipso die pentecostes eiusdem anni 1205. per *Ioannem Colocensem* archiepiscopum, nominatum *Strigoniensem*, vsitato ritu coronatus, regni, quod tot curis ambiuerat, possessionem adiit (a). Eodem tempore coniux *Gertrudis*, quam iam tum, cum A. 1199. exul in Austria agebat, 1199 sibi coniunxerat, quamque e carcere Kheuenensi per *Emericum* liberatus ad se reuocauit.

---

(a) Chronicon cap. LXXII.

rat, distincta corona reginarum more inaugura, in regni consortium adscita fuit (a), quam tamen dignitatem neque feliciter, neque diu tenuit.

## §. II.

*Primae turbarum domesticarum cause.*

*Andreae* regnum diuturnum quidem, multiplicibus tamen turbis domesticis continuo agitatum, conuulsusunque fuit, propria ipsius potissimum culpa, quod gubernandi populos artem minime calleret, cunctaque impetu potius, et ex aliorum voluntate, quam maturo consilio, et prudentia ageret, neque in bene coeptis, sapienterque constitutis, quae ad subditos in officio continendos plurimum facit, constantiam adhiberet. Seditionis primae, quae in reginae caput erupit, hae fere produntur causae: vt erat mollioris animi princeps *Andreas*, coniugis suae, matronae sane quam praestantissimae, dotibus, et blanditiis usque adeo se capi sivit, vt illius nutu, et arbitrio non priuata solum aulae, verum etiam publica regni negotia perageret, ac ab illius

(a) Gertrudem coronatam fuisse meminit MS. codex Germanicus seculi XV. a cl. Schier citatus in reginis Hung. pag. 184. nota 7) Coronam autem, quae redimita illa fuit, Wratislauensi ecclesiae donatam refert Curaeus in annal. Silesiae apud Hennelium pag. 243.

fere gratia, et fauor regis, et subditorum fortuna penderet; reginae voluntate exteris, magno numero e Germania illapsos, rex cum bonis, et latifundiis amplissimis excoluit, tum vero maximis domesticorum ingratias, ad praecipuas ciuiles aequae ac militares in regno dignitates, et magistratus admouit (*a*). In reginae gratiam factum, ut Batfiensis, et Colocensis ecclesiarum canonice vñtarum canonici, post archiepiscopi sui *Ioannis Strigoni* translationem, *Bertholdum* reginae fratrem aetate legitima, ex disciplina ecclesiae ad episcopatum necessaria, destitutum, nullis insuper scientiis sacris imbutum sibi A. 1206. metropolitam elegerint: ut adeo *Innocentius III.* qui *Andreae* regi fauebat impensius, pluribus annis illius consecrationem differre debuerit, quo et scientias interea condisceret, et ad idoneam aetatem pertingeret (*b*). Eundem *Bertholdum Andreas* in locum *Banci bani* (*c*) toti Illyrico banum A. 1209. dedit (*d*),

(*a*) Hanc praecipuam caedis reginae causam fuisse affirmat Dlugosius histor. Polon. lib. VII.

(*b*) Ex Innocentii literis ad Andream regem A. 1207. quas ex Baluzio lib. X. recit. cl. Pray. Annal. Tom. I. pag. 197.

(*c*) Clausula diplomatis anno 1209. habet Poth palatino, et Musuniensi comite B A N C B A N O, Michaeli Wayuoda existentibus &c. In imag. Nov. Hung. cap. III.

(*d*) In clausula diplomatis anno eodem 1209. dati legitur iam Bertholdo Colocensi et bano existente apud cl. Wagner Scapusii sacri, et prof. P. I. pag. 105.

triennio autem post Transsiluaniae Wayuodatu (*a*), ac denique Bodrogiensis, et Batensis comitis honore auxit: quos magistratus ante Hungari seculares tenuerant. Atque immodico hoc affinis sui in reginae gratiam ornandi studio, vniuersae prope Hungariae se odium incurrisse, Andreas ipse in literis A.

**1214** 1214. ad pontificem datis, aperte confiteri non erubuit (*b*). Quo regis ipsius testimonio stante, non est, cur alias communis Hungarorum in regem reginamque odii, coniuratio-nisque subinde conflatae causas inuestigemus (*c*). Cum itaque haec omnia ex *Gertrudis* reginae consilio, et voluntate ab *Andrea agi* non ignorarent Hungari, atque ex his initiis grauiora adhuc incommoda se perpe-suros praesagirent, post multa inuicem agitata, communi plerorumque regni primorum con-fessione, in reginae necem conspiratum fuit, *Banco*que recens ad palatini dignitatem eue-to (*d*) negotium datum, vt atrox id facinus

(*a*) In clausula diplomatis A. 1212. legitur iam Bertholdo Colocensi archiepiscopo, et *Wayuoda* exis-tente. Ibide pag. 389.

(*b*) Ob cuius, Bertholdi, *vehementem affectionem, et pro-motionem super alios, fere totius regni nostri ma-zorum, ac minorum odium incurrimus &c.* Literas ex Raynaldo recitat cl. Pray Annal. Tom. I. pag. 205.

(*c*) Historiam Banci palatini coniugis, opera reginae ab eius fratre violatae, inter fabellas reiciimus.

(*d*) In clausula diplomatis A. 1212. legitur Banc palatino, et Keeuieni comite &c. Analect. Sceputii P. I. pag. 389.

ea, quae sibi opportunissima videretur, ratio-  
ne perficeret.

## §. III.

*Gertrudis reginae caedes minime vindicata.*

Sub idem tempus Gallicienses principes, et populus ditioni S. coronae Hungaricae subjecti, missis in Hungariam oratoribus, supplices roguere *Andream* regem, vt filium suum secundo genitum *Colomannum* eis non iam ducis, sed regis titulo praeficeret, coronarique procuraret, polliciti, se, si modo ritu Graecae ecclesiae sibi vti porro concederetur, Romano pontifici, seu vniuersalis ecclesiae catholicae capiti obedientiam professuros (a). Itaque *Andreas* vt res Galliciensium coram in ordinem redigeret, securamque redderet *Colomanno* regni possessionem, ipse filium cum copiis A. 1213. deduxit. Hac re-  
1213 gis absentia abusus *Bancus* palatinus, coniuratorum princeps, captata opportunitate, in aulam se se penetrauit, reginamque *Gertrudem* nil finistri metuentem repente adortus, supplices pro vita manus tendentem barbarum in modum confudit die XXVIII. Septembris, eiusdem anni 1213. Eadem occasione in au-  
1213 licos quoque et exterios, tum forte apud reginam in aula hospitantes, saeuitum fuit: ac

(a) Ex literis Andreac ad Innocentium III. In annal.  
reg. Hung. Tom. I. pag. 205.

nominatum *Leopoldus* Austriae dux ad necem tum perquisitus, aegre admodum fuga se se periculo subduxit (*a*). In *Bertholdum* quoque Colocensem archiepiscopum reginae fratrem violentas iniecere manus coniurati (*b*), verum is, incertum cuius beneficio, seruatus fuit, ac non multo post bona regis venia, peregrinationis cuiusdam praetextu, in Germaniam recessit, clam ablatis secum VII. milie marcarum thesauris, quos *Gertrudis* regina in commodum prolium suarum parsimonia collegerat, ac apud ciuem quemdam consilio fratre *Bertholdo* deposuerat. Idem hic *Bertholdus*, sopia demum tempestate, restitutorque ex annuis ecclesiae Colocensis redditibus thesauri a se subducti pretio (*c*) regi conciliatus, Colocam subinde rediit. Interea *Andreas* e Galicia redux, etsi carissimae sibi conjugis necem acerbissime ferret, postquam tam eam a palatino, potiorum totius regni consensione perpetrata intellexit, ne tot coniuratorum iras viudicta sua exasperaret, a quaestione in necis authores habenda sibi supercedendum putauit, totoque vitae suae tempore tam atrox facinus, in reginam admissum, impunitum reliquit. Atque haec

(*a*) Testatur id Haselbach in Chron. Austriae, cit.<sup>2</sup>  
Cl. Schier in reginis Hungariae pag. 191.

(*b*) Patet ex Innocentii III. epistola 161. anno pontificatus XVI. data.

(*c*) Ex literis Andree regis ad pontificem A. 1214  
scriptis in Annal. reg. Hung. T. I. pag. 205.

*Andreae regis in parricidas indulgentia pa-*  
*lo vehementius doluit primogenito illius fi-*  
*lio Belae, pressitque is diu, quoad nempe*  
*pater vixit, vindictam, at ubi eo mortuo*  
*A. 1235. auitum folium confundit, praeter 1235*  
*omnium exspectationem non modo illos, qui*  
*se inter, ac *Andream* patrem discordias fe-*  
*minauerant, verum etiam superstitem *Banci**  
*palatini progeniem seuerissimis poenis subie-*  
*cit (a). Erat *Gertrudis* regina mulier fane*  
*quam pientissima, ac cum ab aliis sceleribus,*  
*tum vero a lenocinii criminis, quod illi falso*  
*chronica nostra allinunt, immunis (b). Felix*  
*V. prolium genitrix: *Belae* IV. regis, *Colo-**  
**manni Galliciae* regis, *Andreae* ducis, *Mariae**  
**Affani Bulgariae* regi, et S. *Elisabethae* Lu-*  
*douico Thuringo nuptae. Eius corpus in*  
*Pilisiensi Cistercitarum monasterio non sine*  
*honore conditum fuit.*

#### §. IV.

*Andreas expeditionem Ierosolymitanam apparat.*

*Post atrocem hanc procellam, quae multas*  
*adhuc nubes in regni Hungarici perniciem*

(a) Huic tempori conueniunt ea, quae chronicon Turotzii habet, sub finem cap. LXXII. Item chronicon metro-rythmicum MS. apud cl. Schier in reginis Hung. pag. 188. M. Rogerius in carmine miserabili cap. IV. et IX.

(b) Chronic cap. LXXII. et apud Bonfinium decade II. lib. VII. quae merito rejicit Dlugossius histor. Polon. lib. VII.

collectas portendebat, *Andreae* regis domi  
praesentia cum primis necessaria fuit, vt in-  
vestigatis odiorum domesticorum causis, op-  
portuna malis remedia adferre, turbatos sub-  
ditorum animos ad quietem reuocare, ac mo-  
narchiam denique multis partibus laxatam ad  
optatum ordinem posset reuocare. Verum  
communis ille omnibus eius aeui Latinis prin-  
cipibus, non tam Saracenos e Palaestina  
eiiciendi, quam Latinorum dominatum in ori-  
ente constabiliendi ardor, *Andream* quoque  
eodem proficisci coegit. Nil durius nos pro-  
locutos fuisse arbitrabitur ille, cui, quo lo-  
co tum res cruce signatorum in oriente fue-  
rint, est exploratum. Post *Iaacii* Angeli, et  
huius filii *Alexii* Graecorum imperatorum  
interitum, certantibus de principatu *Alexio*  
*Duca*, cognomento *Myrtylo*, et *Nicolao* *Canab-  
bo*, Latini cruce signati, qui iam annum, et  
ultra circum Constantinopolis moenia haere-  
bant otiosi, omni iure sibi licitum existima-  
runt, et vrbe, et imperium orientale sub-  
iugum Latinorum mittere, ac aliquem de suis,  
imperii non sui creare imperatorem. Post-  
quam itaque de spoliis ex aequo diuidendis  
Gallos inter, et Venetos conuentum fuit,  
1204 die XII. Aprilis A. 1204. generali assultu fa-  
cto, vrbe armata manu sunt potiti. Die po-  
stero opulentissima illa totius orientis metro-  
polis summa cum licentia non sine sacrilegiis,  
stupris, et adulteriis barbarum in modum di-  
repta, implacabile in Graecorum animis Latini-  
orum odium accedit, quod tot seculorum  
intervallo in hodiernum usque diem restin-

gūi non potuit: praedae magnitudinem vel  
inde colligas, quod spolia per Gallos tum  
obtenta, CCCC. argenti marcarum millibus  
aestimata sint. Ea re, tamquam insigni aliquo  
in commodum religionis Christianae patrato  
facinore, laeti Latini, VI. Gallos, totidem-  
que Venetos electores iussere, quorum suf-  
fragiis *Baldus* Flandriae comes orientis  
imperator constitutus, die XVII. Maii eius-  
dem anni in principe vrbis S. Sophiae ecclesia  
solenni ritu inauguratus fuit. Verum hic a  
iustitia, temperantia, et castimonia vel Grae-  
cis ipsis amatus imperator, non multo post  
commissa per Latinos in oriente scelera v-  
nus ipse expiass̄e visus fuit. Anno enim non-  
dum euoluto infelici apud Adrianopolim prea-  
lio a *Ioannitio* Bulgariae rege, per Graecos  
in subsidium contra Latinos euocato, victus,  
captusque, postquam annum, et amplius in  
diro carcere exegisset, praecisis manibus, at-  
que pedibus ex alto praeceps actus volucri-  
bus in praedam ceslit, atrocique hoc supplicio  
tridui spatio enectus obiit: habuit is in im-  
perio successorem, germanum suum *Henri-*  
*cum*, qui decennio post die XI. Iunii A. 1216. 1216  
e viuis exceſſit. Hoc igitur cum loco Lati-  
norum in oriente res eſt, non mirum est,  
id eos apud *Innocentium III.* et qui ei A.  
1216. successit *Honorium III.* pontificem per 1215  
literas, et nuncios egisse, vt Latinos Euro-  
pae principes ad pecuniaria subsidia, exerci-  
tusque quam maximo numero in orientem  
mittendos excitarent, vt horum ope debel-  
latis penitus Graecorum, variis in Afiae re-

gnis adhuc dominantium, reliquiis, sibi imperium orientale in perpetuum alfererent. Cum itaque *Innocentius III.* pontifex, et ceteri Latini principes maiorem in modum *Andream* regem ad implendum aliquando *Belae III.* regis votum vrgerent, vt eorum desiderio morem gereret, coepit demum ea, quae ad expeditionem necessaria videbantur, follicite appara-re. Ante omnia, vt tenerarum prolium, *Gertrude* matre orbatarum, saluti, et rectae institutioni absentiae suae tempore prospice-ret, iam A. 1215. coniugem duxit *Iolantem*, *Petri* comitis Antisiodorensis, et *Iollae Hay-noniensis* filiam, quae singularibus virtutibus suis totius sibi gentis amorem conciliauit, ex eo autem tempore *Andreas* ad colligendum belli neruum, conscribendosque domi cruce signatos incubuit: lentius haec agenti geminum calcar breui subiectum fuit, quod omnem iam moram abrumpere coegit. Primum Europae principes in Palaestinam profecturi communibus votis eum sibi sacrae expeditionis ducem expetiere, eius auspiciis, et ductu militaturi: quod in copias tam illustres imperium velut sibi, gentique Hungaricae perhonorificum libentissime *Andreas* admisit (a). Alterum illud erat: post expugnatam per Latinos urbem Bizantinam, *Theodorus Lascaris* primo despota se proclama-ri; postea vero Nicaeae in Bithynia orientis imperatorem

---

(a) *Chronicon Turotzii* cap. LXXIII.

imperatorem A. 1206. coronari procuraue<sup>1206</sup>  
rat, quo illic imperante, cum Graecis sensim  
animos, viresque redire sentirent Latini, Bi-  
zantii domini, vt *Andream* eo certius ad no-  
ua sibi subsidia adducenda permouerent, mis-  
sis in Hungariam A. 1216. legatis, significari<sup>1216</sup>  
curauerunt, se imperium orientale post *Hen-*  
*rici* eodem anno die XI. Iunii e viuis erepti  
obitum vacans, aut *Andreae regi*, aut eiusso-  
cero *Petro*, comiti Antissiodorensi, delatueros:  
qua oblatione vltra modum delectatus *Andrea-*  
*as*, ab *Honorio III.* pontifice consilium de-  
admittendo, aut deprecando hoc honore pe-  
tiit (a). Verum ille seu sponte sua, seu Lat-  
inorum Bizantinorum voluntate *Petro* p<sup>r</sup>a*e* *An-*  
*dra* fuit: quem etiam Romam ea de causa  
profectum, die IX. Aprilis A. 1217. orien-<sup>1217</sup>  
tis imperatorem inaugurauit. Ceterum  
properata haec inauguratio p<sup>re</sup>ssime cessit  
*Petro*. Is enim in itinere Constantinopo-  
lim versus suscep<sup>t</sup>o a *Theodoro Angelo*  
*Comneno* interceptus, post toleratum bi-  
ennio careeris squalorem, miserum in mo-  
dum interiit, quo tempore interea coniux  
eius *Iola* volentibus ita Latinis, rerum Bi-  
zantii potita fuit, atque A. 1219. eodem pro-<sup>1219</sup>  
pe cum marito tempore, viuere desiit. Seu  
itaque carissimi sibi socii *Petri* e *Theodori*  
*Angeli Comneni* captiuitate liberandi studio,  
seu eidem in orientis folio succedendi spe  
animatus *Andreas*, exeunte aestate A. 1217.<sup>1217</sup>

(a) Ex literis Honorii III. quas ex Raynaldo reci-  
tat cl. Pray Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 298.

sacram expeditionem suscipere constituit, oravitque *Honorium* III. pontificem, vt ceteros Europae principes de iungendis sibi praeferito tempore eruce signatorum copiis tempestive admoneret: eadem occasione ultimae voluntatis suae tabulas R̄mam submisit, quarum haec praecipua fuere capita: si quid sibi humanitus interea accideret: *Bela* primogenitus regni Hungarici, *Colomannus* Galliciae heres esto, his forte demortuis *Andreas* tertio genitus succederet (a). Ac reapse priusquam ex Hungaria excessit, *Bela* filium, vndecim tum annos natum, solenniter in regem inaugurarī, eidemque ab omnibus regni ordinibus fidelitatis sacramentum praestari voluit. Quamvis autem omnia supremae maiestatis iura absente se filio exercenda permiserit, vt tamen is semper meminisset, potestatem regiam sibi nonnisi ad tempus reditus e Palaestina esse communicatam, ac tum penitus iterum exspiraturam, sigillo eius haec verba circumscribi curauit. *Bela Dei gratia*, et voluntate sui patris rex Hungariae. Quibus omnibus rite constitutis in *Thomae Agriensis*, *Petri Iaurinensis* episcoporum, multorum magnatum, et nobilium suis sumtibus militaturorum comitatu, cum X. millium exercitu, exeunte Augusto, e Dalmatia in Palaestinam nauigauit.

---

(a) Apud Raynaldum ad A. 1217.

## §. V.

*Expeditio Ierosolymitana.*

Annū non integrū in cruciata expeditiōne commoratus *Andreas* rerum ab se p̄aeclāre gestarū fama orientem vna, atque occidentem compleuit. Profligatos non vna vi-  
ce Saracenos, multisque et locis, et ditionib-  
us spoliatos, adeo in arctum rededit, ut  
numquam ante miseriore fuerint loco (a).  
Superato Iordanē fluuiō, cum victoria ar-  
ma Babilonēm usque proferre parat, p̄aeter  
omnium exspectationē vis omnis cruciato-  
rum in arcis Thabor obsidione adhaesit. Hic  
quippe cruce signatorum principes summo  
belli sacri imperatori morem gerere detre-  
ctantes, id, quod cuique collibuerat, agere,  
atque *Andreae* regis castra sensim deserere  
cooperunt. Foeda neimpe auaritia, et ae-  
mulatio optimos *Andreae* conatus corrupit.  
Cum enim confecto prospere bello, et glo-  
riae plurimum Hungaris attributum iri, et  
opulentissima Asiae spolia eis in praedam  
cessura p̄aeuiderent ceteri cruce signati,  
medio in cursu victoriarum Hungaros, non  
sine irreparabili rei Christianae damno, de-

(a) Ex literis Templariorum magistri ad Honorium III. papam: quibus cetera inter significat: *Eriam*  
*hoc vobis int̄imamus, quod annis pluribus retro-*  
*cris non recolimus paganismum in statu fuisse debi-*  
*liori, quam nunc existat.* Ex Raynaldo in Annal.  
reg. Hung. Tom. 1 pag. 212.

stiuere, quin etiam, incertum tamen quo autore, *Andreae belli imperatori venenum propinatum fuit*, ex quo grauius aliquantum aegrotauit (*a*). Soluta itaque arcis Thabor obfidione, vbi primum, depulso e visceribus malo, melius se habere sensit, nil porro in Christianorum utilitatem siue per se, siue per suos suscipi posse peruidens, redditum in Hungariam maturauit: idque eo maiore cum festinatione, quo plures ex Hungaria nuncios de perturbato totius regni statu interea acceperat. Graeci principes dissidia, quae Latinos inter ceteros, et Hungaros in sacra hac expeditione intercesserunt, subodorati, certatim *Andreae* regis et foedera, et amicitiam aucupari cooperunt. *Leo Armeniae* rex legatos ei ob uiam misit Antiochiam, qui filiam, eius filio tertigenito *Andreae* duci vxorem; atque una dotis titulo Armeniae regnum et suo, et omnium gentis primorum nomine offerrent (*b*). Inde in Graeciam transeuntem *Andream* per honorifice accepit *Theodorus Lascaris*, quem Nicaeae in Bithinia orientis imperatorem contra Latinos A. 1206. inaugurate fuisse iam meminimus. Hic ut Hungaros arctius sibi adiungeret, atque a Latinorum Bizantii dominantium partibus sustentandis eo certius abstraheret, icto cum

---

(*a*) Testis est Thomas archidiaconus histor. Saloni. cap. XXVI.

(*b*) Ex *Andreae literis ad Honorium III. datis Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 214.*

Andrea rege solenni foedere , imprimis *Honorio III.* Romano pontifici, tamquam vniuersalis ecclesiae capiti, obedientiam per legatos propediem mittendos se professurum pollicitus fuit, ac una fidem dedit, id est viribus curaturum , ut dux *Andreas* , *Leonis Armeniae regis filiam cum regno assequeretur : foedera tum inita, cumulata sunt sponsione nuptiali inter *Theodori filiam Mariam*, et *Balam*, *Andreae regis primogenitum*, Hungariae regem , quod ubi et regis , et primorum Hungariae illic praesentium iureiurando roboratum fuit , sponsa *Maria* in Hungariam abducta est, suo tempore , ubi aetas admisisset , matrimonio iungenda (a). Denique *Affanes* Bulgarorum rex *Andream*, per ditiones suas iter habentem, non ante dimisit , quam is iuratam dedisset fidem , de filiarum suarum altera *Maria* illi nuptui tradenda : neue religionis disparitas connubio huic obicem poneret , *Affanes* quoque pollicitus fuit, se retento ecclesiae Graecae ritu , Romanum pontificem Christi in terris vicarium agniturum (b). Atque haec Graecorum, *Andreae regis* foedus , et affinitatem ambientium, studia satis indicant, quanta de Hungaricae gentis potentia, virtuteque bellica apud eos ea aetate fuerit existimatio: ex iisdem his *Andreae* cum Graecis foederibus , Latini Bizantini , Galli , et*

(a) Ibidem.

(b) Ibidem. Meminit horum etiam Thomas archidionensis histor. Saloniæ. cap. XXVI.

Veneti clare iam peruidere poterant, quam parum spei deinceps in Hungarorum suppeditiis collocandum habeant. Hic exitus fuit Ierosolymitanae expeditionis, maxima quidem nominis Hungarici gloria, nullo tamen seu totius Christianae reipublicae, seu Hungariae commodo peractae. Saraceni, Hungaris e Palaestina reverfis, ea, quae antea amiserant, breui iterum recuperarunt: *Andreae* autem, et Hungaris irreparabili potius damno, quam luçro fuit ea peregrinatio. Praeterquam enim, quod immensam pecuniae secum ablatae vim in oriente profuderint, spolia etiam, quae barbaris eripuerant, in diuturni itineris sumtus conuertere sunt coacti, vt adeo facultatibus omnibus exhausti, nonnisi Sanctorum lypsana in Hungariam retulerint. Haec eadem expeditio Ierosolymitana adeo neruos omnes monarchiae Hungaricae absumperit, vt vnius propemodum seculi spatio ad pristinam opulentiam viresque redire nequuerit: non absimile fatum subiere plures alii Europae populi, qui immensa subsidia pecuniaria per Romanos pontifices, duorum prope seculorum interuallo, imponi solita in orientem transmittebant, aut ipsi etiam in belli sacri usum eo secum deferebant: quae, postquam Latinorum res in oriente collapsae sunt, Saracenis demum in praedam cessere (a).

(a) Historiam cruciatæ expeditionis omnium elegan-  
tissime conscripsit cl. Meimburg in opere Gallico,  
quod haud ita pridem non nemo rudi admodum la-  
tinitate donavit.

## §. VI.

*Andreas domum redux perturbatam admodum  
reperit Hungariam.*

Ad cetera Ierosolymitanae expeditionis dama cumuli instar accessit, incredibilis Hungariae perturbatio, omniumque administratio-  
nis partium corruptio, per longam regis do-  
mo absentiam, puerique *Belae* regis imbecilli-  
tatem inuecta. Adeo certe interea gentis  
totius animi ab *Andrea* alienati erant, vt ne-  
que prosperum illius in patriam redditum vllis  
laetitiae signis prosequi, neque limitibus re-  
gni appropinquant vllus honoris, ac huma-  
nitatis causa occurrere voluerit: vt adeo *Be-  
neditus, Iolantae* reginae cancellarius, aegre  
admodum praelatos aliquot qua minis, qua  
precibus adduxerit, vt regi, regnum aestate  
A. 1218. subeunti, obuiam procederent: quo-  
rum in se obseruantiam remuneraturus *An-  
dreas* rex, eorumdem ecclesiis, quae secum  
aduixerat, sacra lypsana dono distribuit (a).  
Atque ex hac ipsa sibi regi occurrentium  
paucitate, quo loco res Hungaricae tum es-  
sent, facile *Andreas* arbitrari poterat. Ce-  
terum grauiora erant mala domestica, quam  
vt primo intuitu ea rex posset perspicere.  
Nonnulli e potentioribus, qui eo iam ante  
audaciae processerant, vt in *Gertrudis* regi-  
nae mortem conspirare non sint veriti, nunc

1218

(a) *Chronicon Turotzii* cap. LXXIII.

tenera pueri *Belae* regis aetate, et *Iolantae* reginae imbecillitate abusi, excusso legum iugo, positoque regiae maiestatis metu, cuncta pro libidine agere, nemini obtemperare, equestrum nobilium ordinem opprimere, ac in seruitutem redigere, interea assueuerant. Limitanearum prouinciarum bani summum in fidei suae commissos imperium exercere, multi parochiani comites regii castri comitantis tributum omne, suum facere, quin ipsa a deo praedia, et terras ad castrum spectantes in suam redigere ditionem: alii alios prouentus regios diripere, ac bona S. corona dicata, vnde reges Hungariae pro dignitate viuere, summorumque imperantium onera tolerare solebant, inter se partiri non sibi crimini duxere, a qua peculium regium de praedandi licentia, ne praelati quidem ecclesiistarum immunes fuere; quo in genere potissimum notatus fuit *Bertholdus* Colocensis archiepiscopus, qui, absente in Palaestina regi, immensa pecuniae vi ex aerario regis subducta, sub principium anni 1218, cum pluribus aliis vtriusque ordinis clientibus suis ex Hungaria profugit, se seque eodem anno in Aquileiensem patriarcham eligi procurauit (a). Cui domum redux *Andreas*, Vgali-

1218

---

(a) Non aliis certe, quam *Bertholdus* esse potuit, de quo *Andreas* tacito nomine conqueritur in literis ad *Honorium III.* datis, in quibus pleraque mala domestica, quorum meminimus, candide recenset. Ut videre est in *Annal. reg. Hung.* Tom. I. p. 214.

num in ecclesia Colocensi successorem nominauit. Sed neque *Bela* rex omni tum culpa vacabat. Assentatorum enim consiliis corruptus, regia potestate, quam solius patris gratia ad tempus exercuerat, se se abdicare, eumdemque se superiorem agnoscere detestabat: sic geminis regibus patre, ac filio ab se inuicem dissidentibus: procerum quoque, ut cuiusuis seu vtilitas, seu cupiditas suadebat, studia geminas in partes diuisa discordiis domesticis, quae ad excidium usque Hungariae per Tartaros inuectum perdurauunt, initium dedere.

### §. VII.

#### *Decreti Andreae II. seu bullae aureae occasio.*

Quadriennio prope post redditum e Palaestina, nauis instar idoneo rectore carentis, continuis fluctibus agitabatur monarchia Hungarica. Communisque calamitas augeri potius, quam diminui videbatur, ea forte de causa, quod *Andreas* nec apta satis malis remedia adhiberet, neque ea libertate et constantia, qua regem oportebat, summo imperio veteretur. Ante omnia operam dedit instaurando aerario regio, cuius fontes ipsi ita depeculatorum fraude exhausti, corruptique erant, ut rex ipse testatus sit, se neque aes alienum, quo se ad expeditionem Ierosolymitanam obstrinxerat, posse expungere, neque quavis adhibita industria, atque parsimonia id per-

annos XV. effecturum, vt vſitati prouentus regii ad pristinam mensuram, quantitatemque reuocentur. (a). Ad sarcendam igitur reddituum dissipatorum iacturam, prium hospites, nobilium praedia excoletes, non modo ad collectam, seu vectigal, verum etiam, reuocata in vſum D. Stephani institutione ad *liberos*, seu libertatis *denarios* aerario suo annis singulis persoluendos adegit: quin ipsos etiam praediales ecclesiarum populos tributo subiecit: monetam quoque argenteam, admixto viliore metallo, magnopere depravatam cudi, eodemque, quo ante valore recipi a suis procurauit. Sed haec eti molesta multis erant, communis tamen boni caſa, leuius tolerari posse videbantur, verum illud toti genti, praesertim autem nobilitati Hungaricae, acerbissime doluit, quod aerario suo certius prospecturus Andreas, mineras, rem monetariam, falinas, tricesimas, bona corona, publica regni vectigalia, ac prouentus denique omnes *Ismaelitis*, religione Saracenis, et Iudeis quaestoribus administrandos locauerit: quibus muneribus nequissimi homines magnam consecuti autoritatem, in omnē hominum genus dominabantur: quamuis autem auctis magna parte redditibus, aerario regio insiguit prospexisse viderentur, potiorem tamen lucri partem, non sine egenae

(a) In lite ris ad Honorium III. in Annal. reg. Hung. pag. cit.

plebis ruina, in suas deriuabat crumenas, vt opibus, atque diuitiis ditissimos quosque ex Hungaris superarent. Denique vt res, atque bona per absentiam suam direpta, ad S. coronae suae ius, atque proprietatem redirent, depeculatoribus, atque raptoribus diem dixit *Andreas*: verum illi maiore scelerere, tribunal patris declinantes, ad filii *Belae* iudicium appellarunt: hunc suum esse regem, huic se, et non alteri parituros declarantes. Ac reapse securum apud *Belam* asylum reperere scelerati homines, vt qui auebat, hac ratione porro etiam tueri, atque exercere autoritatem regiam, quam *Andreas* omni studio diminutum, sublatumque ibat. Quapropter cum crescentibus patrem inter, ac filium discordiis, omnibusque regni Hungarici partibus pessime inuicem cohaerentibus, certam monarchiae toti ruinam praefagirent nonnulli cordati viri, vtriusque ordinis primores, patriae caritate commoti, *Andream* regem orauere, vt communia gentis totius mala, communibus omnium consiliis curatum iret, generaliaque regni comitia indiceret, in quibus inueterati reipublicae morbi opportunis remediis curarentur: quae laesae videbantur ordinum regni praerogativa, in certa capita redactae, renouarentur: patrem inter, ac filium, regem inter, ac subditos concordia restitueretur, ac regia denique autoritas constabiliretur. Paruit recta monentibus *Andreas*, atque primo vere A. 1222. vniuersos regni ordines ad conuentum 1222 generalem se vna, ac filio *Bela* praesente,

habendum euocauit: hic post diligens communium gentis calamitatum non sub *Andrea* solum, verum etiam sub nonnullis illius decessoribus exortarum examen, communi regis utriusque, et regni confensione, celebre editum fuit decretum, quo et subditorum immunitates clarius explicatae, et regiae maiestatis iura definita sunt, quodque ob sigillum aureum *bulla aurea* appellari consueuit: fuit illud normae instar deinceps, qua gens Hungara gubernetur.

### §. VIII.

#### *Bullae aureae capita paucis illustrata.*

**E**t si bulla aurea non solum in codice iuris patrii cetera inter regum Hungariae decreta, verum etiam a pluribus aliis edita, notisque illustrata (a) videri possit, nos eam nihilo minus hic loci inferemus, ac in exterorum potissimum gratiam, id vna p̄æstabimus, vt quae illius capita posterioribus constitutionibus clarius explicata, immutata, aut abrogata, vel certe contraria plurium seculorum consuetudine antiquata sunt, paucis intelligant, videantque simul, quid potissimum famigerato illo decreto, constanter in hodiernum usque diem vsu obseruetur.

---

(a) Cl. Ioannes Szegedi illud A. 1750. typis Laurinibus edidit cum titulo: *Affertor libertatis Hungaricae, Dalmaticae, et Sclavonicae, Andreas II. rex Ierosolymitanus.*

*In nomine S. Trinitatis, et individuae Unitatis.*

*Andreas Dei gratia Vngariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Gallitiae, Lodomiriaeque rex in perpetuum. Quoniam libertas tam nobilium regni nostri, quam etiam aliorum instituta a S. Stephano rege, per aliquorum regum potentiam, vlciscentium aliquando iram propriam, aliquando etiam attendentium consilia falsa hominum iniquorum, vel sectantium propria lucra, fuerat in quamplurimis partibus diminuta, multoties ipsi nobiles nostri serenitatem nostram et praedecessorum nostrorum regum suorum aures precibus, et instantiis multis pulsaerunt super reformatione regni nostri. Nos igitur eoruin petitionibus satisfacere cupientes in omnibus, vti tenemur, praesertim, quia inter nos et eos occasione hac iam saepius ad amaritudines non modicas est procelsum, quod, vt regia honorificentia plenius conseruetur, conuenit euitare (hoc enim per nullos alios melius fit, quam per eos) concedimus tam his, quam aliis hominibus regni nostri, libertatem a S. rege concessam, ac alia ad statum regni nostri reformandum pertinentia, salubriter ordinauimus in hunc modum.*

*Articulus I.*

Statuimus, vt annuatim in festo S. Stephani regis, nisi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albae teneamur solennizare (a).

§. I. Et si nos interesse non poterimus, palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, et vice nostra causas audiet.

§. II. Et omnes seruientes, qui voluerint, libere illuc conueniant (b).

*Articulus II.*

Volumus etiam, quod nec nos, nec posteri nostri, aliquo tempore, seruientes capiant, vel destruant, fauore alicuius potentis, nisi primo citati fuerint, et ordine iudiciario conuicti (c).

*Articulus III.*

Item nullam collectam, nec libras denariorum, liberos seu libertatis denarios col-

(a) Dudum iam, praesertim autem post cladem Mohatsianam, rex, regnique priores S. Stephani regis festum diem Albaeregiae celebrare desierunt.

(b) Hodie causae, quas olim palatinus comes, aut locumtenens ex officio cognoscebat, ad tabulam regiam translatae sunt, decret A 1723. art. XXVI.

(c) Cautio haec stabilitur decret. A. 1723. art. V. conformiter ad Tripart. Part. I. Tit. IX. Consule Tyrocinium iuris Hung. ad tit. cit.

ligi faciemus, supra praedia seruien-  
tium (a).

§. I. Nec in domos, nec villas descen-  
demus, nisi vocati (b).

§. II. Super populos etiam ecclesiarum  
ipsarum nullam penitus collectam facie-  
mus (c).

#### *Articulus IV.*

Siquis seruiens sine filio deceperit, quar-  
tam partem possessionis filia obtineat: de re-  
siduo, sicut ipse voluerit, disponat.

§. I. Et si morte praeuentus disponere  
non poterit, propinqui sui, qui eum magis  
contingunt, obtineant.

§. II. Et si nullam penitus generationem  
habuerit, rex obtinebit (d).

(a) Nobilium a tributo libertas describitur. Decret.  
A. 1723. art. VI.

(b) Summae id gratiae loco habetur apud Hungaros,  
cum terrae principes iter facientes, in priuatorum  
aedibus hospitari dignantur: honor h<sup>e</sup>c et rarus,  
et paucis accedit hodie.

(c) Praedialium ecclesiae nobilium priuilegia, et o-  
nera videri possunt. Decret. A. 1647. art XXVI.  
A. 1662. art. V. A. 1681. art. XLVI. ac denique  
A. 1741. art. LXIII.

(d) Conforme id est S. Stephani decret. lib. II. cap.  
V. XXIV. et XXXV. et Ludouici M. decret. A.  
1351. Haec succedendi ratio vberius docetur  
Tripart. Part. I. Tit. V. XVII. LVII. LXXXVIII,  
et sequ.

*Articulus V.*

Comites parochiani praedia seruientium non discutiant, nisi causa monetarum (*a*), et decimarum (*b*).

§. I. Comites curiae parochiani nullum penitus discutiant, nisi populos sui castris (*c*).

§. II. Fures, et latrones bilochi regales discutiant, ad pedes tamen ipsius comitis (*d*).

*Articulus VI.*

Item populi coniurati in vnum, fures nominare non possint, sicut confueuerunt (*e*).

*Articulus VII.*

(*a*) Cum olim vetus moneta per nouam redimi consueverit, in id inuigilare fuit comitis parochianus; hodie vbi eadem semper probitate, et pondere monetae cuditur, cura haec est superflua.

(*b*) Decimarum causae hodie ad comitatum pertinent ex decreto. A. 1608. art. V. post coron. A. 1609. art. XVII. A. 1613. art. XIX. et A. 1715. art. XXVIII.

(*c*) Postquam Vduornici, et curiales, seu curiae regiae famulantes populi desiere, comitum quoque curialium hac parte autoritas, et iurisdictio desit.

(*d*) Fures, et latrones hodie comitatus, ciuitatum regiarum, aut dominiorum, iure gladii gaudentium, iurisdictioni subiacent.

(*e*) Neque hodie communi populi voce proclamatus fur damnatur, nisi commissi furti reus per idoneos testes probetur.

*Articulus VII.*

Si autem rex extra regnum exercitum ducere voluerit, seruientes cum ipso ire non teneantur, nisi pro pecunia ipsius (a).

§. I. Et post reuersionem iudicium exercitus super eos non recipiat (b).

§. II. Si vero ex aduersa parte exercitus venerit super regem, omnes vniuersaliter ire teneantur (c).

§. III. Item si extra regnum exercitum ducere voluerimus, et cum exercitu iuerimus, omnes; qui comitatus habent, pro pecunia nostra ire teneantur (d).

*Articulus VIII.*

Palatinus omnes homines regni nostri in differenter discutiat.

(a) Lex haec condita est, ne Andreas rex nobilitatem Hungaricam rursus ad expeditionem Ierosolymitanam, propriis sumtibus peragendam, compellat, atque hac ratione rex ipse a repetenda sumtuosa illa peregrinatione sacra prohibetur.

(b) Cautum fuit hac lege, ne quis de criminis aliquo, expeditionis tempore admisso, coram militari iudicio conueniatur, sed potius ad ciuale tribunal citetur.

(c) Hac lege nititur insurrecio Hungarorum, quae post multas alias leges nouissime descripta fuit, Decret. A. 1715. art. VIII. A. 1723. VI. A. 1741. art. LXIII.

(d) Ita olim, hodie hos etiam insurgere oportet vi cit. Decret. A. 1715. art. VIII. et sequ. Decretis ibidem citatis.

§. I. Sed causam nobilium, quae ad perditionem capitum, vel ad destructionem possessionum pertinet, sine conscientia regis terminare non possit.

§. II. Iudices vero vicarios non habeant, nisi unum in curia sua (*a*).

### *Articulus IX.*

Curialis comes noster, donec in curia manserit, omnes possit iudicare, et causam in curia inchoatam, ubique terminare.

§. I. Sed manens in praedio suo, praestaldum dare non possit, nec partes facere citari (*b*).

### *Articulus X.*

Si quis Iobagio habens honorem (*c*) in exercitu fuerit mortuus, eius filius, vel frater congruo honore fit donandus.

(*a*) In novo systemate regni, septemvirum tribunal praefide palatino, aut iudice curiae, vel his impeditis, aliquo e regni baronibus de capite, et fortunis omnibus, summa cum potestate, decretoriā fert sententiam.

(*b*) Ex quo reges Hungariae extra regnum domiciliū fixere, neque Hungaris aulicis, atque curiā libus utuntur, neque comes curialis, seu curiae regiae magister habet, in quos veterem exerceat iurisdictionem.

(*c*) Regni barones, seu optimates oīm dicti sunt Iobbak, et Iobbakiones.

§. I. Et si seruiens eodem modo fuerit mortuus, eius filius, sicut regi videbitur, donetur (a).

### *Articulus XI.*

Si hospites, videlicet boni homines ad regnum venerint, sine consilio regni ad dignitates non promoueantur. (b).

### *Articulus XII.*

Vxores decedentium, vel damnatorum ad mortem per sententiam, vel in duello succumbentium, vel ex quacumque alia causa, non fraudentur dote sua (c).

(a) Hodie dum exstant illustres Hungarorum familiae, quarum patres ob profusum pro rege, et patria sanguinem non modo splendidos magnitudine titulos, verum etiam bona tane quam amplissima cum ab aliis, tum vero ab Austriacis principibus sibi, posterisque promeruere: quae majorum virtutis praemia, posteros etiam ad eorumdem imitationem accidunt.

(b) Ut exteri bonorum, honorumque in Hungaria capaces hodie euadant, per generalia regni comitia in numerum indigenarum recipi, taxam deponere, atque fidelitatis iuramentum praestare iubentur iuxta Decret. A. 1687. art. XXVI. A. 1715. art. XXIII. A. 1741. XVII. et XLI.

(c) Ad mentem D. Stephani Decret. lib. II. cap. XXIV. Sigismundi decret VI. art. XVIII. Mathiae Coruini decret. VI. art. XXVI, et VII. Vladislai II. decret. I. art. LXIII et IV. Vide item Tripartiti Part. I. Tit. XXIX, LXVII, XC VIII, et CIE.

*Articulus XIII.*

Iobbagiones, id est *optimates regni* ita se-  
quantur curiam, vel quocumque profiscun-  
tur, vt pauperes per eos non opprimantur,  
nec spolientur (*a*).

*Articulus XIV.*

Item si quis comes honorifice se iuxta  
comitatus sui qualitatem non habuerit, vel  
destruxerit populos castri sui (*b*), conuictus  
super hoc coram omni regno, dignitate sua  
turpiter spolietur cum restituzione ablatorum.

*Articulus XV.*

Agazones, caniferi, et falconarii non pre-  
sumant descendere in villis seruientium (*c*).

(*a*) Hodie reges nostri in optimatum, baronumne  
regni comitatu regnum, vt olim, obire non so-  
lent; adhaec innumeris legibus cautum est, ne eti  
etiam infimae fortis homini a quoquam iniuria in-  
feratur.

(*b*) Hic loci intelliguntur *Iobbagiones castri* regii co-  
mitatensis, quod militum genus dudum iam exo-  
leuit. Recole hic ea, quae diximus *Introduct.*  
§. VIII.

(*c*) Hoc hominum sibi famulantium genere uteban-  
tur reges nostri veteres, dum adhuc in Hungaria  
degebant, nunc eorum et usus, et nomen desit.

*Articulus XVI.*

Integros comitatus, vel dignitates quas-cumque, in praedia, seu possessiones non conferemus perpetuo (a).

*Articulus XVII.*

Possessionibus etiam, quas quis iusto ser-vicio obtinuerit, aliquo tempore non pri-uetur (b).

*Articulus XVIII.*

Item seruientes accepta licentia a nobis, posseunt libere ire ad filium nostrum, ut a maiore ad minorem, nec ideo possessiones eorum destruantur.

(a) Obscura hac lege duo sancta sunt, quibus non multo post contraria consuetudine derogari coepit. Primo enim terras ad castri regii comitatensis ius, ac proprietatem spectantes ad instar praediorum, ac possessionum ad manus regias vario titulo deuolutarum et Andreas ipse, et, qui ei in solio succe-serunt, inter bene de se, ac patria meritos distribu-ere: praeterea non comitatus solum honorem, verum alias quoque regni dignitates in illustrium meritorum praemium quibusdam familiis hereditario iure collatas fuisse, notius est, quam ut demonstrari oporteat.

(b) Dudum id iam sanxerat S. Stephanus decret. lib. II. cap. XXXV. Colomannus lib. I. cap. XX. quae de his vltior legum sit dispositio, vide Tripart. Part. I. Tit. VI. XVIII. XXVIII. et XLVII.

§. I. Aliquem iusto iudicio filii nostri condemnatum, vel causam inchoatam coram ipso, priusquam terminetur coram eodem, non recipiemus, nec e conuerso filius noster (*a*).

### *Articulus XIX.*

Iobagiones castrorum tenentur secundum libertatem a S. rege Stephano institutam (*b*).

§. I. Similiter et hospites cuiuscumque nationis secundum libertatem ab initio eis concessam teneantur (*c*).

(*a*) Sanctione hæc ita regia patris in filium quoque autoritas stabilita est, vt huius via dignitati et jurisdictioni consultum fuerit, sicque concordia inter duos imperantes restituta, accuratius deinceps iustitiae ordo, et rigor obseruaretur. Ceterum lex haec pro iis solum temporum adiunctis lata, cum Andreæ regis morte desit.

(*b*) *Iobagiones, Iobakiones* seu milites castri ea conditione castrorum regiorum praedia tenebant, vt ab omni tributi, aut seruitutis onere immunes, militiam facerent. Vide *Introduct.* §. VIII.

(*c*) Ut hospites eo libentius in Hungariam immigrarent, iam inde a D. Stephani temporibus, eam cautionem accipiebant, ne a quoquam in seruitutem, mancipiorumque conditionem possent redigi, qua de causa terrae principi, ceu libertatis suae protectori, ac vindici aliquot denarios, qui *liberi denarii* dicebantur, annis singulis pendere consuerint. Consule de his *Introduct.* §. X.

*Articulus XX.*

Decimae argento non redimantur, sed si ut terra protulerit, vinum, fēgetes persoluantur.

§. I. Et si episcopi contradixerint, non iuuabimus ipsos (a).

*Articulus XXI.*

Episcopi super praedia seruientium equis nostris decimas non dent (b). Nec ad pree-

(a) Idem sancitum erat Vladislai II. decret. III. art. XLIX. Hodie et legum dispositio, et usus sanctioni huic e diametro sunt opposita, ac sicubi inito tractatu, pro certa, ac determinata pecuniae summa locatae, et, ut jurisconsulti aiunt, *pactatae* decimae, statuto a iure temporis in eraullo pecunia redimi consueuerunt, nec exigi amplius in natura, nec earum pretium augeri potest. Vide decret. A. 1563. art. LXXII. A. 1647 art. XCV.

(b) Ex D. Stephani concessione ab omnibus sine discrimine decimae episcopo pendebantur, ut ab hoc onere, ne liberi quidem homines, nobiles, ac abbates ipsis eximerentur. Ut videre est S. Stephani decret. lib. II. cap. LIII. S. Ladislai decret. lib. I. cap. XXVII. Colomanni decret. lib. I. cap. XXV. et LXVI. atque hoc ius, et consuetudo decimas e praediis seruientium, sive nobilium percipiendi citato bullae aureae articulo indicatur. Sub Alberto primum, publica regni lege nobiles a decimis e episcopo pendendis imminentes pronunciati sunt. Vide Alberti decret. art. XXVIII. Cui successit Vladislai II. decret. I. art. L. Argumentum hoc erudite pertractat cl. Koller in *Historia episcopatus Quinque-ecclesiensis* Tom. I. Appendice IV. pag. 454. et sequ.

dia regalia populi eorumdem decimas suas  
apportare teneantur (a).

### *Articulus XXII.*

Item porci nostri in filuis, vel pratis ser-  
uientium non pascantur contra voluntatem  
eorum (b).

### *Articulus XXIII.*

Item noua nostra moneta per annum obser-  
uetur a pascha usque ad pascha.

---

(a) Erat tum in more positum, ut episcopi decimas  
deciminarum suarum regi penderent; meminit huius  
*Colomannus rex in diplomate A. 1111. dato*, quo  
Dalmatiæ episcopis eadem, quibus Hungari frue-  
bantur, priuilegia impertitur: cetera inter: *Hoc mo-*  
*do*, inquit *decimationem*, *quemadmodum in Hun-*  
*garia, accipient, praestaldus regis, cum praestal-*  
*dis episcoporum: ex decimatione episcopi,*  
*iphi accipient decimam partem, ex qua praestal-*  
*dus regis dimidiam partem illius decimationis ac-*  
*cipiat, praestaldi vero aliam dimidiæ cum curiali*  
*comite sui episcopi per medium diuidant.* Apud Lu-  
cium lib. III. cap. IV. apud Farlatum T. III. Ce-  
terum his decimarum decimis dudum iam alia suc-  
cessere onera: insurrectionis &c. Huc facit Al-  
berti decret. art. XIX

(b) Hodie etiam camerarium bonorum administrari ca-  
uent, ne pecudes, et pecora cameraria cuiquam  
detrimentum inferant, secus enim ceterorum instar  
nobilium, coram iudicibus regni de damno illato  
conueniuntur.

§. I. Et denarii tales sint, quales fuerunt tempore regis Belae I. (a).

*Articulus XXIV.*

Comites camerarii monetarum, salinarii, et tributarii, nobiles regni nostri sint.

§. I. Ismaelitae, et Iudei fieri non possint (b).

*Articulus XXV.*

Item sales in medio regni non teneantur, nisi tantum in Szabolch, et Regétz, et confiniis (c).

(a) Regis Belae I. denarii argentei eius probitatis, et ponderis fuere, ut quadraginta aureum exaequaerint, hodie mutata iam omnis argenteae monetae specie, eademque stabiliter permanente, lex haec superuacanea evasit.

(b) Ad id tempus munera haec gessere Ismaelitae, et Iudei. Illorum dudum iam nullum apud nos est vestigium, his autem nulla idmodi officia creduntur hodie. Porro Ismaelitae hi non erant posteri eorum, qui sub Colomanno rege Christianam fidem amplexi erant, sed noua eorum colonia quaestus causa ex Persia non ita pridem in Hungariam aduenerat.

(c) In his solum locis teneri, id est, ut nobis videtur, vectigal quoddam soluere iubentur illi, qui salem seu in proprium usum, seu quaestus causa e salinis deuehebant, nunc ad incolarum commoditatem, innumeris in quavis regni parte loqis salinus venalis prostat.

*Articulus XXVI.*

Item possessiones extra regnum non conferantur.

§. I. Si sunt aliquae collatae, vel venditae, populo regni ad redimendum reddantur (a).

*Articulus XXVII.*

Mardurinae iuxta consuetudinem a Colomanno rege constitutam soluantur (b).

(a) Filiabus regum, dum exteris principibus nuptiū dabantur, interdum pecuniae loco, dotis nomine, bona quaedam inscribi consueverunt: *Andreas ipse*, cum se ad expeditionem Ierosolymitanam apparabat, multo aere alieno apud exterorū se se obstrinxerat, quibus idecirco multas, magni censū possessiones, securitatis causa pignori locauerat, certe rū lex haec renouata fuit Alberti decret. art. XVI. ne hac ratione pecunia per dominos in exteris regionib[us] degentes e regno educair[ur].

(b) Diximus suo loco Introduct. §. X. *Mardurinas* idem esse, ac curias, et sessiones, quas terrestres domini hospitibus, ad condendā in praedio villam confluentibus, distribuere solebant: ab his igitur *Marduriniis*, aut sessionibus tributum exigi solitum, *Mardurinarum* appellationem traxit. Quid Colomanni regis aetate hoc nomine solutum fuerit, in obscuro est, at temporibus Andree II. quatuor pondera, seu totidem grossos pendi consueuisse certo constat. Verum hoc vectigalis genus labente aetate exoleuit.

*Articulus XXVIII.*

Si quis ordine iudicario fuerit condemnatus, nullus potentium possit eum defendere (a).

*Articulus XXIX.*

Comites iure comitatus sui tantum fruan-  
tur, cetera ad regem pertinentia, scilicet  
cibriones, (b) tributa, boues, et duas par-  
tes castrorum rex obtineat (c).

*Articulus XXX.*

Item praeter hos quatuor Iobagiones : *Iob-  
bakiones*, scilicet : Palatinum, banum, co-  
mites curiales regis, et reginae, duas digni-  
tates nullus teneat (d).

(a) Id posterioribus etiam legibus severo vetitum ha-  
bemus : Mathiae Coruini decret. VI. art. LXVII.  
Vladislai II. decret. II. art. XVI. Vide item Tri-  
part. Part. III. tit. XXIV.

(b) *Cibrio* mensura vini, Hungaris *Tsöbör*, seu  
*Vrna*.

(c) Olim tertiam partem census, ad castrum regium  
comitatus pendi soliti, comites supremi, seu pa-  
rochiani accipiebant, hodie definitum salarium ex  
aerario regio eisdem numeratur.

(d) Ita tum, at contrarium iam vsu receptum est ho-  
die, vt in reipublicae comitodium, plures etiam  
dignitates, et magistratus, et regni baronibus, et  
aliis capacibus viris a principe conferantur,

*Articulus XXXI.*

Et ut haec nostra tam concessio , quam ordinatio sit nostris , nostrorumque successorum temporibus in perpetuum valitura (a) , eam conscribi fecimus in septem paria literarum , et aureo sigillo nostro roborari (b) . Ita , quod vnum par mittatur domino papae , et ipse in regesto suo scribi faciat . Secundum penes hospitale (c) , tertium penes templum , (d) quartum apud regem , quintum in capitulo Strigonensi , sextum in Colocensi , septimum apud palatinum , qui pro tempore fuerit , reseruetur : ita , quod ipsam scripturam prae oculis semper habens , nec ipse deuiet in aliquo praedictorum , nec regem , vel nobiles , seu alios consentiat deuiare , vt et ipsi gaudeant sua libertate , ac propter hoc nobis , et successoribus semper existant fideles , et

(a) Quae capita decrei huius hodieum valeant , in notis adiectis indicauimus .

(b) De bulla aurea , ceterisque sigillorum regiorum speciebus certiora praestolamur , ab eruditissimo viro Georgio Pray , qui in arguimento hoc illustrando nunc elaborat .

(c) Non Romanum , sed Albense hospitale crucigerorum Ierosolymitanorum ad S. Stephanum hic intellige , quod inter praecipuos eius aetatis conuentus , locaque credibilia censembarunt .

(d) Templum hic per antonomasiam vocatur Albenis basilica B. V. Mariae regum inauguratione , funerationeque celebris , apud quam diadema regium cum clenodiis , solennibusque instrumentis publicis , iura S. Coronae tangentibus asservari solebant .

coronae debita obsequia non negentur. Quod si vero nos, vel aliquis successorum nostrorum aliquo vñquam tempore, huic dispositioni nostrae contraire voluerit, liberam habeant, harum autoritate, sine nota alicuius infidelitatis tam episcopi, quam alii Iobagiones, ac nobiles regni nostri, vniuersi, et singuli, praesentes, et futuri, posterique resistendi, et contradicendi (a) nobis, et no-

(a) Vox *resistendi* per subsequentem vocem *contradicendi* restringi videtur, vt subditis, siquid aduersus Bullae aureae sanctiones iuberetur, *intercedendi* solum; *contradicendi*, ac citra notam infidelitatis idmodi mandatis *non obtemperandi* facultas per clausulam hanc data esse intelligatur, eo fere sensu, quo legalis *contradictio* statutionibus opponi solita accipi consuevit. Quis enim existimet, *Andream* regem tot episcopos, et optimates regni, conuentui illi praesentes, adeo communis reipublicae salutis oblitos fuisse, vt arma subditorum manibus inserere voluerint, quibus non regem solum aggreditantur, verum etiam in se ipsos, non sine multo innocentum ciuium sanguine, tristissimaque patriae ruina, mutuo desaeuant. Ne tamen clausula haec ciuilibus bellis occasionein aliquando daret, eamdem in comitiis A. 1687. art. IV. sufferre placuit: atque ex eo tempore reges nostri cum se ad bullam auream obseruandam inaugurationis occasione obstringebant, eamdem disertis verbis exclusere. Haec clausulae explicatio per nos facta, congruit ad amissim vnanimi ordinum regni in citatis comitiis congregatorum sensui, atque opinioni, quae sic habet: *Licet quidem eiusdem articuli XXXI. praetracta in parte probum sensum, nonnisi quorundam priuatorum prava interpretatio in alienum praeuaricatum ne fors detorquere studuisse*, sanio-

stris successoribus, in perpetuum facultatem.  
 Datum per manus Cleti, aulae nostrae cancellarii, Agriensis ecclesiae praepositi: Anno  
**1222** Verbi incarnati, millesimo, ducentesimo, vi-  
 gesimo secundo. Venerabili Ioanne Strigoniense, reuerendo Vgrino Colocense archi-  
 episcopis existentibus. Desiderio Chanadiensi-  
 fe, Roberto Wespriensi, Thoma Agrien-  
 se, Stephano Zagrabiense, Alexandro Va-  
 radiense, Bartholomaeo Quinqueecclesiense,  
 Cosma Iaurinense, Briccio Vaciense, Vincen-  
 tio Nitriense episcopis existentibus (*a*). Re-  
 gni nostri anno decimo septimo.

---

*rumque suae maiestatis sacratissimae fidelium statu-  
 um, et ordinum numquam ea mens fuisset, quod  
 iuxta illum (per malenos, et seditiosos obuersum)  
 contra legirimum regem, et dominum suum quispiam  
 armis consurgere, et se se erigere queat; hoc ni-  
 hilominus etiam in passu, pro ulterius contestanda  
 devotione, et humillima incontaminatae fidelitatis ob-  
 ligatione sua, ac radicitus eliminanda diffidentia,  
 quae inter regem, et regnum, eidemque annexas  
 partes eapropter fors in futurum suboriri posset,  
 eidem status, et ordines, demissi, complacenti, et  
 subdito animo amuerunt praenarratae clausulae de  
 contradicendi, et resistendi licentia interpositae, a  
 tenore, et sensu praecitati art. XXXI. praeinserti  
 decreti secundi Andreae regis, concomitanterque, et  
 inaugurali iuramento praenarrata forma deposito,  
 mediante praesenti articulari constitutione, exclusae;  
 et semotae. Leopoldi M decret. IV.a rt. IV.*

(*a*) Quid causae sit, quod barones, optimatesque  
 regni decreto huic subscripti non sint, iam ante  
 nos cl. Szegedi miratus fuit in nota fff. ad art. XXXI.  
 Sed nempe autographo o. us est, cui secularium etiam  
 dignitatum nomina apposita esse vix dubitare licet:

## §. IX.

*Nova domus regiae , et regni perturbatio.*

Post editum celebre hoc apud gentem Hungaram decretum, tantum abest, ut reipublicae vulnera consanata sint, ut potius, quemadmodum deinceps visuri sumus, paulo vehementius exasperata, pene incurabilia euaserint, certe ad obitum usque regis *Andreae* perdurauerint. Siquis eorum temporum res gestas non tam e patriis scriptoribus, quam e multiplicibus literis, instrumentisque publicis erutas ad examen reuocet, nullo negotio intelliget, culpam omnem, quo minus tranquilla, et felix tum esset Hungaria, *Dionysio* de Vialka comiti palatino, praecipuae tum apud regem gratiae, ac autoritatis viro, esse adscribendam: ut qui priuata sua, suorumque emolumenta publicis regni commodis anteferens, et priuatas interdum similitates cum patriae damno vlciscens, suapte mobilem *Andreae* regis animum in omnem pro arbitrio flectebat partem, idmodi machinis ad id usus, quibus eum quam certissime capi posse longo usu didicerat. Duobus scilicet laborabat vitiis *Andreas*: primum metu continuo agitabatur, ne per *Belam* filium regem iuniorem e folio deiiceretur, tum vero auxilio admodum, auaroque studio ad corradenda aerarii sui lucra ferebatur. Geminatas animi affectiones et nouis semper fomentis opportune fouere, et aliquantum sopitas excitare nouerat palatinus, ceterique eius-

dem farinae aulae administrī: ex his iisdem capitibus omnis reipublicae Hungaricae perturbatio profluxit, quod haec eadem in causa fuerint, quo minus illa, quae per bullam auream fancita fuerant, in effectum sint deducta. Prima vis tempestatis non multo post in *Belae* regis, eiusdemque coniugis reginae *Mariae* caput erupit. Haec, ut suo loco diximus, per *Andream* regem in Graecia delpon-  
**1218** sa A. 1218. in Hungariam deducta fuit: haec eadem *Belae* regi, postquam quartum supra decimum aetatis annum compleuit, solenni ri-  
**1220** tu A. 1220. copulata, ac reginarum more eodem tempore inaugurata erat: qua tempe- state consueta reginarum Hungariae dos, quam ei *Andreas* in Graecia iuratus promi- ferat, decreta illi, stabilitaque fuit (a). Ve- rum postquam *Andreas* certis nunciis compe- rit, *Theodorum* Lascarem Graecorum impe-  
**1222** ratorem A. 1222. e viuis excessisse, grauif- simis de filio *Bela* agitatus suspicionibus, quo vires illi, res nouas aduersum se moliendi, suc- cideret, regiam illius autoritatem contra, quam bulla aurea art. XVIII. caustum fuerat, arctioribus circumscriptis limitibus, reginae autem *Mariae* eius coniugi magnam partem dotis promissae ademit: quam cum illa sibi reddi, fidemque semel ac iterum datam ad- impleri

(a) Qua forma ante solennem copulationem dos re- giniis Hungariae inscribi consuerit, disce ex in- strumento Beatrici Estensi dato in Annal. reg. Hung. Tom. I, pag. 242.

impleri vehementius vrgeret, *Dionysio* palatino nouas suspicionum, odiorumque causas subministrante, eo irarum se abripi sicut *Andreas*, vt metu omni ob *Theodori Lascaris* obitum seposito, ruptis omnibus fidei, et iurisiurandi vinculis *Mariam* reginam non sine grauissimo totius regni scando, e filii *Belae* thoro A. 1223. eiecerit, coniugiumque ipsum rumpi, dissoluique voluerit. *Maria* regina, tam atroci per sacerorum iniuria affecta, minime despontit animum: quin potius episcoporum Hungariae opem implorauit, causamque et dotis sibi denegatae, et matrimonii sui ad ecclesiasticum forum detulit discutendum; ardua profecto res fuit, irati terrae principis voluntati refragari, praesertim, quod non deerant pessimi assentatores, qui matrimonium hoc citra iuris laesionem diffisi posse regi persuaserant (a). At enim vicit causae aequitas maximis maleuolorum ingratitiis, potior quippe pars antistitum Hungariae, matrimonium per *Belam*, in legitima iam aetate constitutum, libere contractum,

(a) Eruitur id ex literis Honorii III. ad Robertum Wespriniensem episcopum die 22. Febr. A. 1224. datis. *Fraternitatem, inquit, tuam dignis in domino landibus commendamus, quod - - - tu eidem Belae regi, et Mariae uxori suae semper fideliter astitisti, pro ipsorum stans matrimonio, et laborantibus ad eorum diuorium intrepide in faciem eorumdem, iustitiae amore, resistens.* Editae sunt Histor. episcop. Quinqueecclesiensis Tom. II. pag. 12. Not. O).

bienniique et amplius coniugali cohabitatio-  
ne roboratum, nulla amplius ratione separa-  
ri posse pronunciarunt, atque idcirco *Bela* ad recipiendam coniugem, *Andream* au-  
tem ad dotem promissam quantocyus *Mariae*  
tradendam obstrinxerunt. *Bela* rex audita e-  
piscoporum sententia, nil tergiuersatus, con-  
iugem, quam inuitus dimiserat, sine mora  
recepit: qua re adeo atrociter commotus fu-  
it *Andreas*, vt irae, vindictaeque impetu ab-  
reptus, grauius aliquid in *Belam* acturus fu-  
isset, nisi is, imminentis sibi discrimen declina-  
turus, fuga se ad *Leopoldum* Austriae du-  
cem subduxisset (a). Atque hac tempestate  
eluxit imprimis Colocensis archiepiscopi *V-  
golini*, ceterorumque Hungariae antistitum in-  
tuenda, defendendaque causae aequitate  
prudentia, et constantia. *Honorius* quoque  
pontifex, ad quem *Andreas* interea diuortii  
per se facti causas perscriperat, nil, quod  
partium suarum erat, desiderari passus fuit,  
1224 datisque XII. Martii A. 1224. ad *Andream*  
regem literis, paterna caritate, et circum-  
spectione plenis, umbras imprimis suspicio-  
num, quas ille de *Bela* filio maligne con-  
ceperat, dissipare, sinceramque eos inter  
concordiam restituere conatus fuit; *Belam*  
quoque regem per literas hortatus fuit, vt  
se se deinceps morigerum, et reuerentem

---

(a) Ex literis Honorii III. ad Vgolinum Colocensem,  
ceterosque episcopos eodem die, et anno datis in  
Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 226.

filium exhiberet, monuit denique illius aulicos, ne vñquam idmodi consilia eidem suggererent, quibus *Andreas* iure offendī, regnumque posset perturbari (a). Atque his artibus effectum est, vt *Andreas* revocatum ex Austria filium vna cum nuru in gratiam reciperet, ac non modo matrimonium ratum haberet, verum etiam consignata *Mariae* dote, filio quoque certas vltra Tibiscum ditiones assignaret, vnde regis iunioris dignitatem decentius tucretur. Ceterum non tam ex animo, quam turbarum, quae facile ori-ri poterant, metu haec cum egisse visus fuit *Andreas*: filium quippe *Belam* ex palatini con-filio, porro etiam oderat, atque ita ab omni regni administratione semouerat, vt ne con-silium quidem illius vñquam admitteret, ac eos omnes, qui eius curiam sequebantur, aperte insectaretur. In ecclesiasticos etiam Hungariae, ob latam pro valore matrimonii, doteque *Mariae* reginae praefenda senten-tiam, grauem fouit indignationem, quam-mox, quemadmodum narraturi sumus, lucu-lentis argumentis prodidit. His domus regiae discordiis vtcumque sopitis, aliis sub cine-re gliscebat ignis, qui atroci incendio vni-versum regnum iterum inuoluit. Decretum erat bullae aureae art. XXIV. vt comites camerarum, ac salinarum, monetarum, tribu-

(a) Haec omnia complectuntur literae Honorii III. ad regem Andream anno cit. datae. Vide histor. episcop. Quinqueecclesiensi, Tom. III. pag. 12.

torumque colligendorum curatores, ex Hungaris nobilibus constituerentur, Ismaelitis, et Iudeis ab eorumdem administratione exclusis. Verum *Andreas* satis habens *Samuel* quemdam Hungarum camerae comitem praefecisse, prouentuum regiorum curam porro quoque circumcisis hominibus locauit, non sine incredibili tam regni, quam religionis sacrosanctae detrimento. Ismaelitae quippe, et Iudei exaggerato salis, et metallorum pretio, foeda monetae argenteae corruptione, auara census, et tributorum exactione, tum quoduis aliud hominum genus, tum vero egenam plebem dirum in modum diuexabant. Euenerat non raro, vt Christiani, cum ad pendenda vectigalia aes deerat, teneras suas proles auaris his foeneratoribus obtulerint, quas illi mox legibus, ritibusque suis initiare sunt conati: non deerant, qui miseram conditionem suam pertaesi, vt dominantis iam in regno gentis gratia commodius vitam ducere, ac aliquid lucri facere possent, abiecta religione Christiana, altervtrius coetui adscribi voluerint, aut certe vltro se eorumdem obsequiis mancipauerint, vnde ingentem illi Christianorum mancipiorum multitudinem collegerant. Crescentibus subinde opibus, atque potentia, Ismaelitae, et Iudei amictu ipso se se Hungaris conformarunt, vt nullo iam exteriore signo ab eisdem distinguerentur, tantamque brevi cum Hungaris iniere familiaritatem, vt, Ismaelitae praesertim, nobilium filias in coniugium obtinerent, ac praeter has, innumerabi-

lem puellarum Christianarum cateruam concubinarum loco domi suae alerent, quas subinde, in maritorum suorum gratiam, non pudit religionem ipsam eiurare. Haec omnia, cum nemo esset, qui pro potestate prohibere vellet, aliquot annorum interuallo non modo exiguus ante circumcisorum numerus in immensum creuit, verum etiam multa Christianorum millia ad Ismaelitarum superstitionem transiere (a).

### §. X.

*Grauis in ecclesiasticos Hungariae tempestas exoritur.*

Mala haec aut ignorabat *Andreas*, aut leuiora certe esse existimabat, quod ea studiose celarent, ac eleuarent *Dionysius de Vialka* palatinus, tum *Samuel* antea comes camerarum, et, qui huic in munere successerat, *Nicolaus tauernicorum comes*, qui priuati haud dubie sui lucri causa, Ismaelitas, er Iudeos

(a) Nil nos de hac Hungariae depravatione exaggerate scripsisse, certum est, imprimis ex Honorii III. papae literis ad Vgolinum Colocensem archiepiscopum X. calendas Sept. A. 1225. exaratis, quas ex regesto pontificatus anni X. summa fide exscriptas possidemus, alteri tamen et tempori, et loco vulgandas asseruamus. Tum vero ex Gregorii IX. papae literis A. 1231. et Roberti archiepiscopi anathematis sententia A. 1232. vulgata. In Annales reg. Hung. ad annos cit.

totis viribus tuendos, defendendosque suscepserant. Ab his tribus ita semper regis aures obfessae tenebantur, vt nemini alteri, ne *Belae* quidem regi, paterent. Cum itaque antistites Hungariae intercluso sibi ad regis audientiam aditu, nullum grassantibus malis ab eo remedium adferri cernerent, ea saltem, quae in potestate habebant, ad impediendam religionis ruinam sibi adhibenda putauere. Quapropter, vt prohiberent, ne Ismaelitae, atque Iudaei non solum S. canonicis, verum etiam legibus patriis prohibita cum Christianis feminis inirent connubia (*a*), circumcisos Christianarum maritos ad sacrum tribunal euocare, ac quemadmodum a D. *Ladislao*, et *Colomanno* regibus constitutum fuerat, non modo concubinas, verum etiam uxores ab eisdem separare cooperant, vtque latae a foro sacro sententiae eo certius executioni darentur, pro eo, ac D. *Stephanus* decreuerat, regni procerum, atque magistratum operam adhibebant. Quam acerbe hanc episcoporum severitatem tulerint circumcisi, facile quisque arbitrabitur; quelas igitur ad protectorem suum, comitem palatinum deferunt, connubia sua aduersum humanas, Diuinasper leges per ecclesiasticos turbari lamentantur. *Dionysius* palatinus circumcisos, etiam cum regni, religionis iactura tueri certus, regem adit, atque oblatam in causa dotis, et matrimonii *Mariae*

---

(*a*) S. Ladislai decret. lib. I. cap. X.

*reginae* paulo prius sententiam, ecclesiastico ordini infensum eo pertrahit, vt edito decreto, causas dotis, matrimonii, huiusque accessoria a foro spirituali ad seculare tribunal transstulerit: ex aduerso autem ecclesiasticos omnes, nullo discrimine, in causis tam realibus, quam etiam personalibus, secularibus regni iudicibus subiecerit. Quantaे hinc rurſus domi turbæ enatae sint, facilius quisque cogitando afflueret, quam nos verbis explicare possimus. Ecclesiastici, ne sacri sui fori iura per D. Stephanum, *Ladislauum*, et *Colomannum* reges publicis regni constitutionibus stabilita, ac duorum, et amplius seculorum praxi, et consuetudine roborata regio quidem decreto, sed dolo, ac fraude palatini extorto, sufferrentur, solliciti, omnem mouere lapidem, ac licet in causis realibus, vt sunt *possessionariae*, ordinariorum regni iudicum autoritatem nulla ratione in dubium reuocarent, negabant tamen se eisdem in causis pure personalibus parituros, quod *priuilegio canonis, et fori*, D. Stephani, *Ladislai*, et *Colomanni* constitutionibus, et duorum seculorum vsu confirmato nollent renunciare. Quae cleri in tuendis sacri sui ordinis iuribus constantia eo praecipitem egit *Dionysium palatinum*, vt is nonnullos ex praelatis, qui cupiditatibus eius paulo vehementius obstiterant, omni iniuriarum genere impune affecerit: alii ex his facultatum suarum direptione, alii bonorum ecclesiae proprietorum ablatione, alii beneficiorum priuatione illius autoritate sint multati, omnium

autem praelatorum populi insolitis collectis, et vectigalibus sint subiecti. Neque hic illius furor constitit, complures enim ecclesiastici ordinis viros, ac nominatim *Benedictum Scepusensem*, et magistrum *Ioannem Posoniensem* praepositos impactis barbarum in modum alapis, atque verberibus caedi curauit (a). Hac, nisi nos omnia fallant, temporis intercapedine factum fuit, ut complura bona tam ecclesiastica, quam ea, quae *fiscalia* vocamus, inscio *Andrea* rege, palatinus inter clientes, partiumque suarum asseclas distribuerit, quin etiam subducto fortasse sigillo regio, non pauca diplomata, atque priuilegia, non sine magna priuatorum iurium conuulsione, emanauerint. Ut adeo *Andreas* rex fraude serius postea comperta, nouum sigillum confici curauerit, cui haec epigraphe inscripta fuit: *Istud sigillum est verum, alia sigilla sunt falsa*, atque hoc sigillo diplomata illa, quae in doli suspicione venire aliquando poterant, roborari oportuit. Haec eadem sigilli regii falsificatio in causa fuit, vt *Bela IV.* rex *Andreae* in folio successor, missis in omnes regni partes arbitris, earum potissimum possessionum, quas quis recentius a patre illius sibi donatas esse contendebat, iura, literasque exhiberi voluerit, quo res legitimis dominis ini-

(a) Meminit harum Robertus Strigonensis. In Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 235.

que olim ablatae postliminio restituerentur  
(a). Atque haec erat Hungariae *Andrea II.*  
imperante facies.

### §. XI.

*Robertus Strigoniensis toti Hungariae sacris interdicit.*

Deplorandam hanc non ciuilium modo, verum etiam sacrorum iurum conuulsionem, oppressionem ordinis totius ecclesiastici, ac lentam denique religionis ipsius euersionem, vbi e multiplicibus literis, nunciisque didicit *Gregorius IX.* pontifex, qui A. 1227. 1227 die XIX. Martii *Honorio III.* in pontificatu succeſſerat, pro eo, ac par erat, grauiter ingemnit: ne tamen inconsulta feueritate exasperato regis animo, mala de fe grauia, multo adhuc acerbiora redderet, omni sibi humanitate, circumspectione, et longanimitate cum eodem agendum putauit: humanissimis itaque admonitionibus *Andream* ad remouendos ab auribus suis nequissimos homines, ad redigendos in ordinem circumcisos, iniurias ecclesiastico ordini illatas quantocvus repandatas, ac ea denique, quae pro totius monarchiae salute per bullam auream sanxerat, adimplenda excitare conatus fuit: cumque haec non proficere intelligeret, ne quid ab-

(e) Vide Rogerii carmen miserabile cap. V,

sens, et remotus temere susciperet, datis die  
**1231** III. Martii A. 1231. ad *Robertum Strigonien-*  
 sem archiepiscopum literis, postquam mala  
 omnia, quibus religio, et ecclesia in Hunga-  
 ria opprimi videbatur, prolixe exposuisset (*a*),  
 eidem negotium dedit, vt pro ea, qua antea  
 semper apud *Andream regem* valebat, gratia,  
 et autoritate, studeret illum ad corrigenda  
 mala permouere, suas adhæc ei vices detu-  
 lit, plenamque id, quod ex ecclesiae bono  
 videretur, agendi fecit potestatem. *Rober-*  
*tus* demandatam sibi prouinciam pro virili  
 complexus, cum apud obseffas per aulicos  
 regis aures nil impetrari posse videret, *Dio-*  
*nygium palatinum*, *Nicolaum tauernicum*, *Sa-*  
*muelem*, ceterosque regis ministros omni  
 possibili studio, et caritate adhortari non  
 desinebat, vt a protegendis cum regni, re-  
 ligionisque damno Saracenis, atque Iudeis  
 desistere, a perniciosis consiliis regi suggeren-  
 dis abstinere, operam denique suam ad euel-  
 lenda radicitus mala, et scandala publica col-  
 locare tandem aliquando in animum induce-  
 rent. Vnus solummodo *Nicolaus tauernicus*  
 anteactorum poenitidine duci videbatur,  
 pollicitus se, quantum per se licuerit, eadem  
 primo quoque tempore emendaturum: cete-  
 ri ad paternam archiepiscopi admonitionem  
 magis adhuc obstinavere animos. Itaque

(*a*) Legi merentur literae pontificis editae in Annal.  
reg. Hung. Tom. I. pag. 232.

*Robertus* collato cum ceteris Hungariae antistitibus consilio, mense Decembri A. 1232. Budae decretum edidit, ac per omnes dioeceses promulgari procurauit, quo communium calamitatum causas, et adhibita sine fructu ad easdem curandas remedia complexus, toti primum Hungariae sacris omnibus interdixit, tum vero speciatim *Dionysium* comitem palatinum, mali omnis autorem, *Samuelem* item, ac ceteros aulae regiae ministros a fidelium communione resecuit. *Nicolao* denique taurino trimestre spatium definiuit, intra quod, quae se pro suo camerarum comitis munere correcturum promiserat, in effectum dederet. Regem porro, cuius sacrosanctum caput citra grauissimam totius monarchiae, et ecclesiae perturbationem laedi non poterat, quemque non ignorabat, alieno potius omnia, quam suo agere consilio, a censoris toti regno communibus disertis verbis exemit: quo quidem et singularem suam prudentiam, atque circumispectionem, et debitam summo imperanti reverentiam *Robertus* quam luculentissime patefecit (a).

---

(a) Interdictum hoc vide Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 235.

## §. XII.

*Andreas rex iuratam dat cautionem de malis corrigendis.*

Xristi eo edicto per vniuersum regnum promulgato, occlusis vbiue templorum foribus, a sacrosanctis religionis nostrae ministeriis, et publica sacramentorum administratione cef-satum fuit: qua sacrarum aedium solitudine, atque silentio, ingemiscensque eapropter Christiani populi fletu, atque lamentis quasi e somno excitatus *Andreas*, pronas iam Roberto Strigoniensi archiepiscopo aures praebere in animum induxit, per quem de foeda totius regni depravatione, palatini potissimum crimine introducta, edoctus, tum primum sentire coepit, quo eum prava suorum consilia deduxerint: quantumue longa tot annorum connuentia, non profanae minus, quam sacrae reipublicae detrimenti consciuerit. Videlicet profecto ob summam libertatem, atque potentiam Ismaelitis, hominibus ritu Saracenis, et Iudaeis in regno Christiano concessam, ob exagitatos horum tuendorum causa honestissimos quosque, praesertim ecclesiasticos, regni primores, non sacri solum ordinis, verum etiam secularium procerum, atque nobilium, quin ipsius infimae plebis odia se se incurritse, vt adeo, si *Bela* filius communi potiorum gentis alienatione abuti, seditionemque commouere voluisse, quod vnum *Andreas* metuebat, actum omnino de eius corona videretur. His igitur omnibus

per otium rite expensis , non mediocriter compunctus rex , inueterata mala a radice curare aggressus , *Iacobum Praenestinum*, sedis apostolicae legatum , Roma sibi mitti flagitauit : quo arbitro , collatis vna cum *Bela* , et *Colomanno* , atque potioribus regni consiliis , solenne instrumentum reformatio-  
 nis A. 1233. confici curauit , ad cuius obser- 1233  
 vantiam ipse primum rex , tum *Bela* , et *Co-  
 lemannus* filii , ac regni denique primores iurisiurandi religione interposita se se ob-  
 strinxere . Instrumentum hoc praecipua malorum tum graffantium capita , ob quae Hungaria interdicto affecta fuit , complectitur , quae nos ad maiorem narrationi nostrae fidem conciliandam hoc transferemus : (a)  
 „ Capitula autem haec sunt : Iudeos , Saracenos , Ismaelitas de cetero non praeficiens nostrae camerae , monetae , salibus , collectis , vel aliquibus publicis officiis : nec associabimus eos praefectis prouentuum , nec in fraudem aliquid faciemus , propter quod ab ipsis possint opprimi Christiani . Item nec permittemus in toto regno Iudeos , Saracenos , vel Ismaelitas praefici alicui publico officio . Item faciemus , quod Iudei , Saraceni , siue Ismaelitae de cetero certis signis distinguantur , et discernantur a Christianis . Item non permittemus Iudeos , Saracenos , et Isma-

---

(a) Instrumentum hoc ex Odorico Raynaldo editum vide in Annal. reg. Hung. Tom. I pag. 237.

„ elitas mancipia Christiana emere, vel ha-  
 „ bere quocumque modo, et promittimus  
 „ per nos, et successores nostros constitu-  
 „ ere, et dare singulis annis palatinum, vel  
 „ alium de Iobagionibus nostris, quem vo-  
 „ luerimus, Christianae fidei zelatorem,  
 „ quem faciemus iurare, quod mandatum  
 „ nostrum secundum ista fideliter adimple-  
 „ bit, et ad petitionem episcopi, in cuius  
 „ dioecesi sunt, vel erunt Iudei, pagani,  
 „ et Ismaelitae, ut Christianos extrahat a  
 „ dominio, et habitatione Saracenorum,  
 „ vel ut Saraceni, Christianorum quomo-  
 „ documque mulieribus copulati, siue sub  
 „ specie matrimonii, siue alio modo, bo-  
 „ norum omnium copulatione tam Christiani,  
 „ quam Iudei, vel Pagani multentur, et  
 „ nihilominus in seruitutem Christianorum  
 „ per regem perpetuo deputentur, „ Haec  
 ad deprimendam Ismaelitarum, et Iudeorum  
 potentiam pertinent, iis, quae sequuntur,  
 ordinis ecclesiastici indemnitat, et iurisdi-  
 ctioni sacrae, quam ex *Dionysii* palatini in-  
 stigatione violatam, ac prope sublatam nar-  
 rauimus, prospectum fuit. „ Item nolumus,  
 „ nec permittimus, quod de cetero tracten-  
 „ tur causae dotium, vel matrimoniales per  
 „ nos, vel per alios iudices seculares, quia  
 „ de his nolumus nos intromittere, nec de-  
 „ bemus, sed per iudices ecclesiasticos  
 „ tractentur, et terminentur. Item volumus,  
 „ et consentimus, quod clerici, et personae  
 „ ecclesiasticae respondeant, et conuenian-  
 „ tur coram ecclesiastico iudice super omni-

„ bus, exceptis iudiciis terrarum, de qui-  
 „ bus volumus, quod tam per vos domine  
 „ legate, quam per nos consulatur dominus  
 „ papa, expressis eidem circumstantiis facti,  
 „ in quibus circumstantiis inter alia expri-  
 „ matur, quod vos a praelatis Hungariae  
 „ perceperitis, quasi iudicia terrarum eccle-  
 „ siasticarum subtraherentur a nostro iudicio,  
 „ damnosum esset ecclesiis plurimum, et per-  
 „ iculosum, quia per hoc multa de iure ec-  
 „ clesiasticis possent deperire (a). Nullas  
 „ collectas, et nullum lucrum imponemus,  
 „ vel recipiemus a clericis, vel ecclesiasti-  
 „ cis personis, et contra eorum priuilegia,  
 „ si quae habent, scientes non veniemus,  
 „ super collectas vero per regnum nostrum  
 „ aliis imponendas, per nos, et legatum  
 „ consulatur dominus papa (b), sicut conue-

(a) Gregorius IX. eiusdemque legatus iuris nostri  
 ignari, contendebant, ut causae possessionariae  
 ecclesiasticorum coram foro ecclesiastico tractaren-  
 tur. At enim obstitere praelati Hungariae, cum  
 propterea, quod ex D. Stephani institutione regem  
 haberent bonorum ecclesiasticorum protectorem,  
 ac vindicem, tum vero, quod iisdem cum cetera  
 nobilitate Hungarica iuribus possessionariis gauden-  
 tes, nollent se se a communi reliquis nobilibus iu-  
 dicii forma eximi.

(b) Noua iterum quaestio enata erat, num commu-  
 nia ceterorum regni nobilium subditis onera, at-  
 que tributa, ecclesiasticorum quoque populis im-  
 ponenda sint, a quo iure Andreas minime sibi re-  
 cedendum putauit.

„ nimus cum eodem de consultatione facien-  
 „ da domino papae super iudiciis terrarum.  
 „ Et haec omnia sponte , et sine conditio-  
 „ ne promittimus „. Hactenus iurata pro-  
 missio per *Andream* regem facta , quae vbi  
 confecta , editaque fuisset , *Robertus Strigo-*  
*nensis archiepiscopus* , Hungariam ab inter-  
dicto liberavit.

## §. XIII.

*Bulla aurea clarius explicata renouatur.*

**E**t si *Andreas* partem promissorum , quae de ecclesiastici ordinis immunitate , iurisdictio-  
neque erant , expleuerit , ea tamen , quae de Ismaelitis , et Iudeis iuratus sanxerat ,  
executioni dare tergiuersabatur , lucra scili-  
cket , quae circumcisi per prouentuum regio-  
rum administrationem annis singulis aerario  
regio inferre videbantur , tanti erant apud  
*Andreae* animum , vt posthabitibus totius gen-  
tis Hungaricae murmuribus , atque querelis ,  
porro etiam eosdem in prioribus muneribus  
tolerare non dubitauerit , neque prius illi ,  
quam postquam *Bela* rex rerum potitus fuit ,  
dominatu suo deiecti , ac in seruitutem sunt  
redacti . *Bulla* quoque aurea tantis cum so-  
lennitatibus , et cautionibus olim edita , duo-  
decim prope annorum neglectu , fere in ob-  
liuionem abiuerat . Multa eius capita bre-  
uibus concepta , variis interpretationibus lo-  
cum dederant , vt adeo et rex , quemadmo-  
dum

dum sibi commodum erat, passim illius sanctionibus contraria ageret, atque decerneret, et subditi quoque regis imitatione impune semet ab earum obligatione, subtraherent. Odia quoque totius gentis in palatinum, maiorum omnium autorem, usque adeo increuerant, ut eum magistratu suo deiici boni omnes flagitarent. Denuo igitur perturbatis domi rebus, cum omnia seditionem minarentur, generalia regni comitia A. 1234. indici 1234 oportuit. Hic collatis diligenter in medium consiliis, non modo ea, quae coram Iacobo Praenestino legato apostolico iuratus promiserat, Andreas rata habuit, verum etiam *bullam auream* plerisque illius capitibus clarus explicatis atque illustratis, renouauit: non erit abs re fortasse alterum hoc *Andreae regis* decretum hic loci subnectere, ut quid inter illud, ac *bullam auream* intersit discriminis, possit intelligi: quem etiam in finem, totum decreti corpus in sua capita dispesceamus, notisque illustrabimus. Sic autem habet:

In nomine sanctae, et individuae Trinitatis ANDREAS Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Galliae, Lodomeriaeque rex in perpetuum. Concedimus tam eis, *id est regnis, quae enumerauit*, quam aliis Iobbagionibus, et servientibus regni nostri libertatem a sancto regge concessam, et alia ad statum regni nostri ordinandum pertinentia.

*Caput I.*

In festo S. regis nostri , nisi arduo negotio regni nostri ingruente , vel infirmitate prohibiti fuerimus , Albae teneamur solennizare , vt ibi oppressi , fine timore , querimonias suas nobis possent exponere . Sed si nos non possumus interesse , palatinus interesse tenetur , et vice nostra causas audiat , et omnes seruientes nostri , et alii , qui volunt , libere , et sine timore illuc conueniant . Praelati ecclesiarum , aut archiepiscopi , et episcopi ad pauperum querimonias audiendas ex infra scriptae formae libertatis confirmatione , nisi canonica praepeditio fuerint impediti , tenentur interesse (a) .

*Caput II.*

Si palatinus interim male administrauerit negotia regis , et regni , supplicabunt nobis , vt utiliorem loco eius instituamus , quem volumus (b) .

(a) Congruit cum bullae aureae art. I. nisi quod pauperum potissimum iuuandorum causa , Albensis ilius summi tribunalis *Coiudices* constituti sint praelati . Sanctione hac respexisse videtur *Andreas* ad synodalia iudicia , per Colomannum regem introducta .

(b) Lege hac sublata fuit perpetuitas dignitaris palatini , eam nihilominus Dionysius totius regni in gratiis , ad obitum usque *Andreas* regis tenuit , nonnisi Bela IV. ad foliam euecto , in ordinem redactus . Observa ex transitu ea aetate palatini electionem in folius regis arbitrio fuisse .

*Caput III.*

Quod nec nos, nec posteri nostri aliquos vñquam capiant, vel destruant, nisi prius ordine iudicario conueniantur, et cum ista sacramento nostro, et principum nostrorum fuerint confirmata, siqui per nos, et filios nostros, vel per quoscumque per idem tempus, scilicet ab anno XVII. regni nostri, fine iudicio sunt spoliati, plene restituantur (a).

*Caput IV.*

Item nullam collectam, nullam exactionem, nec lucrum camerae quocumque nomine posse censeri, occasione aliqua super homines cuiuscumque nationis, vel conditionis collegi faciemus exceptis, qui fisco in censu debito tenentur (b).

*Caput V.*

Super domos seruientium, vel villas nec nos, nec agazones, nec falconarii, nec caniferi, nec curriferi nostri descendant ipsis iuitis. Vbicunque autem alibi nos, vel dictos officiales nostros descendere contigerit, iustum aestimationem solui faciemus. Sicut in sequentibus continetur, et quia pro-

(a) Hoc loco bulla aurea art. III. illustratur, et confirmatur.

(b) Ali quanto amplius extenditur hic immunitas a tributis decreta bullae aureae art. III.

pterea tam per descensus nostros, et dominae reginae, ac filiorum nostrorum intollerabilia damna, et grauamina per totum regnum fieri videbamus, districte praecipiendo statutimus, ut nihil recipiatur ad coquinam nostram, vel nostrorum, nisi iusto dato pretio (a).

### *Caput VI.*

Pro domestico autem, seu *Hungaro*, cui iustitia exhibita non fuerit, tres rustici de villa iurare debeant, et ad eorum iuramentum hospes, quicumque fuerit, domestico plenam faciet iustitiam, cum iudicali regali, et dominus villae quicumque fuerit, siue archiepiscopus, siue episcopus, siue nobilis: ille per literas hoc verbo veritatis dicere teneatur; quicumque vero nobiles iuxta formam statuti nostri iustitiam non fecerint, tales quilibet episcopus in sua dioecesi excommunicet, et nos eos pro excommunicatis tamdiu habebimus, donec iniuriam passo satisfiat competenter (b).

(a) Consentit cum bullae aureae art. III. et XV. Coercetur hic aulicorum cum rege itinerantium licentia.

(b) Ut hospes, seu aduena de damno indigenae illato conuinceretur, trium juratorum testimoniun necessarium erat, de satisfactione autem laeso impensa terrestris dominus fidem dare debuit.

*Caput VII.*

Nobis facientibus exercitum extra regnum, nobiles nobiscum ire non teneantur, nisi comites *parochiani*, stipendiarii, et lobbagiones castrorum, et qui ex officio debito tenentur, quibus amplas concessimus possessiones (*a*). Si vero exercitus super regnum venerit, unius, et singuli ad defensionem patriae contra inimicos se opponere teneantur: regreso autem superueniente *hostium* exercitu, pro vindicta ipsos tenentur persequi (*b*).

*Caput VIII.*

Palatinus vero comes omnes homines indifferenter discutiat, (*c*) praeter personas ecclesiasticas, et clericos, causas matrimoniales, et dotes, et alia ecclesiastica, quacumque ratione videntur, ad ecclesiasticum examen pertinere (*d*).

(*a*) Idem fere est cum bullae aureae art. VII. nisi quod plures nominentur, qui regem bellum inferentem extra regni limites consequi tenentur.

(*b*) Non modo omnes insurgere iubentur, cum hostis regni fines inuadit, verum etiam profligatum iam, ultra regni fines armis persequi.

(*c*) Consentit cum bullae aureae art. VIII.

(*d*) Confirmatur hic immunitas, et iurisdictio S. ordinis, quam solenni iuramento, cuius &c. superiore meiminius, Andreas rex postliminio restituerat,

*Caput IX.*

Causae nobilium, quae ad perditionem capitis, aut destructionem possessionum eorumdem pertinent, sine conscientiae regiae periculo non terminentur. Palatinus iudices viçarios non habeat, nisi vnicum in curia sua, *talis erat olim protonotarius*, et caueat diligenter, ne contra praesens statutum aliquem iudicet, vel condemnnet (a).

*Caput X.*

Curialis comes noster, dum in curia nostra manet, omnes iudicet, *scilicet curiales, et aulicos*, et causam inchoatam in nostra curia vbique possit terminare: sed existens in praedio suo, vel alibi extra curiam nostram nec dare praestaldos, nec partes possit citari facere (b).

*Caput XI.*

Et quia multi in regno laeduntur per falsos praestaldos (c). Citationes, vel testimonia eorum non valeant, nisi per testimonii

(a) Conforme est bullae aureae art. VIII. §. I. et II.

(b) Restringitur comitum curiae, seu curialium iurisdictio ad mentem bullae aureae art. IX.

(c) Praestaldus fortasse venit a Slauico *Pristal*, quod adistare significat. Itaque quos hodie dicimus *homines regios, palatinales, archiepiscopales, iudicis curiae &c. olim praestaldi regii &c.* appellabantur.

um dioecesis episcopi, vel capituli *subaudi*, *roborentur*. Nec falsificatus, *seu de falsificatione insimulatus* praestaldus poterit se iustificare, nisi eorumdem testimoniis in factis maiorum, aut minorum, vel certe vicinorum conuentuum, vel claustrorum testimoniis (a). Praestaldum nullus per annum, vel biennium, vel ultra secum detineat, nisi unum ad decisionem causae, ad quam *eum* impetravit.

### *Caput XII.*

Hospites nobiles ad regnum venientes, nisi incolae esse velint, ad dignitates non promoueantur, per tales enim diuitiae regni extrahuntur (b).

### *Caput XIII.*

Vxores decedentium, vel condemnatorum per sententiam ad mortem, vel in duello succumbentium, aut ex alia quacumque causa, non fraudentur sua dote. Vxores furum, vel latronum; vel eorum liberi pro delictis patrum non venumdentur (c).

(a) Hic primus locus est, qui meminit fideidignitatis testimonii capitularis, aut conuentuum, quo relationes, passiones, ac cuiusvis generis executiones roborari necesse est, ut fidem publicam nanciscantur.

(b) Congruit bullae aureae art. XI.

(c) Bullae aureae art. XII. id ipsum decretum fuit.

*Caput XIV.*

Integros comitatus, vel dignitates in praedia non transferemus (a).

*Caput XV.*

Statuimus Iobbagiones castrorum secundum libertatem a S. rege constitutam, similiter et hospites cuiuscumque nationis secundum libertatem ab initio eis concessam teneri (b),

*Caput XVI.*

Ad secandas indagines, ad fossata facienda, ad hortos, ad quaecumque regia aedificia, vel officinas, seruientium, vel ecclesiasticorum populos non cogemus,

(a) Idem est cum bullae aureae art. XVI.

(b) Et terras ad castra regia pertinentes una cum eorum possessionibus militibus, Iobbagionibus castris, inconsulta donatione priuatis dominis contulerat Andreas; et hospites contra concessam eis initio immunitatem, in seruitutem, mancipiorumue conditionem redigi suerat, non sine et aerarii regii, et securitatis publicae iactura. Congruit cum bullae aureae art. XIX.

*Caput XVII.*

Praeter vigesimam, quam ab antiquo reges habent, decimas non exigemus, quia per hoc populus grauatur (*a*),

*Caput XVIII.*

Monetae, et salibus, et aliis publicis officiis Iudei, et Saraceni non praeficiantur (*b*).

*Caput XIX.*

Posseffiones extra regnum non conferantur, et, si aliquae sunt collatae, vel venditae, populo regni ad redimendum reddantur, vel simpliciter recipiantur (*c*).

*Caput XX.*

Item per singulos mardurinos, id est curias, aut sessiones quatuor pondera, seu grossi maiores persoluantur, quaecumque inde prouenerint, tertia pars domino fundi, et duae partes domino terrae persoluantur (*d*).

(*a*) Ex hoc arguas, vt decimam episcopis, ita vigesimam regi olim praestari oportuisse.

(*b*) Cautum id jam fuit bullae aur. art. XXIV, et iurata cautione, quam vide §. superiore.

(*c*) Idem est cum bullae aureae art. XXVI.

(*d*) Clarius hic exponitur bullae aureae articulus XXVII Recole hic ea, quae de mardurinarum tributo diximus Introductionis §. X.

*Caput XXI.*

Comites iure sui comitatus sint contenti, cetera ad regem pertinentia, scilicet: cibriones, tributa, boues, et duae partes castorum ad regis voluntatem, cui voluit, distribuentur (a).

*Caput XXII.*

Item quandocumque aliquos ordine iudicario conuinci contigerit, in nostra erit voluntate, bona ipsorum penes nos retinere, vel aliis pro velle nostro distribuere (b). Incendium tamen mitti nolumus super villas eoruindem (c).

*Caput XXIII.*

Vt autem haec nostris, et successorum nostrorum temporibus firma, et inconcussa

(a) Idem est cum bullae aureae art. XXIX. nisi quod insuper potestas fiat ipsas adeo castrorum regiorum terras, et prouentus a sacrae coronae dominio alienandi.

(b) Necessaria erat haec lex in regii peculii favorem, postquam Andreeae regis inconsulta prodigalitate, innumerae terrae, ac possessiones a S. coronae domino auulsaे, inter eius clientes sunt distributae. Meminit huius Rogerius in carmine miserabili cap. V et X.

(c) Merito lege hac suffertur barbarus ille mos, vt si quis nota infidelitatis damnatus erat, in atrocis eius criminis odium, possessionibus, villis, ac aedibus illius ignes subiicerentur, non sine grauissimo regis ipsius, ad cuius manus condemnati bona deuoluebantur, detimento.

permaneant, tam nos, quam filii nostri, praestito corporaliter iuramento, confirmavimus, et tam nostro, quam filiorum nostrorum figillis fecimus roborari, spontanee consentientes, ut siue nos, siue filii nostri, ac successores nostri, hanc a nobis concessam libertatem confringere voluerint, Strigoniensis archiepiscopus praemissa legitima admonitione, nos vinculo excommunicationis, et eos innodandi habeat potestatem (a). Datum anno ab incarnatione Domini millesimo, ducentesimo trigesimo quarto (b) regni nostri anno vigesimo nono.

Atque istud est alterum *Andreae II.* regis decretum, quo labascentem iam monarchiam reparare, ac in ordinem redigere conatus fuit: Quamquam posterioris huius decreti et usus, et memoria sensim apud Hungaros desit, ac, si quando deinceps se ad libertatem ab *Andrea* stabilitam restitui flagitarunt, bullam auream, vt A. 1222. e. 1222

(a) Ne clausula bullae aureae art. XXXI. addita in sequiorem sensum aliquando posset detorqueri, consulto abstinet Andreas a danda subditis *resistendi*, et *contradicendi sibi facultate*. Ceterum repetitum toties ab *Andrea* rege iusurandum indicio est, Hungaros exiguum illius promissis fidem habere consueuisse.

(b) Raynaldus quidem habet annum *trigesimum primum*, verum et subiectus regiminis *Andreae* annus *vigesimus nouus*, et rerum gestarum series suadet, decretum hoc anno 1234. affigendum esse.

dita erat, sibi per successores reges confirmari voluere, vt videre est in priuilegio Lu-  
1351 douici M. A. 1351. dato.

## S. XIV.

*Res Hungaricae ad obitum usque Andree regis perturbatae.*

**E**x iis, quae prolixè satis hactenus narraui-  
mus, nemo non videt, quam multiplicia ab  
*Andrea* rege excogitata sint remedia, vt rem-  
publicam Hungaricam grauissimis sub se la-  
borantem morbis consanaret. At enim ole-  
um, et operam perdidit propterea, quod ea,  
quae sapienter interdum constituerat, mini-  
me in effectum deduxerit. Palatini nempe,  
et ceterorum eiusdem farinae ministrorum  
plurimum intererat, ne ea potissimum decre-  
ta, quae ad coercendam circumcisorum po-  
tentiam perlata erant, obseruarentur. Prae-  
terea soli palatino, eiusdemque amicis, et  
fociis addictas habebat aures, vt iis solum,  
quae hi referebant, fidem adhiberet, ceteros  
autem omnes contraria narrantes, velut mi-  
nus sibi addictos auersaretur. Vnde euenire  
necessse fuit, vt numquam id, quod verum  
erat, intelligeret: quo partium studio si  
summi imperantes laborent, falli illos, rem  
autem publicam omni iam remedio destitu-  
tam, lenta tache consumi, ac subinde inter-  
ire oportet. Aliud quoque palatinus, cete-  
riique aulae administri ausi erant: grauissimis  
enim de *Bela* rege suspicionibus *Andreea* re-  
gis animum compleuerant, ac non modo ve-

teres patrem inter, ac filium discordias fovere, verum etiam nouis in dies fomentis idem tidem succendere non intermittebant: ut adeo *Andreas* inde ab anno 1220. ad obitum usque suum atrocissimo odio infectaretur filium, nulla illius consilia, ac interdum neque conspectum sustineret: quapropter non raro ad arma vtrinque conuolatum fuit, quae ne in mutuas caedes, regnique excidium stringerentur, antistites Hungariae, aliiue cordati viri, placidam de se *Belae* regis indolem non una vice ad quietem reuocarunt. Ultra hanc patris sui alienationem, maleuorum opera procuratam, non leuem contemtum, et iniurias, vix a priuato homine tolerandas, a palatino, ceterisque aulicis perpeti debuit *Bela*, coronatus iam rex, idemque in regno successor: cum enim pro more patris aulam accederet, iidem *M. Rogerio* teste, nil ei penitus honoris deferebant, *imo debonestare ipsum verbis, et factis, in quantum poterant, nitebantur*, non sine totius regni indignatione. Vnde non tam sua viuis, quam intereuntis reipublicae causa conceptum animi dolorem per tot annos premerre coactus *Bela*, eo vehementius postea, cum solium conscendit, ad iustam, vt narraturi sumus, erupit vindictam. Quin etiam eodem *M. Rogerio* teste, eo demum audaciae, et temeritatis processere aulae ministri, vt quo Hungariam, cui iam ob regis ignauiam dominabantur, inter se quantocvus partirentur, in *Andreae*, eiusdemque filiorum *Belae*, et *Colomanni* necem conspirauerint, verum

hae insidiae a Deo summorum imperantium  
prae ceteris curam gerente feliciter dissipatae sunt (a). Postremum denique, sive ipius  
*Andreae regis*, seu ministrorum in *Belam* re-  
gem odii argumentum illud erat, quod is  
dem mortua altera coniuge *Jolanta regina*, fra-  
ctis iam viribus, et aetate admodum pro-  
1234 uecta, tertiam sibi A. 1234. desponderit  
*Beatricem*, *Aldrouandini* marchionis *Eftensis*  
filiam, cui etiam liberali prius dote obligata (b) die XIV. Maii, dominica tertia post  
pascha, eodem anno ex ritu ecclesiae copu-  
latus fuit, eo haud dubie fine, vt si masculum  
ex ea sustulisset, hunc prae *Bela* primo-  
genito regni heredem, atque successorem  
*Andreas*, sive ministri constituerent. Ac  
reapte matrimonium hoc in ceterarum pro-  
lium fraudem contractum fuisse, illud nobis  
argumento est, quod *Bela* rex cetera pieni-  
tissimus princeps, illico post *Andreae* patris  
mortem, *Beatricem* noue cam honestae cu-  
stodiee mancipauerit, vnde postquam illa  
delusis virili habitu custodibus in Germa-

(a) Haec, quae hactenus retulimus, omnia candide e-  
narrat M. Rogerius canonicus Varadinensis, scriptor  
coaenus in carmine miserabili, speciatim cap IV.  
et IX.

(b) Inseripsit Beatrici Andreas V. millia argenti mar-  
carum, tum redditus, prouentus, ac utilitates ex  
veteri regiarum Hungariae conuetudine debitos.  
Denique annuas mille marcas argenti. Vide in-  
strumentum ipsum in Annal. reg. Hung. Tom.  
I. pag. 242.

niam elapsa, posthumum filium *Stephanum* enixa fuit, *Bela rex* nulla seu matrem *Beatricem*, seu filium illius caritate, aut liberitate prosecutus fuit, vt adeo Romani pontifices per imperatas ecclesiis Italicis elemosynas vtrumque alere necesse habuerint (a). Atque haec, quam depingere hic loci conati sumus, *Belae regis* erat, viuente *Andrea* rege, per quindecim et amplius annos indigna sane conditio, vt qui patri suo constanter exosus, ab aulae ministris despiciatui habitus, innumera reipublicae mala quotidie intueri cogebatur, quin eisdem, vt vollebat, remedium posset adferre: notitia tamen, quam sub acerba patris potestate tot annorum interuallo constitutus multis de rebus hauserat, praeclaro illi erat postea usui, cum ad reipublicae Hungaricae clavum plena cum potestate ascendit, tum enim vero digna eis, quos sceleratos fuisse nouerat, irrogavit supplicia; illis autem, qui praeclarre de se, et regno meriti erant, praemia, et honores decreuit.

(a) Quid subsidii ab Italicis ecclesiis Stephanus posthumus acceperit, docent Innocentii IV. P. literae A. 1245. editae, quas ex Muratorio vulgatumus Heraldicae Hungariae pag. 10.

## §. XVI.

*Andreae II. regis obitus, coniuges, et liberi.*

¶ Has inter monarchiae Hungaricae conuulsiones, exactis in regno annis triginta, diem suum clausit *Andreas A. 1235.* exeunte mense Septembri: eius corpus primum in monasterio Egresiensi depositum, subinde vero Varadinum translatum, pone pedem mausolei S. *Ladislai* regis tumulatum fuit (a). In regno, quod olim pessimis plane artibus legitimo regi *Emerico* fratri suo non vna vice eruptum iuit, prorsus infelix fuit. Optimam illius in commune bonum voluntatem adulatores, quibus addictas habebat aures, corruperunt: eorum instigatione factum fuit, ut *Belam* filium insigni plane virtute, prudentia, ac aduersum se obseruantia praeditum, toto vitae sua tempore persequeretur: quocum si sua contulisset consilia, maiore cum gloria, subditorumque commodo imperaturus erat: res optime interdum coeptas, atque institutas ob foedam, summoque imperante indignam animi mobilitatem, atque inconstantiam deseruit. Leges pertulit sapientissimas, quas tamen et ipse facile violauit, et a suis impune infringi passus fuit. Etsi inde a suo Ierosolymis reditu, continuo, et anxio plane studio ad augendos aerarii sui prouentus incubuerit, mira tamen rerum vicissitudine euenit, vt nullus

---

(a) Chronicon cap. LXXIII.

lus ante eum rex Hungariae egentior fuerit. Cuius causa in promptu est: nam licet circumcisi, reddituum regiorum administratores: Ismaelitae, et Iudaei non parua lucra e re monetaria, minerarum fodinis, salinis, frugum vigesimalibus, et communibus toti regno tributis, atque vectigalibus annis singulis corraserint, magnam nihilominus veterum regiorum prouentuum partem *Andreas* imprudens pessumire finit: cum per ampla regiorum castrorum comitatensium praedia, terras, ac possessiones contra, quam ab *Arpado* olim duce institutum, ac a D. Stephano monarchiae Hungaricae conditore confirmatum erat, inter aulae suae ministros, ac assentatores distribuit (*a*). In consulta hac prodigalitate adeo immobilia S. coronae bona diminuta sunt, ut vniuersi eorum redditus vix *VIII.* mille argenti marcas exaequarent, ex quibus bonis tres quartas partes *Belae*, et *Colomanno* filiis cedere coactus fuit, ut inde possent pro dignitate viuere. Sed neque aeris alieni, quo se cruciatae expeditionis causa olim obstrinxerat, quidquam ad obitum usque expunxit (*b*). Ceterum memoriam *Andreae II.* regis duo potissimum perpetuam ad posteros transmisere: peregrina-

(*a*) M. Rogerius in carmine miserabili cap. X.

(*b*) Patet ex literis Gregorii IX. papae A. 1235.  
XI. calendas Septembbris ad *Andream* regem datis.  
In Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 243.

tio Ierofolymitana, quae plus famae habuit, quam utilitatis. Et *bulla aurea*, cui tamquam basi ordinum Hungariae libertas nullo non tempore innixa fuit, cuius tamen complura capita, mutato subinde monarchiae sistente, in desuetudinem abierte. Ter, ut iam diximus, coniugio semet illigauit *Andreas*, e prima coniuge *Gertrude*, per *Bancum* banum interfecta, nati sunt: *Bela* huius nominis IV. Hungariae rex. Tum *Colomannus* Galliciae, et *Lodomeria* rex, a seruata cum *Solomea* sponsa continentia clarus, cui e Russiae rubrae gubernatione domum reuerso Sclavoniae ducatus, et prouincia Scepusiensis patrimonii titulo obtigit, quiue e vulnere,

**1241** quod A. 1241. in praelio cum Tartaris ad Sationem commisso acceperat, eodem anno obiit. Tertius *Andreas*, primum *Leonis* Armeniae regis filiae *Isabellae*, dein *Mariae Mieislai* Galliciae ducis filiae sponsus, viuo adhuc patre mortuus. Filia *Maria Assani* Bulgariae regi, obedientiam tum Romano pontifici professo, Graeci ritus principi tradita; *Elisabetha* vero *Ludouico* Thuringo nupta, in sanctarum syllabus subinde adscripta fuit, cuius memoriam hodieum die XIX. Nouembris celebramus. Altera vxor *Iolanta* vnicam edidit filiam cognominem, *Alphonso* Arragonum regi col-

**1233** locatam: hac A. 1233. priuatus *Andreas* aulicorum instigatione, tertiam sibi copulauit *Beatricem* Estensem, *Stephani* postlumi ducis matrem. Hic *Azonis* aui sui cura a tenebris eductus, cum nec subsidia villa, nec in Hungariam reuertendi facultatem a *Bela* IV.

rege impetrare posset (*a*), *Thomasinam nobili*, ac praediuite Maurocenorum domo or-  
tam, Venetiis vxorem duxit, ex qua sustulit *Andream* huius nominis III. Hungariae re-  
gem, *Venetum* appellatum.

---

## B E L A IV.

R E X XX.

A. C. 1235.

§. I.

*Bela rex regnum a iusta seueritate orditur.*

Quamquam Bela iam A. 1217. consuetis ri- 1217  
tibus inauguratus erat, ac annos XVIII. ti-  
tulos, dignitatemque iunioris regis gesserat,  
ne tamen perturbata sub patre suo republi-  
ca, rebusque ad seditionem spectantibus,  
quidquam legitimae suae maiestati a factiosis  
hominibus posset obiici, coronationis solen-  
nia repeti voluit: peracta haec sunt praeter  
morem, in collegiata ecclesia S. Petri Albae,

---

(a) Ex odio, et instigatione Mariae conitigis id fa-  
ctum, quae alteram in regno reginam seniorem pa-  
ti noluit. Teste monacho Patauino, apud Mur-  
torum script, rer. Ital. Tom. V. col. 718.

per Robertum Strigonensem archiepiscopum,  
 pridie calendas Octobris (a) dominica XVIII.  
**1235** post pentecosten *Da pacem domine A. 1235.*  
 Diei huius pompam auxit *Colomannus* Galliae rex, frater, ensem regium paeferens,  
 et *Daniel Russorum dux*, in signum *Vasallitii obsequii*, equi, cui *Bela* insidebat, frena  
 tenens. Verum iucundissimae huius solennitatis laetitia mox in tragediam desit. *Bela* enim in ipso regni aditu, in omnium regni ordinum conspectu, iustitiae documentum editurus, sine mora quaestioni subiecit eos omnes, qui se inter, ac *Andream* patrem suum atroces discordias seminare, alereque ausi, prauis suis consiliis vniuersam monarchiam perturbauerant. Ex his alii de criminis propalam conuicti, bonorum publicacione, perpetuoque e patria exilio multati, alii in carceres coniecti, alii suppicio sunt affecti. *Dionysius* autem de Vialka comes palatinus dignitate sua spoliatus, ut ad aliorum terrorem supplicii sui memoriam diutius circumferret, effosso vtroque oculo, lumine priuatus fuit. Praeterea *Andreae* regis coniuentia, mos quidam parum urbanus inuauerat, ut barones, regnique proceres ne petita quidem venia coram rege considerent, eidemque sedentes loquerentur; quem in fi-

(a) Chronicon cap. LXXIV. habet pridie idus, seu XIV. Octobris, verum, quia huic diei dominica *Da pacem non congruit, locus, ut fecimus, corrigendus est.*

nem sedes sibi in maiore regis aula construi fecerant. *Bela IV.* dignam summi imperantis maiestati reuerentiam suorum animis inspiraturus, legem tulit, ne quis praeter regii sanguinis principes, archiepiscopos, et episcopos, vnquam se praefente considere ausit: tum vero totam illam sellarum molem ex aula eiici, subiectisque ignibus iussit concremari. Denique *Belae III.* aui sui imitatione, dicasterium cancellariae regiae e pluribus fide, doctrina, et virtute conspicuis viris conslatum restituit, voluitque, ut et audience regia libellis supplicibus per cancellarios porrectis ab se peteretur, et preces, negotiaque omnia scripto cancellariis confignarentur: qui res mature prius examinatas regi proponerent, responsaque ab eodem data scripto pariter supplicantibus rediderent. His mox a coronatione actis, atque institutis, compressa eorum, qui *Andrea* imperante dominari assueuerant, audacia, incredibile quantum ceteris omnibus metum incufferit (a).

### §. II.

*Morbos reipublicae a radice curare aggreditur.*

*M*ala postea reipublicae Hungaricae, quorum et fontes, et damna optime habebat perspecta, sedulo curare aggressus, quidquid

(a) Haec sparsum narrat M. Rogerius in carmine misericibili cap. IV. VI. IX. et XI.

a patre suo maleuolorum consiliis deluso perperam actum erat , pro potestate rescidit , quae autem sapienter vtiliterque instituta , neglecta esse nouerat , fine mora executio- ni dedit , vt monarchia Hungarica nouam breui , melioremque formam indueret . Ante omnia , quod Hungari tot annorum que- relis , atque lamentis post tot iurata promis- sa sibi ab *Andrea* facta , impetrare non pote- rant , Ismaelitas , et ceteros seu circumcisos , seu paganos a prouentuum regiorum proce- ratione , omniue munere publico semotos , in seruitutem redigit , magnamque Christianorū mancipiorum illis subditorum multitu- dinem in libertatem afferuit . Tum vero , vt bullae aureae art . XXIV. statutum erat , ca- merarum regiarum administrationi nobiles Hungaros praefecit . *Andreas II.* vt iam me- minimus , in assentatores , clientesque suos vltra modum prodigis , ac futuroruim incurius , cum alia plurima S. coronae bona , tum vero terras , ac possessiones , quae ad castrum re- gium singulis in comitatibus spectabant , non sine grauissima prouentuum regiorum di- minutione pessimumdederat : quin ipsa etiam prae- dia illa , quae *Iobbagionibus castri* sub onere militiam faciendi locata erant , in priuatorum dominorum ius , ac proprietatem transtulerat , quo facto praeclarum illud domefticæ mili- tiae robur , vnde comitis parochiani bander- riūm conflari consueuerat , per quod reges subditos reliquos in officio continebant , pro-

pe penitus sublatum fuit (a). Atque hinc gemina incommoda Belas IV. admodum formidanda sunt enata: primum illi, qui *Andreae regi* ab aulicis erant obsequiis, tot latifundiis, opibusque aucti fuere, ut diuiniis, ac potentia regem ipsum iam anteirent, tum vero abolitis *castris Iobbagionibus*, seu militibus, physicae regibus Hungariae vires sunt subtractae, quibus non solum domi sceptro suo maiestatem, ac reuerentiam procurarent, verum etiam vicinis hostibus se se metuendos redderent: omnis quippe militia, quae ab arbitrio, nutuque regis penderet, adulos stipendiarios, eosdemque, dissipatis iam aerarii regii prouentibus, paucos admodum redacta erat. Sed nempe fuit in fatis, ut sic quasi gradatim Hungaria debilitaretur, quo facilius postea Tartaris in praedam cederet. Ecclesiis quoque, et personis ecclesiasticis, conniuente *Andrea rege*, *Dionysius palatinus* multa bona, a diuis regibus olim donata, per vim ademerat, ac inter suos diuiserat, non pauci regni nobiles, fortasse quod recte sentirent, et agerent, apud palatinum, ceterosque aulae ministros in odium adducti, citra villam iuris formam, contra bullae aureae art. III. damnati, bonisque spoliati sunt: et licet decreti A. 1234. cap. 1234 III. in integrum restitui iubebantur, numquam tamen res inique amissas recuperaque-

(a) M. Rogerius in carmine miserabili cap. X.

rant. Hanc cum regiorum, tum priuatorum iurium conuulsionem, quia tot annorum interuallo suis met viderat oculis *Bela*, remedia quoque, quibus tot malis mederetur, per otium excogitata, apud se iam descripta habebat: quapropter ut suum cuique ius eo celerius reddi procuraret, viros fide, integritateque conspicuos ad omnes regni partes dimisit, coram quibus singuli possessionis recentiore aevo aquisitae, aut certe in quaestione vocatae iura, literasque proferrent: instituto hoc diligenter continuato, innumeris fraudibus, et rapinis feliciter detectis, cum alia S. coronae bona, tum vero terras, et possessiones ad castra regia comitatum, veteri iure, et consuetudine pertinentes, in ius, ac proprietatem regis postliminio vindicauit. Multa quoque ecclesiis, ac nobilibus per vim, aut dolum erepta, eadem tempestate legitimis dominis sunt restituta. Atque hac in re tanta aequitate, et seueritate egit *Bela*, vt, seposito omni partium studio, ne ipsos quidem clientes suos a facienda iniuste possessionum restitutione immunes esse voluerit (*a*). Haec pro salute communi sollicite, et constanter agentem *Belam* regem tacita quedam cura angebat, a qua se quanticus expedire cupiebat. Perturbata, ut toties meminimus, imperante *Andrea II.* re-

(*a*) Idem cap. V. et X.

publica , venerat A. 1233. in Hungariam *Iacobus Praenestinus* sedis apostolicae legatus , suam pariter ad euellenda communia mala operam collaturus , vir cetera pius , et sacris scientiis insigniter excultus , politicae nihilo minus prudentiae , quae ad rectam subditorum gubernationem pertinet , parum gnarus . Hic quamdiu episcoporum Hungariae consilio usus fuit , multa in ecclesiae , regnique commodum sapienter , atque utiliter constituit , verum ubi suo se ingenio , et immodico zelo abripi sinit , quamplurima et iuribus , et moribus Hungaricis aduersantia , reluctantibus nequicquam episcopis , pertulit , ac insuper sanctiones suas omnes etiam leuioribus de rebus agentes , cum aliis censuris , tum vero *latae sententiae* excommunicatione firmauit . Cum igitur pleraque ex his mandatis obseruari ab Hungaris nequirent , vix quisquam seu ecclesiasticorum , seu secularium fuit , qui non legati censuras pene quotidie se aut negligere , aut certe incurrere debere meminisset , unde grauissimi multis conscientiae remorsus sunt oborti . Praeterea idem legatus constitutiones et numero infinitas , et a iuribus , praerogatiuisue regum Hungariae passim abludentes conscripserat , eoque *Balam* , iunioris tum adhuc regis dignitate fulgentem , adegit , vt se , cum solium iure pleno aliquando condescenderit , ad eas omnes ad amissim obseruandas , iurisiurandi religio ne iam tum obstringeret . Quapropter vt et suae , et subditorum suorum conscientiae , quieti , ac libertati consulueret *Bela* , missis

A. 1238. die VII. Iunii Romam literis, a *Gregorio IX.* pontifice maiorem in modum flagitauit, vt latas olim a *Iacobo Praenestino* legato in Hungaria censuras omnes aboleret, tum vero, vt se, suapte cuncta in ecclesiae, regnique sui commodum agere paratum, a tot iuramentis, quae de leuissimi etiam momenti rebus nuncupare debuerat, absolueret. (a). Neutrum negauit pontifex, vt qui tum quam maxime vrgebat *Belam* regem, vt assunta crucē, *Affani* Bulgariae regi, affini suo, quod in schisma relapsus, Latinis Bīzantinis infestus erat, bellum inferret Bulgariaeque regnum adimeret, S. coronae Hungaricae iuribus afferendum (b). Verum principem et affinitate sibi iunctum, et bellica virtute clarum laceſſere paulo difficultius videbatur regi *Belae*, quam vt ea in re morem *Gregorio IX.* gereret.

### §. III.

#### *Seditio domestica feliciter compressa.*

*Palatino*, et pluribus aliis, qui prima olim sub *Andrea* rege in regno subsellia tenuerant, ob admissa in rem publicam crimina, irrogatae poenae cognatorum, affinium, ac necessariorum animos implacabili in *Belam* regem

(a) Legi nieriatur Belae regis epistola in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 248. et sequ.

(b) Ibidem pag. 247. et 250.

odio compleuerunt, vetita baronibus regni in regis conspectu confidendi facultas, sellaeque concrematae nouum gliscenti iam sub cinere igni oleum affuderunt: bona denique regalia, ecclesiarum, ac priuatorum nobilium ex illegitimorum possessorum manibus vindicata, tantam apud plerosque aquissimo principi conflauere inuidiam, vt de eo quantocys e folio deiiciendo, alioque rege surrogando confilia mox agitari coepint. Prae ceteris vicinis principibus placuit coniuratis *Fridericus* dux Austriae, ob scientiam, virtutemque militarem ea aetate celeberrimus, qui si valido cum exercitu Hungariam ex improviso inuaderet, se seque seditionis coniungeret, *Bela* rex et idoneo milite, et apparatu bellico id temporis destitutus, nullo negotio debellandus, profigandusque credebatur. Missis itaque A. 1236. 1236 semel ac iterum in Austriam nunciis, *Fridericum* ad aggrediendum *Belam* regem inuitant coniurati, vbi primum regni limites subierit, magno se copiarum numero stipatos affore pollicentur, indubitataeque victoriae praemium, diadema, regnumque offerunt. *Fridericus* tam diuitis, potentisque regni spe illectus, ac cum suis viribus, tum vero coniuratorum fide, promissisque fretus, condicto die, tricena armatorum millia limitibus Hungariae infudit, nil dubitans coniuratos quasi dato signo ad castra sua turniatim conuolaturos: at enim opinione sua insigniter se delusum sensit. *Bela* enim ex nuncio vltro citoque commeante feliciter intercepto, de

pessimis suorum, et *Friderici* ducis consiliis edoctus, coniurationis primipilos nil tale ominantes sub idem tempus opportune interceptos, custodiae mancipauerat, ceterisque arma corripiendi animos ademerat. Itaque *Fridericus* postquam dies aliquot coniuratorum aduentum incassum praestolatus fuit, e pudore in vindictam actus, regionem Arrabone, et Danubio conclusam foedum in modum depopulatus, re infecta in Austriam recessit. Verum caro illi ea hostilitas stetit: *Bela* enim et *Colomannus* reuertentem, cum centum millium exercitu, infecuti, nullo negotio vicere, nec prius eius profligandi, et Austriam depopulandi finem fecere, quam postquam *Fridericus* praeda omni restituta, ingenti insuper auri vi persoluta, pacem a victore mercatus fuit. Tam graui periculo defunctus *Bela*, ut suae in subditos clementiae specimen ederet, nil acerbius in perduellionis reos constituit, quin potius carcere aliquamdiu maceratos, pristinae restituit libertati (a): quo quidem plurimorum animos a se ante alienatos sibi deuinxit.

(a) M. Rogerius carminis miserabilis cap. IX. Pernoldus ad A. 1236, in chronicō. Chronica item Australis in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 245.

## §. IV.

*Cumanorum in Hungariam immigratio.*

Optata quiete domi restituta, praecipuisque gubernationis partibus in ordinem redactis, cum secundos curarum suarum successus praestolatur *Bela*, non multo post gravissimae iterum suorum inuidiae obiectus fuit. *Kuthenus* Cumanorum Moldauiam hodiernam id temporis incolentium rex, post multiplices incursiones saepius a Tartaris toleratas, ferali ad extremum clade victus, atque profligatus, quo se, suosque barbarae gentis furori subduceret, missis ad *Belam* regem nunciis, pollicitus fuit, se cum delecta populi sui parte, cum armentis, pecudibus, ac pecoribus, omnique supellectile in Hungariam immigraturum, regi quoque fidem, ac obedientiam professurum, modo de non nullis libertatibus, ac praerogatiis sibi cautio ante daretur: et quoniam iam tum, cum *Bela* viuo patre Transsiluaniam procurabat, singulare illius ad Cumanos Christi fidei subiiciendos studium optime habebat cognitum, adiecit se tota cum gente sua baptismum vna perlibenter suscepturnum. *Bela* rex tantae gentis accessione, et ecclesiam, et regnum suum non mediocriter auctum iri gauius, postulatis omnibus quam cumulatissime subscrispfit, remissisque in Cumaniam legatis, *Kuthenum* omni cum humanitatis, ac amicitiae significatione ad se inuitauit. Quapropter is nil moratus in XL. mille viro-

rum, mulierum, proliumque Cumanarum  
 1239 comitatu vbi fines Hungariae A. 1239. atti-  
 git, a *Bela* ipso honorifice acceptus, Pestin-  
 num usque deductus fuit: atque circum hanc  
 urbem, in amplissimis regalibus campis, noua  
 haec colonia primum omnium confedit.  
 Missi continuo DD. *Dominici*, et *Francisci*  
 sodales, qui Cumanos in lege euangelica  
 instruerent, quorum conatus non mediocri-  
 ter adiuvuit *Bela* ipse, nil humanitatis officii  
 praetermittens, quo eos, et ecclesiae, et si-  
 bi quantocyus autoraret. Primus omnium  
 exemplo praeiuit rex *Kuthenus* cum omni  
 familia, aulicisque suis, *Bela* patrini vices ob-  
 eunte, sacro ablutus lauacro. Verum ne-  
 cessaria haec regis in nouos colonos bene-  
 uolentia, vehementem in animis Hungaro-  
 rum inuidiam excitauit, quasi is Cumanos  
 iam pree Hungaris diligeret: enata hinc odia  
 in dies augebantur, ob nonnullas iniurias, et  
 damna, quae Hungari a Cumaniis interdum  
 perpeti cogebantur, cum enim maiore peco-  
 rum vi essent instructi, quam ut assignata eis  
 pascua sufficerent, in vicina Hungarorum  
 nobilium praedia illa nonnumquam impulere:  
 vnde contentiones exortae in rixas, ac etiam  
 caedes mutuas desiere. Querelis eapropter  
 ad se delatis remedium allaturus *Bela*, *Kuthe-*  
*nus* rege cum suis in urbe Pestinensi degere  
 iusso, reliquos Cumanos in plures tribus,  
 et familias diuisos per regales terras, in va-  
 riis regni partibus, ac prouinciis sitas distri-  
 buit, palatinumque comitem toti genti *iudi-*  
*cem* dedit, qui, siquid litium Cumaniis, aut-

inter se, aut cum Hungaris intercederet, ex aequo dirimeret. Sed neque sapientissimo hoc instituto ardentes iam in suorum animis inuidiae faces restinguí amplius potuere (*a*).

### §. V.

#### *Pessimus Hungariae status ante irruptionem Tartarorum.*

Sic nouis iterum regem inter, ac subditos dissidiis laborante Hungaria, fatalis illuxit A. 1241. quo Tartari, Cumania, Russia, Polonia, et Silesia euastatis, regni finibus appropinquabant. Numquam ante eum diem deteriore fuit Hungaria ad hostem excipendum apparatu. Illud militiae genus quod *Iobbagiones castri* efficiebant, per continuas praediorum castrorum alienationes, ad exiguum iam numerum redactum erat, ut multis in comitatibus nemo fere esset, qui vexillum *comitis parochiani* sequeretur (*b*). Stipendiarius miles vix tantus erat, ut regiis excubiiis, custodiaeque par esset, quod exhausto per malignam sub *Andrea* rege administrationem aerario regio, neruus in quo-

---

(*a*) M. Rogerius cap. II. III VIII. et XII. Chronicón Zwtelense ad A. 1239. in Annal. reg. Hung. Tom. I, ad an. cit.

(*b*) M. Rogerius carminis miserab. cap. X.

tidiana plurium legionum stipendia deesset. Barones, et nobiles inde ab expeditione Ierosolymitana nullum grauius experti bellum, fere iam ab armorum tractatione desueuerant, diurnaeque pacis otio, martiali illo gentis spiritu prope exstincto, totos se se molliori vitae rationi mancipauerant; erant nempe, ut eorum temporum aequalis *Thomas archidiaconus Spalatensis* refert (*a*): Hungari *longa pace dissoluti, ab armorum asperitate defueti, carnalibus enim gaudentes illecebris, ignaviae torpore marcebant.* Etenim terra Hungarorum omnibus bonis locuples, et foecunda, causam praestabat filiis suis, et rerum copia immoderatis deliciis delectari. Quod enim aliud erat iuuenilis aetatis studium, nisi polire cæsariem, cutem mundare, virilem habitum in muliebrem cultum commutare; tota dies exquisitis conuiuiis, aut molibus expendebar iocis: nocturnos sopores vix hora diei ab ortu solis, tertia terminabat: cuncta quidem vitae suae tempora in apricis filuis, et amoenis pratis cum uxoribus transigentes, non de bellorum strepitu cogitare poterant, qui non seria, sed ludisra quotidie tractabant. Ex eodem hoc longae pacis otio facile quisque intelliget, neminem in tota gente fuisse, qui militari scientia, atque viu instrutus,

(*a*) *Histor. Salonitanæ cap. XXXVII.*

ctus, bello tam difficiili administrando posset praefici. Vnus *Colomannus* regis frater bello Russico olim exercitus, prae ceteris praestantior habebatur. His cumuli instar accessit diuturna domi et magnatum inter se, et cum nobilibus discordia, ac alienatus denique, Cummanorum causa, gentis totius a rege suo animus: quo rerum Hungariae statu nil profecto, imminente iam finibus regni hoste, deteriorius cogitari poterat.

## §. VI.

*Incredibilis ad apparandum bellum domi sacerodia.*

Sub exitum anni 1240. complures nuncii 1240  
e limitibus regni missi aduenerant, qui Tar-  
taros in vicinis Russiae finibus haerere, Hun-  
gariamque primo vere anni insequentis in-  
vasuros retulere. *Bela* rex de hostium con-  
siliis tempestue edoctus, bimestre, quod ex  
hyemis rigore supererat, bello apparando  
sedulo impendere constituit, ne imparatus  
obrueretur. Quamobrem *Ladislauum* co-  
mitem palatinum sine mora ad Marmarosien-  
sem prouinciam praeire, atque illic fauces  
montium, qua e Russia rubra in Hungarianam  
aditus patebat, valida cum militum manu in-  
sidere, munireque iussit: praeterea expeditis  
ad omnes regni comitatus mandatis cum ca-  
stri *Iobbagionibus*, tum vero nobilibus, seti  
seruentibus seuere praeecepit, ut armis quatta-

tocys semet instruerent, cum ipse iusserit, ad comitis palatini castra confluenter, hostem in ipsis regni limitibus fortiter excepturi, ac, si fortuna fauerit, etiam gloriose reiecturi. Verum utilissima haec regis mandata a plerisque risu sunt excepta: alii diurnae quieti iam assueti, Tartarorum aduentus famam pro inani terriculo habuere, alii ruimorem hunc per episcopos de industria sparsum credidere, eo fine, ut se a concilio, quod tum forte *Gregorius IX.* Romanum indixerat, specioso hoc praetextu liberarent: alii denique partem aliquam Tartarorum per Cumanos in Hungariam euocatam esse sibi persuaserant, taciteque de hac irruptione gaudabant, quo sic rex malo suo experiretur, quam inconsulte hactenus Cumanos p[re]e Hungaris souisset. Ut adeo nemo fere esset, qui mandatis regiis obtemperarit, ac pauci admodum e finitimis Russiae rubrae comitatibus se se palatino coniunxerint. Interea Tartari exploratis diligenter in Hungariam itineribus, tribus locis irruptionem decreuerant: pars *Cadano* duce a Moldauia in Transsilvaniam, pars ductore *Peta* per Silesiam, et Morauiam in regnum ingredi iussa, summus autem Tartarorum imperator *Bathus* recta e Russia rubra in Hungariam transire constituit. Ac huic quidem ante ceteros fortuna fuit, 1241 vbi enim XII. Martii A. 1241. fauces montium attigit, paucis, quos offenderat, palatini copiis internecione deletis, primus in Hungaria pedem fixit. *Ladislaus* comes palatinus aegre admodum fuga elapsus, ac cita-

tissimis itineribus Budam delatus, regi tum forte cum antistitibus, baronibus, et proceribus comitia habenti cladem suam, et periculi, in quo Hungaria versabatur, magnitudinem viuis depinxit coloribus. Tum enimvero sparsae prius de aduentu Tartarorum famae fides haberi coepit, ac licet hostis potiorem iam regni partem inundauerat, tunc primum soluto conuentu singuli domum rediere, ut militem conscriberent, armis ceterisque rebus necessariis prouiderent, ac subinde ad castra regia Pestinum deducerent. Rediere quidem non multo post ex iis non pauci maiore animo, quam militum numero, ac apparatu instructi: hic rursus complures dies habendis de belli gerendi ratione consiliis impensi, tanta animorum, consiliorumque dissensione, ut, quid demum agendum esset, rex apud se nequiret constitueret; magis enim de inuestigandis belli per Tartaros illati causis, quam de illius propulsandi apparatu consultatum fuit. Illud demum omnium imprudentissimo, ac prorsus detestando consilio peruicere potiores belliduces, ut quoniam plerique, quamquam falso, opinabantur, Tartaros a Cumani suis euocatos, *Kuthenus* rex una cum suis custodiae daretur, quem etiam paucis post diebus coorta seditione Hungari, Germanis immixti, superum, hominumque fidem implorantem, *Bela* rege inscio propriis in aedibus barbarum in modum obtruncarunt. Iniquae huius caedis poenas paulo post dedere Hungari. Cumani enim, qui ad edictum *Belae* regis

vndique confluxerant, postquam *Kutheni* regis sui caedem intellectere, desertis castris regiis ad Tartaros transiere, sociosque se illis in euastanda deinceps Hungaria praebuere: atque sic Cumani, qui egregiam eo rerum articulo Hungaris, aduersus cognitos sibi dudum hostes, operam nauare debuerant, ex amicis hostes euaserunt. (a).

## §. VII.

*Funesta clades ad Saionem accepta.*

Hoc loco cum res in castris Hungaricis essent, adfuit rogatus a *Bela* IV. per literas *Fridericus* dux Austriae, paucis solummodo suorum stipatus, non tam ut Hungaris, quibus ob iupernam cladem infensus erat, opem ferret, quam ut hostium vires, et pugnandi rationem exploraret, videretque, quibus artibus, ac machinis ab ingressu in Austriacas ditiones possent prohiberi: id quod ab eo etiam prouide postea, fortiterque praestitum fuit. *Friderico* igitur, in cuius scientia, virtuteque militari multum fiduciae *Bela* collocauerat, domum ad res suas tuendas reuerso, repetitae iterum sunt de bello gerendo consultationes: quoniam Tartari iam Pestino vicini erant, quotidianisque velitationibus Hungaros lacescebat,

(a) M. Rogerius carminis cap. XIV. XV. XVI. XIX. XX. XXIV. XXV. et XXVI.

in caitis ad Peñitum t ahere: quo sic copiosior Vaganis, transdanubianis, Illyricisque exercitibus miles tuto conueniret, auctoque in immensum copiarum numero, diuifis exercitibus, contra volitantes ubiuis Tar-taros, valiter postea res agi posset, interea vero eo conatus omnes collocandos existimabat, vt hostes a Danubii transitu prohiberentur, hacque arte ea saltem Hungariae pars ab eorum inuasione immunis redderetur; verum sapiens hoc, atque illis rerum rationibus opportunum consilium, vt ignauum, ac nomini Hungarico indecorum a plerisque, ac cumprimis ab *Vgrino* Colocensi archiepi-scopo, praecipuae tum autoritatis viro, reiectum fuit, rexque eapropter velut timidus, bellicaeque virtutis expers, foede per omnium ora traducebatur. Itaque suorum, nil nisi praelium improuide ambientium, furorcedendum ratus, coniuge *Maria* cum prolibus, thesaurisque regiis iam ante in Austriae praemissis, exercitum in hostes promouit. Tartari simulata fuga, eosque retrocedebant, dum demum transmisso Saione, in patentibus ibidem campis constitere. Rex quoque in aduersa eiusdem fluminis ripa castra meta-tus, nil, quod prouidi erat belli imperatoris, omisit: castra imprimis obiens singulos ad fortiter pro aris, et focus dimicandum hortatus est, tum dispositis, qui pontem per vices eu-stodirent, mille insuper viros opportunis locis collocauit, qui in omnia hostium moli-mina vigiles excubarent. At enim optimos

regis coatus fortuna destituta  
 nocte, cum Hungari tot vigiliis iacti ne-  
 cessariae vacant quieti, Tartari rursum  
 loco Saionem transgressi, primo uculo,  
 castra omnia indagine cingunt, immensaque  
 sagittarum vi innumeros sternunt. Ardua  
 profecto res erat Hungaris, quod ob castro-  
 rum angustias, et impedimenta, nec miles  
 rite in ordines cogi, nec acies posset expli-  
 cari. Fortiter nihilominus iniquissimo licet  
 loco pugnatum fuit: ut adeo Tartari de vi-  
 catoria ambigere inciperent. Itaque Hunga-  
 rorum vires diminuturi, insigni plane astu  
 sunt usi. laxata quippe acie per amplam ape-  
 ruere viam, qua illi, qui fugam vellent arri-  
 pere, impune transirent, quo animaduerso  
 Hungari desertis signis turmatim illac se se-  
 eliciunt, quos inter subinde rex ipse *Bela*,  
 ac frater eius *Colomannus* graui vulnere sau-  
 cius, minime agniti euasere. Dimidia pro-  
 pe copiarum Hungaricarum parte hac ratio-  
 ne e castris dimissa, Tartari rursus aciem  
 coniungunt, ac residuos omnes ad unum  
 contrucidant. Cecidere eo die e clero *Ma-*  
*thias Strigoniensis*, *Vgrinus Colocensis* ar-  
 chiepiscopi: *Georgius Iaurinensis*, *Raynoldus Transsiluanensis*, *Adamus Nitriensis* epi-  
 scopi, *Nicolaus item Cibinensis praepositus*  
*regis vicecancellarius*, qui suis cum bande-  
 riis bello interfuerant (a).

---

(a) M. Rogerius cap. XVI, XXI, XXV, XXVIII, et  
 XXX. Thomas archidiaconus histor. Salonit. cap.  
 XXXVII.

## §. VIII.

*Friderici Austriae ducis in fugituum regem  
inhumanitas.*

*Bela* rex singulari Numinis beneficio hostium manibus elapsus, per montanas Hungariae superioris partes in paucorum comitatu, aegre demum in Austria, quo coniugem, caraque pignora, quasi mali praesagus, praevire iuferat, penetrauit; simulata prius benevolentiae significatione fugituum accepit *Fridericus* dux Austriae: ubi autem et solum, et inermem in potestate habuit, negauit se eum dimissurum, nisi extortam A. 1236. a se pecuniae summam sibi totam illico numeraret. Quid ageret miser *Bela*? quidquid aeris, aut thesauri apud se habuit, quod exuli adhuc subsidio esse poterat, inhumano hospiti consignauit, cumque id minime sufficeret, tres insuper vicinos Austriae comitatus, *Mosoniensem*, *Soproniensem*, et *Castri-ferrei* *Friderici* dominio subdere, obligareque coactus fuit. Hunc in modum a Christiano principe barbare prorsus spoliatus *Bela*, iter ad coniugem *Mariam*, Styriam versus, prosecutus fuit: hinc *Stephanum Vaciensem* episcopum primum ad *Fridericum II.* imperatorem, dein autem ad *Gregorium IX.* pontificem auxiliorum causa dimisit (*a*), ac illi qui-

(*a*) M. Rogerius in carmine miserab. cap. XXXII,  
Pernoldus in chronicō ad A. 1241.

dem, si aut ipse auxilio veniret, aut certe filium *Conradum*, electum iam Romanorum regem, valido cum exercitu submitteret, Tar tarosque e regno ejiceret, se vna cum Hungariae regno fiduciarium, solitaque exigi ab imperii Romani clientibus munera, atque tributa, interposita iurisiurandi religione, obtulit (a). Verum *Fridericus* oblationem eam regis extrema in necessitate constituti parui pendens, nil omnipo illi opis attulit: ut adeo Tartaris sua sponte ex Hungaria egres sis, Hungariaque sensim ad vitam redeunte, cum ad promissorum fidem implendam vrge retur *Bela*, negauerit se illa, ob conditionem ex parte caesaris non impletam, teneri.   
1245 quo etiam ex capite eumdem *Innocentius IV:*  
1245. a iurisiurandi obligatione absoluimus (b). *Gregorius* pariter pontifex praeter auxilio rum pollicitationem praestare nil potuit (c), quod eodem anno 1241. die XXI. Augus ti obierit. Atque hac ratione *Bela IV.* rex omni ope humana destitutus, Hungariam Tartarorum libidini relinquere coactus,

(a) Apud Petrum de Vineis lib. I. epistol. cap. XXX. Richardus in chronicō ad an. cit. Lege item Friderici II. literas ex Parisiī hystor. Anglic. in Annal. reg. Hung. Tom. I. ad an. cit.

(b) Innocentii IV. de hoc literae exstant ibidem ad A. 1245. pag. 280.

(c) Literae Gregorii IX. die XVI cal. Iulii ad Belam regem legi possunt ibidein ad A. 1241.

biennium prope in Dalmatiae urbibus, insulisque exegit (a).

### S. IX.

#### *Triste Hungariae excidium.*

Prostratis ad Saionem Hungarorum viribus, ut eo securius Hungariam omnem depopularentur Tartari, insignem fraudem commenti sunt. Per captiuos enim clericos literas Belae regis nomine scribi, ac reperto apud Stephanum vicecancellarium in pugna interemptum sigillo regio, signari curauere, quibus eleuata clade accepta, primores aequè, ac nobiles bono esse animo, ac assuturas breui validissimas copias domi praestolari iubebantur, queis hostes nullo negotio essent conterendi: his literis per vniuersas regni partes quam celerrime dispersis, multi praelati, magnates, nobiles in errorem inducti, qui tempestiuia fuga se, resque suas in tuto collocare poterant, posita sollicitudine, domi suae restitere (b). Interea Tartari assuntis in societatem Cumanis, multisque agrestibus, queis viae ducibus vterentur, sibi autoratis, omnes Hungariae, qua planior est, atque fertilior, prouincias, foedum in mo-

(a) Vide de hoc Thomam archidiaconum histor. Saloni. cap. XXXIX.

(b) M. Rogerius cap. XXXI.

dum depopulari coepere. Praelati imprimis, canonici, caenobitae, magnates, atque nobiles eorum sensere furorem: rebus enim omnibus ante spoliati, ad vnum omnes trucidati sunt. Deploranda profecto fuit nobilissimarum matronarum, atque virginum conditio: postquam enim illis in parentum, maritorumque conspectu foede abusi sunt vilissimi homines, ne sibi vltro profecturis impedimento essent, aut res victui necessarias consumerent, eas quoque barbarum in modum trucidare. A necandis ruricolis aliquamdiu consulto abstinuerunt, vt eorum opera, ad segetes in horrea conuehendas, vendemiam absoluendam, ac pecorum denique custodiam vterentur: anno autem insequen-

**1242** te 1242. quo exeunte Hungariam deserere constituerant, quacumque iter habuere, plebeios pariter omnes cum coniugibus, ac liberis neci dedere. Hunc in modum biennio prope in Hungariam desaeuientes Tartari, innumeras villas, oppida, atque ciuitates interfectis incolis in solitudinem redegere. Tres Hungariae comitatus, quos *Friderico Austriae* duci pignori locatos diximus, quosue ille opportunis castellis atque praesidiis communuerat, pluraque alia his vicina loca, atque ciuitates, quas Hungari tempestive coeuntes defendendas suscepserant, superior denique Hungaria, montibus circumsepta, belluarum harum furorem feliciter eualere. Id cum primis damno fuit Hungaris, quod illa aetate paucas admodum arces, munitasque vrbes numerarent, in quibus oppugnandis

omnis Tartarorum conatus adhaesisset. Strigoniensis certe arx *Simonis* comitis Hispani, qui cum regina *Constantia*, *Emerici* regis coniuge, in Hungariam aduenerat, virtute; mons S. Martini loci abbatis vigilantia; Alba denique regia et moenium robore, et a circumfusis paludibus defensa, oppugnantium barbarorum impetus omnes elusere. Tot demum caedium saturi Tartari, cum in exhausto et rebus, et incolis regno nil amplius, quod raperent, supereasset, captiuis prope omnibus in ipso regni Daciam versus limite occisis, abscessere. Praedae, quam in Hungaria collegerant, magnitudo vix aestimari potest: quidquid inde a VII. primorum ducum aduentu quingentorum prope annorum intervallo operose corrasum, quidquid seu regum, seu priuatorum munificentia ecclesiis, piisque locis donatum aliquando fuit, Tartaris in praedam cessit. Ut inuestigem per tot milium hominum caedes Hungariae solitudinem, eversas, incendioque crematas tot aedes sacras, castella, oppida, et ciuitates, quae non tam facile reparari, pristinoque flori restituji poterant, silentio praetereramus, illa quoque non leuis fuit, communis omnibus regni ordinibus iactura, quod tot capitulis, conuentibus, claustrisque incensis, ac solo aequatis publica regni tabularia, ac in iis diuorum regum diplomata direpta, pessum dataque fuerint: quae etiam praecipua causa fuit, cur vetustiorum *Bela* IV. regum autographae literae adeo rarae hodie dum

conspiciantur, ac fere sola earumdem apographa per *Belam IV.* regem confirmata appareant (*a*).

## §. X.

*Belae regis e Dalmatia in Hungariam redditus.*

Postquam cum ex aliorum nunciis, tum vero postremo ex *Laurentio Wayuoda Transiluano* certior redditus fuit *Bela*, Tartaros cum spoliis, captiuis, et impedimentis omnibus exeunte autumno A. 1242. superatis Transiluaniae alpibus, in Cumaniam, quam nunc Moldauiam nominamus, concessisse, hyemem sibi adhuc in Dalmatia exigendam putauit: tum vero multis Rhodiorum equitum, et comitum de *Frangepan* turmis stipatus, vere A. 1243. in Hungariam incolis propemodum vacuam rediit. Tristissimum reduci spectaculum praebuere: altissimis connecta herbis publicarum antea viarum vestigia, albentes humanorum ossium struibus campi, prominentes ex ecclesiarum ruinis, suis nudatae verticibus, turres: moesta in frequentibus olim pagis, et oppidis solitudo, ac ferale vbiuis fileptium: prodiere subinde suis e cauernis, nemoribus, et arundinibus

(*a*) Qui plura de Tartarorum barbarie nosse cupit, adeat M. Rogerii carmen miserabile cap. XXXIV. usque XL. Parisium in histor. Anglic Thomam archidiaconum histor. Salonit. cap. XXXVII. et sequ.

nō nulli, ob toleratam diu inmediam morti, quam vitae, similiores: at his mox grauissimo cum hoste, fame scilicet, collectandum fuit, quod enim pecudes omnes, et quidquid primo vastationis anno coloni in horrea congregaverant, per Tartaros absuntum fuit, neque superiore anno hostium metu fementis vlla terrae credita fuerat, tanta rerum ad victum necessiarum penuria esse coepit, vt alii herbarum radicibus, arborumue corticibus, alii catis, canibus, ac foedissimis quibusuis animalibus vesci cogerentur. Luporum adeo interea et numerus, et ferocia creuerat, vt armatos etiam homines aggredierentur<sup>(a)</sup>. Grauissimo huic malo celerem latus opem Bella, e superiore Hungaria, Illyrico, ac vicinis prouinciis immensam imprimis cuiusuis generis frumenti vim aduehi, distribuique curauerat, quo non solum longam famem miseri subditi exsaturarent, verum etiam agros suos consererent. Pecora quoque, et iumenta regiis sumtibus comparata magno numero sunt adducta. Quibus adminiculis a paterna regis pietate subministratis, multa mortaliū millia a morte ad vitam sunt reuocata.

---

(a) Histor. Salonit. cap. XL. Chronica Attilalis ad A. 1243. M. Rogeritis cap. XL. Vide Annal. reg. Hung. ad h.a.

## §. XI.

*Regis ad restaurandam Hungariam studia.*

Sedata vtcumque fame , patris instar solliciti curas omnes ad instaurandam Hungariam traduxit *Bela* , quoniam pie , Christianeque existimabat , vt publicis etiam literis confiteri non erubuit , atrocissimam hanc plagam ad castiganda totius gentis scelera a Diuina nemisi fuisse immissam , a propitiando Numinis , sacrisque restituendis orsus fuit (a) . Caesim per Tartaros tot episcopis , mox alias , quorum doctrinam , vitaeque probitatem optime habebat perspectam , successores nominauit . Plurimas item DD. Dominici , et Francisci filiorum colonias in Hungariam deduxit , ex quibus alii fidem , legemque euangelicam praedicarent , alii seueriores non minus , quam mansuetiores literas iuuentuti Hungaricae explanarent , sique et ingenia , et mores gentis expolirent . Ut autem solitudini per tot millium incolarum caedem inductae prospiceret , innumera colonorum millia e Morauia , Bohemia , Boſnia , Germania , ac ipsa adeo Italia in Hungariam euocauit , vſitatisque *hospitum* priuilegiis , ac immunitatibus roborauit . Per Italos et Germanos omnium fere Hungariae ciuitatum noua iterum iacta fuere fundamenta , ac cum aliae artes , tum

(a) Apud cl. Timon Epitome chronologica ad A. 1255.

vero fodinae cum primis diligentius, maiore-  
que cum emolumento excoli coepere. Non  
parum etiam ad augendam populi frequen-  
tiam contulere Cumani, qui in Hungaria re-  
stiterant, quos in gratiam iterum receptos,  
ac ne coitiones facere, seditionemque com-  
mouere possent, in octo tribus diuīs, tot-  
idem in regni plagis, ab se iniucem disiun-  
ctos collocauit. Quin etiam ut iniuriam re-  
gi *Kutheno* illatam ex parte resarciret, gen-  
temque vniuersam paulo arctius sibi obſtrin-  
geret, eiusdem regis filiam, aut cognatam  
*Elisabetham* cum exteriore forma, tum ve-  
ro raris animi dotibus praeftantem *Stephano*  
filio primogenito vxorem dedit. Atque his  
adminiculis mox villae, oppida, ac ciuitates  
suis e ruinis caput erigere, aedes Deo fa-  
crae, episcoporum, canonicorum, caenobi-  
tarum, regni dynastarum, atque nobilium  
domus surgere, feruere ubique operae, et  
noua denique Hungariae facies redire coepit.  
Quia vero sapienter animaduerterat *Bela* rex,  
arces in edito positas, aut moenibus circum-  
datas vrbes, barbarorum retudisse impetum,  
praeter complures arces in montium vertici-  
bus erectas, ciuitates quoque regias magno  
sumtu, et cfira muri, turribusque circumual-  
lauit, exemploque suo dynastas, nobilesque  
plurimos ad curias, aedesque suas communi-  
endas excitavit. Vnde nemini mirum videri  
debet, tot castrorum rudera in summis mon-  
tium, mediasque inter silvas hodieum con-  
spici. Sub haec eadem tempora mons, Pest-  
nensis dictus, cui hodie ciuitas Budensis in-

cumbit, a Bela rege habitari coepit (*a*), quae subinde successorum regum, praesertim autem *Ludouici M. Sigismundi*, et *Mathiae Coruini* regum incolatu ad summum splendorem, et amplitudinem assurrexit. Eundeni in finem montem Vissehradensem, ac insuper praedia, terrasque regales omnes comitatus Pilisiensis, *Mariae reginae* seniori, coniugi suae A. 1263. dono dedit *Bela*, vt niempē in illius vertice arcem illa aedificaret, ad quam, si Tartari denuo Hungariam inundarent, *Margareta* filia, ordinis S. *Dominici* in insula leporum monialis, cum centenis aliis eiusdem asceterii sororibus tuto se se possent recipere, vnde patet Vissehradensis arcis initia, ad hanc aetatem esse referenda (*b*). Episcopis pariter, ac praelatis demandatum fuit, vt loca residentiarum suarum, aut alia ad retundendos hostes idoneo magis situ posita, vel ipsi muris, turribusque circumdarent, vel saltem regem in illis communiendis omni opera, et studio adiutum irent, qua in re sane quam iustissima, vt singuli eo promptius obsequerentur, per *Innocentium IV.* pontificeū ad id a rege requisitum, iam anno 1246. fuere admōniti

(*a*) Diploma fundationis superioris ciuitatis Budensis A. 1245. a Bela IV. Rege datum lege in episcopis Agriensibus Tom. I. pag. 170.

(*b*) Tenemus apographum Urbani IV. pontificis, quo montis Vissehradensis, et comitatus Pilisiensis donatio *Mariae reginae* facta recensetur.

niti (a). His pro ecclesiae, monarchiaeque commodo curis intentum *Belam* non medio-  
criter offenderant praelati quidam ecclesia-  
rum, qui post Tartarorum discessum, tur-  
bato aliquantum domesticae gubernationis  
ordine, in regalia iura inuolauerant, dum  
nonnullas vtilitates, atque redditus, qui e  
bonis, ac prauentibus ecclesiasticis antea ae-  
ratio regio inferri consueuerant, porro pen-  
dere detrectarunt: amplius aliquid moliti  
erant canonici Wesprimienses, cum post e-  
piscopi sui obitum, inscio rege, concanonicum  
suum *Zelandum* nomine sibi antistitem ele-  
gere, quem etiam *Stephanus de Vancsa* Stri-  
goniensis archiepiscopus inuito prorsus, ac  
reluctante *Bela* rege, pro vfitata tum me-  
tropolitarum potestate, ac consuetudine A.

1245. in sede sua confirmauerat; haec post-  
quam *Bela Innocentio IV.* pontifici significa-  
set, hic datis ad episcopos omnes literis,  
grauiter eapropter cum eis expostulauit,  
vetuitque non alia solum regalia iura vio-  
lari, verum etiam antistites citra regis assen-  
sum eligi, aut confirmari, propterea quod  
ius hoc patronatus *antiqua*, et *approbata con-  
suetudine* regibus Hungariae sit assertum (b).  
Vnde illustratur id, quod alibi iam tradidi-  
mus, vacante sede olim in Hungaria, cano-

1245

(a) Exstat in episcopis Agriensisibus Innocentii IV.  
epistola Tomo I. pag. 164.

(b) Ibidem pag. 162.

nicos eiusdem ecclesiae, conscio rege, electionem episcopi peragere consueuisse: in regis autem fuisse arbitrio, ut electum sibi praesentatum aut probaret, aut reiiceret, neque prius electionem a capitulo factam robur habuisse, quam postquam regio calculo confirmata fuit. Sic peractae electioni ne Romani quidem pontifices aduersari solebant, ad metropolitarum denique, aut vacante sede ad metropolitani capituli ius pertinebat, electum in sede sua confirmare (*a*). Alia ratio fuit, cum praelati, aliunde *postulati*, ad aliam ecclesiam transferendi erant, tum enim sedis apostolicae autoritas intercedebat, ut a prioris ecclesiae, cui tamquam sponsae obstricti fuerant, vinculo absoluerentur. Sed et haec disciplina ecclesiae Hungaricae pro variorum temporum moribus, regum nostrorum, ac pontificum Romanorum indole, interdum variata fuit. Vnum adhuc restabat, quod ad ecclesiarum, praelatorum, caenobitarum, et nobilium familiarum securitatem, stabilitatemque pertinebat, quod a *Bela IV.* perfici boni omnes optabant. Eversis, aut incendio absuntis per Tartaros quamplurimis priuatis aequae, ac publicis regni tabulariis, multi donationum decessoribus, aut maiori-

(*a*) Specimen idmodi confirmationis metropoliticae habes in literis Theophili praepositi ecclesiae Strigoniensis, quibus Chanadinum ab Agriensi capitulo electum episcopum, A. 1323. confirmat. In episcop. Agrien. Tom. I. pag. 254.

bus suis olim per diuos reges factarum partim autographa, partim authenticā apographa amiserant, vt adeo, si lis eis aliquando intentaretur, nil prorsus literarum, queis se se tuerentur, haberent. Bela, pro paterno quo in singulos ferebatur studio, hac quoque parte suorum vota expleuit. Hunc in finem viros a fide, integritateque commendatos, ex utroque ordine constituit, qui in bonorum, quae quis ante Tartarorum vastationem bona fide possederat, iura diligenter inquirerent, autographas, vel apographies literas hostium rabie forte vitiatas, aut instrumenta quaevis eodem spectantia ad examen reuocarent, quodsi autem literae omnes fato intercidissent, saltem per idoneos testes legitima possessionum iura coram se probari procurarent. His aliisque similibus industriis demonstrata singulorum iuris possessionarii veritate, rex vetera iura nouo diplomate, nouaeque donationis titulo confirmavit (a). Haec omnia quantis curis, et sollicitudinibus optimo regi steterint, nemo est, qui non intelligat, quibus profecto id promeruit, vt iure alter Hungariae conditor posset appellari.

(a) Huius generis sunt literae confirmatoriae episcopatus Agriensis A. 1261. datae, apud Pray in specimene hierarchiae Tom. I. pag. 195. aliae item in Analectis Scipiosi Tom. I. pag. 294.

## §. XII.

*Friderici Austriae ducis caedes.*

**H**aec inter inhumanitas illa , qua *Fridericus* Austriae dux fugientem a clade ad Saionem accepta regem pecunia , thesauris , et tribus insuper Hungariae comitatibus per summam barbariem A. 1241. spoliauerat , paulo acerbius eius animum vrebatur , quam ut vindictam diu dissimulare posset . Rebus itaque domi vt cumque ordinatis , clam cum *Venceslao* Bohemiae rege , et *Bernardo* Carinthiae duce A. 1244. foedus init , ut ipsi interea geminis ex partibus Austriae inuaderent , viresque *Friderici* debilitarent , donec ipse idoneo exercitu comparato ex Hungaria irrum- pens fractum iam hostem aggredi , bellumque certiore cum victoriae spe posset prosequi . Verum neutri foederato res cessit e senten- tia , vtroque enim feliciter superato , *Fride-  
1245 ricus* A. 1245. victor euasit (a) . Cladem so- ciis illatam quantocvus reparaturus *Bela* , co- pias ex Hungaris , et Cumani conscriptas , et quas secum e Dalmatia adduxerat , equi- tum Rhodiorum , comitumque de *Frangepan* turmas in Austriae traducit , ac prope Neo- stadium ex arte militari explicat , *Fridericus* gemina superioris anni victoria tumidus , tan- tam victoriae fiduciam conceperat , ut sine mora prior ipse in certamen descendenterit , ac reaperte tanta tum vi in primos Hungarorum

---

(a) Pernoldus in Chronicō ad A. 1244. et 1245.

ordines irruerat, vt eos pedem aliquantum referre coegerit: verum dum retrocedentes cum paucis suorum parum caute insequitur: equo ictu sagittae per Cumanum militem prostrato, humili prolapsus, ac mox per accurrentes cataphractos Hungaros vndique obrutus, per comitem de *Frangepan* ense in caput impacto confoditur. Tulere quidem suppetias Austriaci, at vbi ducem suum occisum aspexere, sensim animis concidentes, satis habuere exanimē illius corpus Hungarorum manibus eripuisse, quod subinde ad S. crucem honorifico funere contumulatum fuit (a). Hungari quoque tribus comitatibus S. coronae suae dominio restitutis, a prosequendo bello abstinuere. Caedes *Friderici* eo Austriacis funestior fuit, quod cum eo *Babenbergica* ducum Austriae domus vna interierit. Masculo enim herede destitutus, vnicam reliquerat filiam *Gertrudem*, *Vladislao Misniae* duci nuptam, sed paulo post marito suo orbandam; soror item illius vnika superstes fuit *Margareta*, *Henrici Romanorum regis* viudua.

(a) Idem ad A. 1246. Simon Keza pag. 103. et chronicon M. Turotzii cap. LXXIV.

## §. XIII.

*Bella Hungaros inter, ac Bohemos Austriacae  
successionis causa.*

Hunc in modum postremo duce suo spoliae prouinciae Austriacae diuturnis finitimos inter bellis occasioneim praebuere, cum enim *Fridericus II.* imperator turbis alibi implicatus, insignis huius imperii Germanici feudi nullam pro eo, ac par erat, curam suscepisset, hereditas haec pro derelicta haberet, ac per vicinos occupari coepit. Prior *Wenceslaus* rex Bohemiae eo largitionibus, et promissis Austriae ordines pertraxerat, ut *Ottocarum* eius filium sibi ducem elegerint, ea tamen lege, ut *Margaretam* demortui ducis fororum *XLVII.* annos natam, adolescentis ipse coniugio sibi copularet. *Bela IV.* ad monarchiae Hungaricae securitatem pertinere existimans, ne Bohemus tantarum ditionum accessione cresceret, sicque obseruatum ad id tempus inter utrumque regnum aequilibrium turbaretur, in id saltem sibi incumbendum putauit, ut partem aliquam derelictae hereditatis sacrae coronae Hungaricae adiungeret. *Gertrudem* igitur *Friderici* ducis filiam recens marito orbatam omni officiorum genere partibus suis deuincire studuit, nominatim autem viduae adhuc adolescentulae suum ex filia *Constantia* nepotem, *Romanum* Russiae ducem sponsum obtulit, ac cetera omnia, quae ad coniugii huius dignitatem, et commoda pertinere videbantur, liberaliter pollicitus

fuit: quibus illiciis capta Gertrudis apud Styriae ordines effecit, vt Stephanum Belae regis primogenitum iuniorem Hungariae regem ducem, dominumque suum agnoscerent. Sic Austria, et Styria geminos inter vicinos principes diuisa, Hungaros inter, ac Bohemos A. 1251. bellum erupit: quo vt Hungarorum vires diuideret Ottocarus, percutso foedere ita cum Bulgaris conuenerat, vt quo tempore ipse ex Austria Hungaros inuaderet, illi infestis signis inferiores Hungariae partes aggredierentur. Id postquam Bela cognovit, ne duplii cum hoste, eodemque robusto rem agere cogeretur, vt erat pacis, quam belli amantior, ad inducias cum Ottocaro pangendas applicuit animum: quae A. 1253. nullo negotio coaluere, vbi Bohemis Austriae, Hungaris Styriae possessio confirmata fuit. Verum pactio haec hand diu firma stetit: quod Ottocarus, et Austriaci nullo pateto ferre vellent, vt regni Hungarici fines, ac vires Styriae ducatus acceßione augerentur; fraudibus igitur, dolis, ac pollicitationibus conciliatis sibi Styriae primoribus, adeo subinde Hungaros toti genti exoslos reddidit Ottocarus, vt seditione A. 1259. coorta, Stephanum suis cum Hungaris toto ducatu eicerint, quare rursus bellum recruduit: cuius initia parum prospera pertaesus Bela, pacem ab Ottocaro mercatus fuit; eius haec fere fuere capita: vt Austria, ita etiam Styria, ab Hungaris ante possessa in Ottocari dominium transeat: Stephanus rex junior omni in Austriacas terras iuri renunciet: alter

1251
1253
1259

*Belae regis filius dux Bela coniugem accipiat Ottonis Brandenburgici filiam, Ottocari ex sorore neptem. Quibus postquam rex*

**1260** *Bela, Stephanus, et Bela filii, ac regina vtraque Maria, et Elisabetha A. 1260. subscripsere, bellum tum omne quidem desit(a).*

*Ottocarus vbi se in totius Austriacae hereditatis dominatu confirmatum sensit, Margareta Austriaca, quod multo se adultior, et sterilis erat, repudiata, nouam cum Bela re-*

**1261** *ge A. 1261. contraxit affinitatem, Cunegunde eius nepte, Radislai Galliciae ducis filia, sibi matrimonio copulata. Ita tum ille Austria, et Styria potitus fuit, at quoniam opima haec imperii Romano-Germanici feuda interregni tempore, propria autoritate sua fecerat, neque vñquam ex more, rituque imperii, inuestituram acceperat, postquam Rudolphus I. Habsburgicus imperatoris dignitatem obtinuit, non sine ignominia eadem amisit, vt suo loco narraturi sumus. Haec prolixius hic referri oportuit, vt quibus viis, et iuribus Habzburgica domus ad Austria- carum ditionum dominatum peruenerit, clarius postea intelligatur.*

(a) Vide Annales reg. Hung. Tom. I. ad an. cit.

## S. XIV.

*Dissidia patrem inter, ac filium optata pace terminantur.*

Stephanus iunior rex fraude Ottocari Styriae ducatus dominatu se deiectum dolens, ac insuper improuida pace per patrem suum A. 1260, confecta, omnem illius recuperandae spem fibi ademptam aegre ferens, id saltem iam vrgebat, vt redditum annuorum, quos e Styria ante percipiebat, iactura sibi editionibus, prouentibusque Hungaricis sarciretur, quo regis iunioris, et coniugati, et pluribus iam ex Elisabetha Cumana prolibus aucti dignitatem, eo, quo cooperat aulae splendore, et frequentia porro etiam posset tueri. Id cum Bela ab inimicis Stephano aulae administris, et assessoribus in transuersum actus non sine stomacho reieisset, auctis maleuolorum opera in vtriusque animo et suspicionibus, et odiis, ad arma demum A. 1262. deuentum fuit. Commisso ad Fekete viz praelio, victor Stephanus maiorem Hungariae partem occupauerat, vt adeo periculum appareret, ne patre, quem ob sinistram fere semper bello fortunam multi iam tacite auersabantur, exautorato, filius ob bellicosam indolem toti genti carus ad solium eiusheretur. Verum Numinis, quod parentes nullo non tempore a filiis coli praecipit, prouidentia factum, vt feralis ea tempestas praeter omnium opinionem sopiretur. Vtique enim exercitu ad ineundum iterum praef-

lium comparato, *Stephanus* criminis, quod in patrem suum admiserat, atrocitate repente commotus, ex acie se se proripuit, patrisque genibus assusus lachrimas inter veniam deprecatus fuit, totum se deinceps in eius arbitrio fore pollicitus, modo ille quoque, quae patris sint, praestare velit (a). In expectato eo filii poenitentis spectaculo ultra modum delinitus *Bela*, condonata culpa omni, fidem dedit, se ea, quae hactenus negauisset, cumulatissime facturum, ac non modo filii regis necessitati, verum etiam dignitati, quam liberalissime prospecturum. Quod ut rite confieret, Posonium delectum fuit, quo nominati vtrinque arbitri conuenirent, de stabili patrem inter, ac filium concordiae ratione transacturi. Aderant illic praeter alios pro *Bela* rege *Philippus Strigoniensis*, pro *Stephano* autem *Smaragdus Colocensis archiepiscopi*, quorum opera prolixae, multisque capitibus constantes pacis tabulae sunt confectae, in quibus tamen haec fuere praecipua: direptiones, et damna belli tempore mutuo illata compensentur: antifitibus, et nobilibus, qui alterutri parti adhaeserant, id nulla ratione fraudi, damage que sit. *Stephanus* dimidium deinceps Hun-

(a) Rei totius seriem disces ex literis Mariae reginae ad capitulo generale ordinis PP. Praedicatorum. A. 1264. datis, in Annal. reg. Hung. Tom. I, pag. 310.

gariae regnum obtineret: eidem arx Filekienensis cum adfatis bonis adiiceretur, atque sic Danubius regni vtriusque limes fieret. Communes vtrique essent amici, et hostes: regum neuter perditissimo hominum generi assentatoribus aures paeberet. Porro cum per hanc Hungariae partitionem, salinae omnes Stephani regis dominati adscriptae erant, ita conuenire placuit, vt lucra, quae inde profuerent, ex aequo vtrinque diuide-  
rentur: iisdem concordiae tabulis Belae quo-  
que secundogenito prospectum fuit, tradita illi patrimonii loco Sclauonia. Haec alia-  
que vtriusque regis, ac cum Hungarorum, tum vero Cumanorum primorum iureiuran-  
do roborata, rursusque anno in sequente 1263. 1263  
confirmata, optatam regno quietem restitu-  
erunt (a). Quia vero hoc tractatu inito,  
regina senior Maria aliquid reginalium bo-  
norum in Hungaria amiserat, eorum loco, nouis in Sirmio, et Sclauonia bonis, reddi-  
tibusue A. 1266. donata fuit (b). Ex eo 1266  
tempore Stephanus non modo filialis erga pa-  
rentes obseruantiae laude, verum etiam bel-  
lica gloria excelluit. Illius quippe auspiciis,  
Bulgari non vna vice profligati, Budinum e  
praecipuis gentis ciuitatibus A. 1266. arma-  
ta manu expugnatum, potior denique pars 1266

(a) Tabulas concordiae vide in Annal. reg. Hung.  
Tom I. ad A. 1262. et 6;.

(b) Instrumentum huius donationis vide in episcopis  
Quinqueeccl. Tom. II. pag. 194.

regni vna cum rege suo Suetislauo sub iugum missa fuit (*a*), vnde Stephanus sibi Bulgarici cognomentum, regiis vero titulis Bulgariam afferuit (*b*).

## S. XV.

*Belae regis obitus, et memoria.*

Post toleratas diu aduersae plerumque fortunae vices, et aetate, et curarum pondere fractus *Bela* IV. in familiari sibi ad Budam insula leporum, ad meliorem vitam 1270 abiit, die III. Maii A. 1270. Strigonii in aede B. V. Mariae apud FF. minores O. S. Francisci, quos imprimis viuens dilexerat, sepultus: cui etiam tumulo regina *Maria* coniux, et *Bela* dux filius sunt illati (*c*). Vixit annos LXIV. imperauit ab obitu patris sui *Andreas* II. A. XXXV. menses VII. dies IV. ex vero nouus Hungariae conditor, quam per Tartaros prope funditus euersam ad pristinum florrem vtcumque reuocauit. Illius auspiciis per innumeras ex Germania praesertim, et Italia colonias in Hungariam deductas, plu-

(*a*) Simon Keza pag. 103. *Iste etiam ciuitatem Budum suo dominio subiugavit, dominumque Bulgarorum eo viuente, Bela IV. rege, sibi compulit obediare.* Idem habet chronicon cap. LXXVII.

(*b*) Timon in epitome chronolog. ad A. 1266.

(*c*) Chronicon cap. LXXIV. et LXXVI.

ritiae artes ad usum vitae humanae utiles ac necessariae, aut inuestigatae sunt, aut certe multum expolitae: Fodinae cum primis per plures, ac artis peritiores operas coli coeptae, paulo plus, quam antea, utilitatis regibus Hungariae deinceps attulerunt. Eximiam illius ad bene de se, ac patria meritos remunerandos munificentiam plurimae hodie dum florentes in Hungaria familiae opimis ab eo bonis donatae loquuntur. Quamuis insigni prudentiae, et consilii vi, rara item aequitate in gubernando vteretur, bello tamen, quoties id suis geslit auspiciis, fere semper infelix fuit (*a*). In eo ex aduerso fortunatus erat, quod nil ditionum ab *Andrea* sibi relictarum amiserit. Potior Bulgariae pars, Seruia, Boffnia, ac tota fere, si Iadram demas, Dalmatia illi parebat. Galicia item, ac Russia rubra suis cum principibus, *Daniel*, ac *Radislao*, *Belam* regem suum agnoscabant dominum. Regna haec, ut eo affectiore nexu sibi adstringeret, atque in perpetuum Hungariae coniungeret, filiarum suarum alteram *Constantiam Danieli Russiae*, alteram vero *Annam Radislao Galliciae ducibus Graeci* quidem ritus, sed ecclesiae occidentali unitis principibus in coniugium dedit, natosque e duplice hoc connubio nepotes instar regiae Hungaricae domus principum apud

(*a*) Recte sane M. Turottius chronicus cap. LXXV.  
Erat enim rex *Bela vir pacificus et in exercitibus,*  
*et praeliis minime fortunatus.*

se habuit, vt sic sensim moribus, institutisque Hungaricis assuescerent, ac in vnam subinde cum domo sua familiam coalescerent. Quapropter etiam postquam ad legitimam aetatem peruenere, et opimo patrimonio, et variis in Hungaria, Sclauonia, Boſniaque praefecturis sunt admoti: ac alter quidem *Radislai Galliciae*, et Machouiae ducis filiorum *Michael Boſniae*, alter autem *Bela Machouiae* ducatum obtinuerant. Sapiens hoc ad Russiae principes aulae Hungaricae rationibus et vtilitatibus autorandos *Belae IV.* consilium etiam *Stephanus V.* imitatus fuit. Refrigescentem aliquantum apud Hungaros religionem diligenter instaurarunt SS. *Dominici*, *Francisci* sodales, eamdemque apud Cumanos magno successu propagarunt: quorum opera vtilis etiam fuit, ad bonas artes, scientiasque, quas Tartari profligauerant, in Hungariam reuehendas. Denique *Bela IV.* imperante surrexit ordo S. *Pauli* primi eremitarum, per *Eusebium* canonicum *Strigonien-*  
1250 *sem A. 1250.* excitatus.

## §. XVI.

*Belae IV. coniux, ac liberi.*

**E**x *Maria Theodori Lascaris* Graecorum imperatoris, et *Annae Comnenae* filia, quam  
1220 sibi A. 1220. copularat, quacum quinquaginta annos in coniugio exegerat, numerosam sobolem sustulit *Bela IV.* Primus erat *Stephanus V.* rex A. 1238. natus. II. *Bela*

dux Sclauoniae parentibus suis praemortuus.  
 III. S. Cunegundis, Boleslai pudici Poloniae regis, IV. Sabina Moysis regni Hungariae palatini vxor. V. Constantia, Danieli Russiae rubrae duci tradita, ex qua nati sunt: Leo vrbis Lembergae conditor, et Romanus filii. VI. Anna Radislao Galliciae, et Machouiae duci nupta, mater Michaelis Bosniae, et Belae Machouiae ducum, nec non Cunegundis filiae, quae Ottocaro Bohemiae regi in manus conuenit, ac praediuitem matris thesaurum secum in Bohemiam abstulit. VII. S. Margareta monialis ord. S. Dominici. VIII. Elisabetha Henrici Bauariae ducis coniux, quae filium edidit Ottонem, postea Hungariae regem. IX. Helena Boleslao Callisiensi Poloniae duci collocata. Ceterae Belae IV. proles in prima infantia obiere (a).




---

(a) Vide cl. Schier in reginis Hung. primae stirpis pag. 219.

# STEPHANVS V.

## R E X XXI.

A. C. 1270.

§. I.

*Bellum cum Ottocaro improspere gestum.*

**A**mplissimorum regnum gubernacula adeptus Stephanus V. pro implacabili, quo in Ottocarum ferebatur odio, pacem decennio abhinc solennibus tabulis cum eodem conclusam, infastis prorsus auibus abruptit. Causae violandi foederis hae fere praetexebantur: Anna regis soror, ac Radislai Galiciae ducis vxor, cum filiam suam Cunegundem 1261 Ottocaro coniugem A. 1261. dederat, maxi-  
mi vna pretii thesaurum in Bohemiam secum deuictum, aut reapse filiae dono dederat, aut ad tempus solum concesserat, nunc autem marito suo orbata, ac a filia fortasse grauius offensa, eumdem aliquoties incassum repetierat, (a) praeterea aliquam portionem limitum

---

(a) Gaza omnis constabat ex *insignibus regalibus*, haud dubie aureis, corona videlicet, gladio, monili, sella, scutellis, et aliis crenodiis, vt habetur in tabulis pacis in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 130.

limitum Hungariae *Ottocarus* Austriae finibus adiunxerat, utriusque restitutionem cum hic arroganter negauisset, *Stephanus* perlibenter eam belli inferendi occasionem arripuit, quo amissae olim, fraude *Ottocari*, Styriae iacturam specioso eo praetextu posset vleisci. Itaque eodem adhuc anno 1270. bellum erupit, quo fidēlis ad eum diem comes fortuna *Stephanum V.* penitus destituisse visa fuit: quo tempore enim Morauiam depopulabantur Hungari, *Henricus* perpetuus comes de *Gis-  
sing*, seu Németh-vjuar, opulentus in Castris ferrei, et Soproniensi prouinciis dynasta, incertum qua spe, promissisque corruptus, a legitimi principis sui fide recessit, expeditamque *Ottocaro* viam praebuit in Hungariam immigrandi. Tum enimvero *Henrici* comitis opera hinc Iaurino, illinc Posonio, Tyrnauia, Nitriaque potitus *Ottocarus*, *Stephanum* ad aras, et focos tuendos domum reuocauit. Ne itaque hoste iam in visceribus haerente inuita fortuna vires prodigeret, pacem cum eodem inire coactus fuit. Tabularum haec fere summa fuit: bello utrinque ablata restituerentur, veteres regni Austriae versus limites, per delectos ad id arbitros, renouarentur, *Stephanus* suo, heredumque suorum nomine, cum in *Annae* sororis suae thesaurum, tum vero in Austriae, et Styriae iuri omni, interposito iureiurando, renunciaret. Quae omnia die III. Iulii A. 1271. et utriusque regis, et utriusque par-

1271

tis cognatorum, et affinium nominibus signata, firmataque fuere(a).

## §. II.

*Stephani V. obitus, coniux, et liberi.*

**S**i bellum hoc demas, nil praeterea breui duorum annorum regimine memoratu dignum egit *Stephanus V.* vt qui praematufo fato, animi fortasse dolore, ob gestum improspere cum *Ottocaro* bellum consumtus, paulo 1272 post pacem confectam, obiit in insula leporum calendis Augusti A. 1272. ibidem in adfita monialium O. S. *Dominici* ecclesia conditus, vitae nempe breuitate scelus, quod cor- reptis in patrem suum armis admiserat, ex- piauit. Vixit annos XXXIV. coniugem ha- buit *Elisabetham* regio Cumanorum princi- pum sanguine ortam, formae quidem praestan- tia, et ingenii dotibus insignem, quas ta- men laudes auaritiae sordibus, nimia facul- tates suas etiam cum aliorum iniuria augen- di cupiditate, et noxia in filium minoren- nem regem indulgentia postea obscurauit. Ex hac nati sunt I. *Ladislaus IV.* rex, cognomen- to Cumanus. II. *Andreas* dux Sclauoniae in- 1290 fidiis fratri sui A. 1290. in Polonia demer- sus. III. *Maria Carolo II.* claudio Siciliae re- 1271 gi anno 1271. nupta, *Caroli Roberti I.* Hun- gariae regis auia. IV. *Anna Andronico*, Mi-

---

a) Ibidein pag. cit.

chaelis Palaeologi Constantinopolitani imperatoris filio A. 1272. collocata, antea *Agnes* 1272 appellata. V. *Elisabetha* monialis Ord. S. Dominici in insula leporum. VI. *Iuditha* ante monialis, dein *Zanisio* Rorense duci tradita (a). Atque haec hactenus certae sunt *Stephani V.* proles. Verum quidem est, *Simonem Kezam* eius aeui scriptorem testari, *Ladislao IV.* regi, contra *Ottocarum* A. 1278. 1278 bellum gerenti, custodiae, et honoris causa adstituisse fratres illius *Andream*, *Salamonem*, et *Ladislaum* (b). Verum ly fratres latiore sensu accipiendum est pro proximis cognatis. Quemadmodum *Stephanus V.* in tabulis concordiae cum *Ottacaro*, *Belam* sororis suae *Annae* filium, *Machouiae*, et *Boffliae* ducem fratrem appellauit: (c) poterant autem hi esse *Moysis* palatini, qui *Sabinam Belae IV.* filiam in matrimonio habuerat, filii, ea iam aetate praediti, ut vndenni regi et consilio, et auxilio praefecto esse possent. Quis enim credat pueri regis germanos, infantes adhuc, bello interfuisse.

(a) Vide cl. Schier in reginis Hungariae primae stirpis pag. 228.

(b) Simon Keza editionis Horanyianae cap. V. pag. 108.

(c) In pacis cum Ottacaro initae tabulis superius citatis,

---

# LADISLAVS IV.

R E X   XXII.

A. C. 1272.

§. I.

*Ladislaus IV. in pueritia regnum adit.*

Quo monarchia Hungarica *Ladislaus IV.* imperante quam florentissima, felicissimaque euaderet, nil prorsus a *Stephano V.* praetermissum fuit: infanti adhuc filio moderatorem dederat *Muthmerium* praepositum S. Martini de *Scepusio*, virum et doctrinae, et prudentiae laude insignem, a quo bonis artibus, scientiis, et moribus summo imperante dignis imbueretur (*a*). Regnum illi reliquit amplissimum, multarum prouinciarum coniunctione potens, et locuples, ac non modo optime domi constitutum, verum etiam cum omnibus fere vicinis principibus, sanguinis, affinitatis, ac foederum vinculis egregie communatum, sponsam quoque *Isabellam*, seu *Elisabetham Caroli I.* Siciliae regis filiam in Hungariam deduci curauit, vt interea lin-

---

(*a*) De *Muthmerio* vide cl. Wagner in *Analectis Scepusii* part. III. pag. 10.

quam, et mores gentis Hungaricae condisceret, ac vbi primum *Ladislaus* maturam coniugio aetatem attigisset, eidem ex ritu ecclesiae coniungeretur. Cupiebat scilicet prouidus pater, vt filius matrimonii vinculo prius vxori copularetur, quam illicitas posset degustare voluptates. Quia vero pueri principis aetas tot gentibus regnisque gubernandis impar erat, *Elisabetha* regina mater cum delectis primoribus reipublicae gubernacula fuscipere iussa fuit, quam nil dubitabat *Stephanus* et matris in filium, et reginae senioris in regnum potestate in communem omnium salutem usuram. Haec fere ultimis tabulis a moriente *Stephano V.* prouide, sapienterque constituta, non optimos postea successus habuere. Interea iustis funebribus demortuo regi persolutis, comitia exente aestate eiusdem A. 1272. indicta sunt, in quibus *Ladislaus IV.* Septembri mense per *Philippum Strigonensem* archiepiscopum inauguratus, a praesentibus ibidem regni ordinibus fidelitatis sacramentum accepit: absentibus vero, praesertim maritimis Dalmatiae urbibus per literas praecepit, vt primo quoque tempore adessent fidem suam eidem iurendo obligaturi (a). *Gregorius X.* pontifex vbi de *Stephani V.* obitu, filiique in

1272

(a) Literas huius argumenti ad Tragurinos datas vi de apud Lucium, lib. X. cap. IX. In Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 333.

regno successione cognouit, omnia ea, quae summum catholicorum sacerorum antistitem, patremque communis inter Christianos populos paeis studiosum decebant, quam cumulatissime praefstitit. Primum datis ad *Ladislaum* regem literis, sinceram illi in Deum, bonorum omnium largitorem, religionem, pietatemque commendauit, tum vero quasi futurorum praesagus, tenerum eius animum ad amorem, fidemque coniugalem *Isabellae* reginae sponsae constanter seruandam excitauit, denique monuit, ut idmodi proceres, ministrosque in consilium adhiberet, qui religione in Deum, boni publici studio, ac intemerata in reginam non minus, quam regem fide pree ceteris erant conspicui (a). Scripsit etiam ad archiepiscopos, episcopos, praelatos, magnates, nobilesque regni literas, quibus omnes, et singulos ad fidelitatem erga pupillum regem cohortatus fuit. Demum, quia optime illi perspecta erat *Ottocari* regis ambitio, cupiditas, et inquies animus, hunc quoque per literas maiorem in modum orauit, ut a lacessendo *Ladislae* rege, belloque eidem inferendo abstineret, ac si quid etiam iniuriae sibi ab Hungaris inferretur, habita pupilli regis aetatis ratione, omni alia ratione, quam bello lites componere studeret (b). Ita tum *Gregorius X.*

(a) In Annalibus reg. Hung. pag. cit.

(b) Ibidem pag. 335.

et regis, et gentis Hungaricae saluti, tranquilitatique prospectum iuit.

### §. II.

*Ladislaus IV. cum Rudolpho I. imperatore foedus init contra Ottocarum.*

Ceterum pium pontificis ad conciliandum *Ladislae Ottocarum* Bohemiae regem studium tum quidem effectu caruit: is enim pueri regis imbecillitate ad augendos regnorum suorum limites vti certus, quasdam iniurias sibi ab Hungaris illatas praetexens, eodem adhuc anno infestis signis Hungariam inuaserat, non tamen id illi sic abiit; postquam enim exeunte autumno suos domum reduxit, Hungari Cumanis coniuncti rigente iam hyeme in *Ottocari* ditiones nil tunc sinistri metuentes irruerunt, atque Austria, Styria, et Moravia impune sunt depopulati. Verum breui alia *Ottocaro* scena aperiri coepit, *Rudolpho I.* Habsburgico mense Octobri A. 1273. 1273 ad vacantem plurimis iam annis imperii Romani dignitatem eucto. Is enim violata imperii iura restituturus, *Ottocarum* pro potestate admonuit, vt Austria, et Styria, ad quam repudiata, thoroque turpiter exclusa *Margareta*, *Friderici* ducis sorore nil amplius habebat iuris, imperio Romano sine mora resignaret, quod cum ille, fortunae suae confisus, nouique imperatoris vires parui pendens, facturum se detrectasset, hostis

imperii proclamatus, bellumque in illum A.  
**1275** 1275. decretum fuit : tum enim vero *Ottocarus Hungarorum*, quos toties lacefuerat, amicitiam aucupari coepit, eorum enim auxilium sibi utilissimum fore sentiebat. Vtus autem erat ad conciliandos Hungaros opera *Henrici Bauariae ducis*, qui *Belae IV.* filiam *Elisabetham* habebat in coniugio. *Rudolphus imperator* optime peruidens, quantum *Ottocaro* virium accederet, si Hungari se illi adiungerent, in id toto conatu incubuit, ut prohiberet, ne ii cum eodem in gratiam redirent. Quapropter *Henrico Bauariae duci* sub imperialis gratiae amissione vetuit, ne porro in foedere hoc procurando operam suam apud Hungaros depromeret, legatum praeterea A. 1276. ad *Ladislauum regem* misit, qui iniuriis, quas *Ottocarus Belae IV. Stephano V.* ac ei ipsi recens intulerat, paulo vehementius exaggeratis, in teneri principis animo vindictae studium excitaret (a). Consimilis argumenti literas dedit ad Hungariae ordines, quibus eos ad ineundum secum contra *Ottocarum* foedus inuitabat (b), Pronos in vota *Rudolphi* Hungaros habuit legatus, ut qui gaudebant, opportunam sibi offerri

(a) Simon Keza cap. V. Propter quod Rudolphus Hungarise regem magnificum tamquam filium S. ecclesiae catholicae sibi postulauit humiliiter in auxilium, perpetua amicitia se ipsum capropter obligando.

(b) Exstant litterae Rudolphi in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 337.

occasionem, Sopronium cum innumeris oppidis, et pagis, thesaurum item regium frustra iam a Stephano V. repetitum, recuperandi. Nec mora, in haec capita cum caesareo legato conuentum fuit, Hungari quam maximis possent copiis, *Rudolpho* aduersus *Ottocarum* assisterent: *Rudolphus* vicissim, si Hungari a quocumque demum hoste aliquando peterentur, suppetias ferre teneatur: neutri fas sit, seorsim cum *Ottocaro* de pace pacisci (a). Utileissimo hoc foedere e sententia confecto, laetus *Rudolphus* A. 1277. Vien-  
nam obsedit, ac nullo negotio dditionem facere coegit. Exemplo Viennensium Styri pariter opera *Mainhardi* Goritiae comitis inducti, illius se fidei permisere. Tanta iactura ultra modum perculsus *Ottocarus*, ne potentissimis duobus principibus in se armatis, ceterarum quoque ditionum amittendarum adiret discrimin, tempori cessit, pacemque a caesare postulavit, quam etiam his fere conditionibus impetravit: *Ottocarus* omnibus omnino ditionibus Austriacis decedat; Bohemiae, et Moraviae inuestituram a caesare accipiat, eidemque consuetum fidelitatis sacramentum praestet. Hungaro autem regi Sopronium cum ditionibus omnibus ad Hungariam spectantibus, thesaurum item *Annae* focrus suae bona fide restituat; quibus

---

(a) Simon Keza cap. V. pag. 105. et chronicon Astrale ad A. 1276.

vbi *Ottocarus* subscripsit, a bello tum cef-  
satum fuit (a).

### §. III.

*Bellum cum Ottocaro Habsburgicae domui vti-  
lissimum.*

Anno nondum euoluto, *Ottocarus*, seu *Cu-*  
*negunde* coniuge ambitiousa femina instigan-  
te, seu sponte sua, ad res bello amissas ar-  
mis repetendas applicuit animum. Simul i-  
gitur caesari bellum denunciauit, simul tri-  
cena armatorum millia in Austriam traduxit.  
*Rudolphus* quoque copias in vnum cogit, ac  
*Ladislaus* IV. de ferendis sibi ex pacto sup-  
petiis admonet. Adfuit hic sine mora XX.  
Hungarorum, et Cumanorum millibus stip-  
tus, castraque ad Morauam fluuim defixit:  
cui postquam *Rudolphus* transmisso ad Ham-  
burgum Danubio se coniunxit, aliquot dies  
explorandae minoribus praeliis, et velitatio-  
nibus fortunae sunt impensi: demum die

1278 XXVI. Augusti A. 1278. decretorium cer-  
tamen initum: post acrem diurnamque di-  
micationem, Bohemis in fugam actis, cum  
*Ottocarus* amissa victoria, nolle ignominiae  
superstes viuere, cum paucis suorum fortis-  
ime pugnans in arena occubuit. *Ladislaus*

(b) Gerardus de Roo in Annal. Austr. lib. I. pag.  
25, et sequ.

quod suorum numero, et virtute maximum ad eius diei victoriam momentum attulerat, omnibus humanitatis officiis per caesarem excultus, et spoliis, et captiuis diues domum rediit, ac in perpetuam victoriae memoriam, vexilla signaque militaria hosti erupta in Albensi B. V. Mariae basilica suspendit (a). Rudolphus autem actis Deo ob tantum hostem deuictum gratiis, posito vindictae studio, Christianae caritatis, et clementiae insigne mox edidit documentum: reginam enim Cunegundem marito orbatam, vna cum orphanis in suam suscepit protectionem: primogenito autem Ottocari filio non modo Bohemiam, Morauiamque confirmauit, verum etiam filiam suam Juditham despondit. Austriae porro ditiones aliquamdiu imperii nomine administratae sunt, dum eas denique Rudolphus pro caesaris potestate, Alberto filio suo A. 1282. perpetua donatione contulit, initiumque dedit florenti postea tot seculis Augustae domui Habsburgo - Austriacae (b), cuius postremam principem AVG. M. THERESIAM A. 1780. die 29. Nouembris, communii luctu, et comploratione tumulo intulimus.

1282

(a) Simon Keza cap. V.

(b) Consule specimen Progonologico - Genealogicum AVG. domus Habsburgo - Lotharingicae quod A. 1774. typis Vindobonensibus edidimus,

## §. IV.

*Ladislai IV. indoles deprauatur maximo religione, et regni damno.*

Veteranus gentis Hungaricae, validusque hostis gloriose prostratus, Sopronium cum amplissimis, cultissimisque ditionibus Hungariae postliminio restitutum: ac crescens denique per Austriacarum prouinciarum accessionem bellicosi principis *Rudolphi* Habsburgici imperatoris potentia stimulo esse debuerant *Ladislao*, ut tam belli, quam pacis artibus confirmandae, ac ad summum florem prouehendae monarchiae Hungaricae curas suas deinceps sacraret. Verum ille, quasi nil sibi amplius pro communi salute, et securitate agendum superesset, mox a virtutis tramite ad profligatam viuendi rationem deflexit, pessimisque suis moribus, et exemplis Hungariam ad eum diem florentem, in ruinam impulit. Culpa depravati optimi principis cum generatim Cumani gentilibus, tum vero speciatim seniori reginae matris *Elisabethae* a plerisque tribuitur. Haec pro innato in populares suos studio in bonorum, prouentuumque reginalium administratione, ac in aulae suae muniis non aliis fere, quam Cumanis, sibi sauguine coniunctis, quorum plurimi gentiles adhuc erant, vtebatur. His in reginae *Elisabethae* gratiam, liber ad regiam patebat aditus, cum his tamquam suis, matrisque suae propinquis, et crebrius, et familiarius vixdum pueritiam egrellus rex

agebat, qui blandiendo, et assentando tene-  
rum, et grauioris consilii adhuc inopem illi-  
us animum ita sibi, gentique suae deuincire  
nouerant, vt iam eos impensis praे Hunga-  
garis ipsis diligenter, cum illis versari, sua-  
que inire consilia in deliciis haberet: qua in  
re adeo modum tenere non potuit, vt no-  
biliſſimae gentis suae Hungaricae moribus,  
et institutis, non sine contentus significatio-  
ne abiectis, ipso corporis cultu, et amictu  
ſe Cumanum profiteri non erubesceret. Ita  
ille mature admodum partium nationis studio  
laborare coepit, quod vitium, vt in privato  
homine non ferendum, ita summo imperanti  
quam diligentissime vitandum est, qui pro  
communis subditorum omnium patris officio,  
quosuis regni sui populos aequali beneuo-  
lentia prosequi, aequali singulorum commo-  
da cura, et sollicitudine complecti debet.  
Infelices profecto populos, inter quos non  
tam fidei, virtutis, ac meritorum, quam  
nationis, atque idiomatis discrimen faciunt  
principes: hac enim ratione subditas inter  
gentes, atque prouincias foueri odia, eadem  
que non sine reipublicae exitio in apertum  
aliquando erumpere incendium, plena est  
exemplis quaevis aetas. Sed neque hic sti-  
tit *Ladislau*, a quotidiano enim cum viris  
conſortio, breui ad familiarem cum mulieri-  
bus quoque Cumanis consuetudinem gradum  
fecit: quarum illecebris adeo pedetentim ir-  
retitus fuit, vt *Isabellae* reginae coniugis le-  
ctissimae amores fastidiens, magnum subinde  
Cumanarum pellicum numerum in thorum

regium induxerit, quibuscum sanctissimorum progenitorum sanguinem non sine totius regni offensione, communem facere non sibi vel religioni, vel dedecori duxit (a). Ingemuit ad foedam regis sui depravationem vniuersa gens Hungara, opportunumque remedium a *regina seniore* matre auide praestolabatur: verum frustra; auara nempe, et rerum suarum in dies augendarum studiosa mulier, ut filium ad nouas donationes sibi idemtidem faciendas, ac ea etiam, quae non sine iniuria, partim ecclesiis, partim nobilibus rapuerat, confirmanda proniorem haberet, inordinatis illius cupiditatibus detestanda prorsus indulgentia connivebat, sicque priuatas vtilitates suas, et officio matris Christianae, et filii regnique totius saluti antehabere non dubitauit: qua etiam arte immensas opes, innumeraque vltra consuetam reginarum sortem, bona corrasit (b). Aliud quo-

(a) Chronicon cap. LXXIX. *Iste enim rex Ladislaus filiam regis Caroli de Apulia in coniugium habebat, sed spredo choro coniugali filiabus adhaesit Cumano-rum Aydua, Kupchech, ex Mandula vocatis, ac alias quamplures in concubinas habebat, quarum amore cor eius est merito depravatum, et a suis baronibus, et regnè nobilibus odio habebatur. Vide item literas Nicolai III. pontificis in Anaal. reg. Hung. pag. 342.*

(b) Possidebat *Elisabetha* regina ducatum Bosniae, et Machouiae, Poseganum, Valeouensem, plusque regni comitatus, ac denique terrain Seepuisen. Ut videre est in Anaal. reg. Hung. Tom. I. pag. 350. et 353. In Analect. Seepus. Part. I. pag. 299.

que tum euenerat, quod inuiti, ac solius veritatis amore commemoramus: erant nonnulli de clero, quibuscum rex familiarius agere consueuerat, qui ne gratiae regiae iacturam facerent, ac pinguiora regni sacerdotia sibi promererentur, sacri sui officii immemores, damnabili dissimulatione sua, regem in arresto tramite confirmabant, qui etiam ea de causa subinde per legatum pontificium anathemate fuere percussi. Ex effusa regis libidine, quantum religioni sacrosanctae dedecus, quantum item ecclesiae, et regno Hungarico damni illatum sit, prouius est cogitando assequi, quam verbis describere: mox enim suarum mulierum gratiam aucupaturus rex, exclusis ex aula Hungaris, magnum Cumaniorum numerum ad aulica munera, et obsequia admouit, iisdemque et cameras, et prouentus regios administrandos commisit. Regio in se fauore animati gentiles Cumani, omessa legis euangelicae, ad quam antea astringebantur, suscipiendae cura, verbi Divini praecones e suis terris exterminauere: gentilium instigatione, et exemplis, corrupti quamplurimi ex illis, qui baptismum iam susceperant, ad patrias rediere superstitiones, neque hic quieuit Cumanorum audacia, ultra iam progressi, Hungaras puellas elegantiore praefertim forma praeditas, vi etiam adhibita a parentibus abstractas partim matrimonio sibi iungebant, partim inter pellices adlegebant: pueros quoque Christianos a parentibus egentioribus ablatos non familiae modo suae, verum etiam ritibus adscribere in more

habebant. Haec quia conniuente rege impune agere licebat, sensim Hungaris ipsis in Hungaria praeualere, ac ad dominatum aspirare coeperunt. Itaque diuisis agminibus regnum omne percursantes, ecclesiarum, praetectorum, ac nobilium terras, et praedia armata manu inuadere, atque in suam ditinmem redigere ausi sunt: quo tempore innumeros Christianos mancipiorum instar seruituti suae addixere. Quotidianis his rapinis adeo Cumanorum opes, et potentia creuit, ut locupletissimos quosque ex Hungaris diuitiis anteirent: quibus omnibus eam breui autoritatem sunt adepti, ut quamplurimi ex Hungaris, quo eorum benevolentiam, ac per eos regis gratiam consequerentur, cum alios profanos Cumanorum ritus, tum vero amictum ipsum adoptauerint. Atque ex his compendio per nos narratis, facile quisque intelliget, quam merito chronica nostra *Ladislauum IV. Chunum* appellauerint (a).

## §. V.

---

(a) Haec de pluribus excerpimus: Ex chronicō nostro cap. LXXIX. et sequ. Ex literis episcopi Olomucensis A. 1273. ad Gregorium X. pontificem datis. Ex literis ipsius regis Ladislai A. 1279. calendis Iulii. Nicolai item III. eodem anno V. idus Decembris signatis, ac denique Ladislai regis A. 1280. Quas omnes inspice in Annalibus reg. Hung. Tom. I. ad annos cit.

## §. V.

*Malis remedium adferre conatur legatus pontificius.*

Quibus haec oculis episcopi, optimates, nobilesque regni aspicerint, primum est arbitrari: videbant scilicet, si rex porro etiam effrenem Cumanorum rapiendi, Hungarisque iniurias inferendi licentiam toleret, neque in eo operam suam collocet, vt suavi euangelicae legis iugo sensim subiiciantur, breui eventurum, vt religionem sacrosanctam opprimant, gentemque Hungaram sub iugum mittant, aut certe intestino bello exorto mutuis in se gens vtraque caedibus desaeuant, abstersamque haud ita pridem, quam Tartari attulerant solitudinem, rursus in Hungariam reducant. Familiae quoque regiae orbitas angebat plurimos, nisi enim coercita vaga regis libidine, *Isabella* regina thoro coniugali restitueretur, nulla legitimi successoris aliquid obtinendi spes apparebat. Ad praecauenda haec mala, varia domi tentata sunt remedia, nullo tamen fructu, quod rex per Cumanos obsealus, et pellicum amoribus irretitus, a cordatorum virorum consuetudine, et consiliis abhorreret, neque aliis, quam eiusdem secum farinae hominibus beneuolas paeberet aurēs. Cuius itaque nulla iam regis ad frugem reuocandi domi ratio supereret, primores regni, et episcopi collatis inuicem consiliis, communi nomine literas ad *Nicolaum III.* pontificem dedere, in quibus

deprauati per Cumanos regis vitia, et quae  
inde enatae sunt, non ecclesiae solum, ve-  
rum etiam regni Hungarici calamitates can-  
dide perscripsere: medelam ab eo, velut  
summo Christianorum sacrorum antistite,  
communique omnium principum patre expo-  
fcentes. Is nobilissimi regni discrimine com-  
motus, fratrem *Philippum* ex ordine mino-  
rum S. Francisci, episcopum Firmanum, le-  
gatum in Hungariam dimisit, qui suavi, pru-  
denteque opera adhibita, regem ad saniora  
traducere consilia, reginam thoro regali re-  
stituere, Cumnorum conuerzionem vrgere,  
et collapsam denique ordinis ecclesiastici di-  
sciplinam instaurare satageret (*a*). Adsuit

1279 ille vere anni 1279. parum gratus principio  
in aula hospes: verum piis adhortationibus  
suis effecit demum, vt *Ladislaus* electis ex  
aula pellicibus Cumaniis, cum *Isabella* regina  
coniuge in gratiam rediret, iuratamque cau-  
tionem, eamdemque publicam daret de iis  
omnibus, quae ad communium malorum cor-  
rectionem facienda legatus suggererat, quan-  
to cyus executioni dandis (*b*). Nos praincipua

(*a*) Inspice lireras Nicolai III. P. quibus legationis  
Hungaricæ munus F. Philippo committit in Annal.  
reg. Hung. P. I. pag. 342.

(*b*) Literas Ladislai IV. de hoc argumen to calendis Iu-  
lii A. 1279. editas recitat Cl. Pray Annal. reg. Hung.  
Tom. I. pag. 343. Huc pertinent, quae chronicon  
narrat LXXX. de legato. *Regem etiam anathe-  
matis vinculo feriens*, id est anathema comminans,  
*ut paganos odio haberet, ritum Christianorum dili-  
geret, et thoro viueret coningulis.*

solum literarum harum capita huc transfere-  
mus. Ad conciliandos imprimis alienatos a  
se potiorum ex Hungaris animos, cavit *La-  
dislaus*, se illa, ad quae obseruanda reges  
Hungariae inaugurationis suae tempore se-  
met obstringere solent, ad amussim impleturum,  
daturum operam, ut exstirpato demum gen-  
tilismo, cultuque idolorum Cumani omnes  
fidem Christianam cum baptismo suscipiant,  
atque una etiam leges tam ecclesiasticas, quam  
diuinias obseruent, quae ecclesiis, caenobiis,  
et nobilibus per vim aliquando eripuerant,  
integre restituant, et quoniam Cumani ad  
eum diem nulli certo loco affixi, omnes re-  
gni partes oberrabant, temporariaque map-  
palia, et tentoria sua, vbi libebat, defigebant,  
siveque grauissima Hungaris damina inferebant,  
fancitum fuit, ut vniuersa gens Cumanorum  
in assignandis sibi locis stabiles domos, vil-  
lasque erigerent, neque inde discedere, di-  
vagarique illis liceret. Quae regem inter,  
ac legatum pontificium conclusa ut eo cer-  
tius in effectum deducerentur, missi communi  
Cumanorum nomine, gemini gentis primores  
*Vzu* et *Tolon*, non modo ipsi suam regi, et  
legato fidem obligauere, verum etiam obsi-  
des dedere, tamdiu in Hungarorum potesta-  
te, et custodia futuros, donec omnibus ca-  
pitibus de se perlatis satisficeret. His ex sen-  
tentia gestis, animatus legatus pontificius,  
praelatos Hungariae ad synodum in castro  
Budensi sub medium Iulii celebrandam eu-  
cauit, ut illic de corrigenda disciplina ec-  
clesiastica communibus consiliis ageretur,

## §. VI.

*Synodi Budensis acta, et exitus.*

Conuenere ad Budense castrum ad praefixum diem magno numero episcopi, abbates, praepositi, capitulorum legati, ecclesiarum rectores, et ordinum religiosorum superiores. Ante omnia *Lodomerius* Varadinensis episcopus natalium splendore, ac virtutis, doctrinaeque laude conspicuus, electus Strigoniensis archiepiscopus, non modo in sede sua confirmatus, verum etiam regni Hungariae primas, qua dignitate ad eum diem carrebant Strigonieuses metropolitae, pronunciatus fuit. Praeterea ex mandato *Nicolai III.* papae (a), quaestione legatus pontificius instituit de doctrina, vita, et moribus *Ioannis de Ilmure* (b) praepositi Budensis, decretorum doctoris, ac aulae vicecancellarii, quem rex die XXV. Nouembris anno superiori Colocensem archiepiscopum nominaue-

(a) Datum fuit breue Idibus Ianuarii seu die XVIII.  
 anni 1279.

(b) Didicimus id ex instrumento A. 1277. quo *Ioannes de Ilmure* praepositus Budensis de terra sua *Ilmur* terram duorum aratrorum a parte septentrionali vendit euidam *Gallo*, filio *Derecsleö de Vasad* pro VI. marcis argenti, perpetuo possidendam, quae terra per metas ibidem circumscriptas separatur per hominem capituli Strigoniensis. Ex tabulario *Ürményiano*. Porro *Urmény* olim *Ilmur*, aut *Ilmér* appellari consueisse notius est, quam ut probari oporteat.

rat; pontifex autem ad id usque tempus confirmationem impetrari distulerat propterea, quod regis iam deprauati iudicio ea in re deferre vereretur. Hic quoque legati autoritate in metropoli sua stabilitus, rerum pro patria, et ecclesia gestarum magnitudine postea inclaruit. Quibus feliciter expeditis, dies multi reformandae cleri tam secularis, quam regularis disciplinae sunt impensi, perlataeque eum in finem constitutiones LXIX. ex quibus, quae tum vitia in sacrum ordinem irreperserint, luculente licet colligere (a). Nos solos capitulorum singulorum titulos hic re- censemus. I. De tonsura praelatorum. II. de vestimentis eorumdem. III. De arcendo vestium luxu ab omni clero. IV. Quod annularum usus praelatis tantum sit permisus. V. Ut clerici tabernas in domibus suis non teneant. VI. Ut episcopi ex religiosis ordinibus assumti religionis suae habitum deferrant. VII. Ut praelati, et omnes clerici a faeuis factis, et bellicis actibus abstineant. VIII. De vita, et honestate clericorum. IX. Ut clerici sententiam sanguinis non dicent, nec aquam, vel ferrum candens benedicant. X. Ut vicariae non committantur laicis, vel clericis vxoratis. XI. Ut clerici arma non portent. XII. Ut clerici non cohabitent mulieribus. XIII. De reuerentia in Diuinis of-

(a) Synodi huius constitutiones vide in conciis Hung. Tom. I. pag. 105.

ficiis adhibenda. XIV. Ut qui suas dioeceses visitant, eas sumtibus non grauent. XV. Ne quis beneficium ecclesiasticum accipiat de manu laicorum, *id est*, ut canon ipse loquitur, *ut tam canonice electi*, quam a veris ecclesiarum patronis praesentati, per superiorem ecclesiasticum, seu praelatum suum in beneficio instituantur. XVI. Ut omnes in beneficiis curam animarum habentibus personaliter deferuant. XVII. Ut ecclesiastici a coniurationibus, et conspirationibus se abstineant. XVIII. Ut parochi antequam eant ad synodum dioecesanam, visitent infirmos *suae parochiae*. XIX. Ut adeant synodum omnes, ad eam conuocati, quo cultu, ornatuque? XX. Ut omnes curam animarum habentes in presbyteros ordinentur. XXI. Ut oleum sanctum, et eucharistia sub clavi seruentur. XXII. De diuinis officiis deuote, ac decenter celebrandis. XXIII. De illegitime intrusis in beneficia, remouendis. XXIV. Ut ecclesiastici non agant coram iudice seculari, nisi in causis secularibus. XXV. Ut coram eodem iudicio de personalibus iniuriis, et eleemosynis ecclesiae factis non litigent. XXVI. Non habeant in domibus suis prolem in sacro ordine suscepitam, nec alias: sint illorum liberi famuli maioris ecclesiae. XXVII. De reliquiis Sanctorum non expnendis venerationi, nisi prius autoritate Romani pontificis fuerint approbatae. XXVIII. Qui sint admittendi ad praedicandum, et de quaestoribus, lucri sui causa, eleemosynas a populo extorquentibus. XXIX. Ut res

ecclesiae pignori non obligentur; XXX. Vt  
 res ecclesiae a rectoribus non donentur.  
 XXXI. Vt nemo clericus peregrinetur sine  
 ordinarii licentia. XXXII. Vt nemo incog-  
 nitus, seu sine literis dimissoriis admittatur  
 ad sacra peragenda. XXXIII. Vt fideles di-  
 uinis intersint in parochialibus ecclesiis.  
 XXXIV. Vt rationes reddantur ab iis, qui  
 bona ecclesiastica administrant. XXXV. Vt  
 iidem mutuo non dent, vel accipient. XXXVI.  
 Vt bona ecclesiastica alienare nou liceat.  
 XXXVII. Vt ecclesiae parochiales non gra-  
 uentur per praelatos suos indebitis exactio-  
 nibus. XXXVIII. Vt archidiaconi iuri ca-  
 nonico per triennium studuerint, vel stu-  
 deant. XXXIX. De causis matrimonialibus  
 per discretas, graues, ac honestas personas  
 iuris canonici scientiam habentes discutien-  
 dis. XL. Quod irritae sint inhibitiones, et  
 alia, quibus praelati impediunt, ne subditii  
 culpas suas reuelent superioribus. XLI. Vt  
 supellex non teneatur in ecclesia, nisi sacra.  
 XLII. Vt presbyteri parochiales habeant  
 libros ecclesiasticos. XLIII. Vt profana in  
 caemeteriis, et ecclesiis non peragantur.  
 XLIV. Vt vigiliae in ecclesiis non fiant a  
 laicis. XLV. Vt priuentur stipendiis, qui  
 horis canonicis non intersunt. XLVI. De iis,  
 ad quos sepeliendos exigitur vna marca ar-  
 genti. XLVII. Vt laici non teneant con-  
 cubinas. XLVIII. Vt meretrices nemo in  
 domibus, et possessionibus suis habitare per-  
 mittat. XLIX. Vt bona decedentium cleri-  
 corum a laicis non occupentur. L. Vt alie-

nare bona ecclesiastica non liceat. LI. De iure patronatus iuxta leges canonicas moderando. LII. Aduersus bonorum ecclesiasticorum inuasores. LIII. De iisdem inuasori-bus coercendis. LIV. Ut iustitia per gratiam, aut corruptelam non fiat, sine, ne iudices ecclesiastici pecunia, aut alterius lucri spe corrumpi, vel fauore, aut odio in iudicando abripi se finant. LV. Quod excommunicati ab agendo, patrocinando, testificando in tribunali sacro repellantur. LVI. Ut exceptio rei iudicatae tam ecclesiasticis coram foro seculari, quam secularibus coram ecclesiastico admittatur. LVII. Ut iudices seculares compellant ad officium eos, qui sunt rebelles iudicibus ecclesiasticis, et vicissim ecclesiastici eos, qui non obediunt laicis. LVIII. De potestatibus secularibus, quae prohibent appellantes a sententia sedis sacrae in Hungaria ad sedem apostolicam, qua sanctione, regi, aut reginae matri appellantes impudenti interdictum ab ingressu in ecclesiam, ceteris autem sine discriminne excommunicatio decernitur. LIX. De immunitate ecclesiasticorum ab exactionibus, collectis, tributis et vectigalibus. LX. De eadem immunitate, poenisque in eiusdem violatores. LXI. Ut omnes regulares eiusdem ordinis eodem vestium genere induantur. LXII. De vestibus regularium. LXIII. De abstinen-tia regularium a carnis. LXIV. Ut regulares monasterio non exeant, sine licen-tia superiorum. LXV. Ut regulares non recipiant ecclesias parochiales ad *firmam*,

id est censum annum, vulgo *arendam*. LXVI.  
 Ut religiosi non venentur: non deseruiant  
 ultra octo dies in parochialibus ecclesiis se-  
 cularium, sine speciali licentia ordinarii.  
 LXVII. De vitandis excommunicatis, et ser-  
 uando interdicto maxime a praelatis. LXVIII.  
 Ut vinearum, et agrorum depopulatores tam  
 diurni, quam nocturni excommunicentur,  
 nec prius absoluantur, quam postquam da-  
 mnum passis satisfecerint, LXIX. Aduersus bo-  
 norum, et iurium ecclesiasticorum inuasores.  
 Atque hic desinunt canones synodi Buden-  
 sis die XIV. Septembris A. 1279, promulga-  
 ti, quibus ad corrigendos sacri ordinis mo-  
 res nil profecto aut opportunius, aut san-  
 ctius perferri poterat, erant tamen aliqua,  
 quae sceleratis hominibus, ac iis praesertim,  
 qui regis libidini deseruiebant, non medio-  
 criter displicuerunt. Talis erat canon XLVII.  
 quo laicis omnibus sine discrimine prohibi-  
 tum fuit concubinas domi suae alere, ac al-  
 ter XLVIII. quo interdicebatur, ne quis  
 meretrices corpore suo quaestum exercentes,  
 siue in aedibus, siue in possessionibus suis  
 habitare permittat. Vrgebant praeterea et  
 legatus pontificius, et praelati Hungariae re-  
 gem, vt tam Hungaros, quam Cumanos Chri-  
 stianis sacris initiatos, lege publica iuberet  
 barbas radere, crines truncare, Cumanicos-  
 que pileos, quorum usus iam inualuerat, ab-  
 iicere (a). Verum quia nec Hungari, nec

1279

(a) Chronicon cap. LXXX. huius meminit: *Hinc insuper contra eum regem, quia Cumanice, et nou*

Cumani ab aucto barbas deferendi, crinesque alendi more defistere volebant, rex quoque legato, et episcopis ea in re morem generare detrectauit (a): ac reapse parum ad religionis Christinae sanctitatem intererat, barbatine, an imbarbes eam sectentur. Ceterum protracto in longius concilio, grauissima in legatum, patresque ibi congregatos tempestas coorta fuit. Nonnulli quippe ex aulicis, quorum intererat, ne rex prava cum meretricibus consuetudine dimissa, cum *Isabella* regina coniuge ex animo in gratiam rediret, dignamque deinceps Christiano coniugio vitam duceret, id confictis criminacionibus imbecilli principi persuasere, legatum cum episcopis clam in illius caput consilia eudere, agereque, ut autoritate pontificis, corona, regnoque priuetur, quin etiam adesse iam Roma literas commenti sunt, quibus atrocis huius facti perficiendi negotium legato, patribusque concilii sit commissum (b).

*catholice conuersabatur, Philippus Firmanus sedis apostolicae legatus aduenit, qui barbas radere, crines detruncare, contra mores Hungaricos, et pileos Cumanicos, quorum usus in Hungaria iam consuetudine habebatur, abiicere demandabat.*

(a) Patet id ex literis Nicolai III. papae sub exitum eiusdem anni ad regem datis, quas vide Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 347. sub initium.

(b) Suspicionem hanc Ladislai animo ingestam suisse cum aliunde patet, tum vero e literis Martini IV. papae A. 1282. calendis Octobris ad regem datis quas vide in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 353.

Huius generis mendaciis per malevolos narratis, vsque adeo in furias exarsit *Ladislaus*, vt ne inuestigata quidem accusationis veritate, Budensibus ciuibus seuere interdixerit, ne quidquam rerum ad victum necessariarum seu in foro venum proponerent, seu patribus concilii, eorumdemque seruitoribus alia ratione administrarent, eos e castro eiicere satagerent, alios ingredi volentes excluderent (a). Ne itaque inediam, vulgique ludibria porro tolerare cogerentur patres, soluto concilio, domum rediere, legatus autem pontificius vim sibi ab irato, ac in pri-  
stinas iterum libidinum fordes relapso rege imminentem declinaturus, festinato itinere

---

(a) Factum hoc suum refert rex ipse in literis A. 1280. XV. calendas Septembri ad vniuersum regnum datis. Ibidem pag. 349. Notum fieri voluntum vniuersis, quod cum tempore S. concilii per venerabilem patrem D. Philippum --- in castro Budensi deuote, et solemniter celebrati nos feruore iuuentutis contra nostram salutem accensi, et quorundam pranorum consiliis, deprauati, atque seducti, in nostram hoc inferriri iniuriam aestimantes quod erat ad propagationem virtutum, exclusionem etiam vitiorum, iudicii, et ciuibus dicti castris Budensis sub grauibus poenis dedimus in mandatis, ut praelatos regni nostri ad mandatum D. legati praefati, ibi occasione dicti concilii congregatos de castro ipso excluderent, nec aliquos in dictum castrum permitterent intrare, quodque eis, et familiae eorumdem virtualia, et venalia prohiberent.

in Poloniā se se recepit. Ita res optime coeptae, paucorum aulicorum scelere, non sine regni, religionisque damno sunt corruptae.

### §. VII.

*Ladislaus poenitidine tactus anteactae vitae errores retractat.*

Nicolaus III. pontifex de iis, quae acta erant, per legatum edoctus, eodem anno 1279 die IX. Decembris prolixas quidem, sed humanitatis pietatisque paternae plenissimas ad *Ladislaum* exarauit literas: in his finistras, quas ille de sedis apostolicae aduersus regiam dignitatem suam consiliis conceperat suspiciones, dissipare studuit: tum proposita ante oculos criminum, queis se obstrinxerat, foeditate, offenditionum, quas subditis populis suis dederat, atrocitate, foeda nominis, qua domi, forisque apud omnes principes laborabat, infamia, damnis, et calamitatibus, quas neglecta reipublicae cura, toti regno intulerat: ac aeternarum denique poenarum a Deo scelerum vindice eidem aliquando infligendarum severitate, paulo vehementius iuuenilem principis animum compungere conatus fuit (a) Rudolphus quoque imperator, Venceslaus rex Bohemiae, ac Ca-

(a) Lege sis literas ipsas in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 345.

*rolus rex Siciliae a pontifice rogati per nuncios, et literas hortati fuere Ladislaum, ut a profligata vitae ratione recederet, Isabellam reginam coniugem in thorum recipere, mores denique Christiano principe dignos resumeret. Quorum omnium monitis, et adhortationibus commotus, legatum apostolicum e Polonia reuocauit, quo autore, ut datum tori genti offensionem publica poenitentia elueret, die XVIII. Augusti anno 1280. 1280 literas dedit propalam vulgandas, in quibus ea, quae perperam egerat, retractauit, ac ad expianda anteactae vitae crima, centum argenti marcas in Göllniciensibus fodinis assignauit, eleemosynae nomine annis singulis erogandas in hospitale, pro miseris, et aegrotis in Hungaria erigendum (a). Plura item alia in commune bonum tum et egit, et faxxit, e quibus non mediocrem boni omnes spem de sincera illius commutatione conceperant.*

### §. VIII.

*In priorem vitae licentiam relapsus Ladislaus, a proceribus regni honestae custodiae datur.*

*V*erum altiores iam in corrupti regis animo radices egerat foeda cum Cumanis pellicibus consuetudo, quam ut diutius earum ferre

---

(a) Exstant ibidem pag. 349. Vtinam plura hodie quoque conderentur huius generis hospitalia, quo miserabiles personae aegrotantes, omniq[ue] humana ope destitutae se possent recipere.

absentiam, reginaeque coniugi suae vellet  
 conuiuere: hac igitur, incertum quo praetex-  
 tu, e regali thoro A. 1281. exclusa, procul-  
 que ab se relegata, illas rursum ad aulam  
 euocauit. Non deerant scilicet quidam ex  
 aulicis, *Isabellae* reginae infesti, qui *Ladi-*  
*slo* ad id consilii autores fuerant, quo sic  
 rege amoribus Cumanarum capto, ac idcirco  
 eorum, quae summi imperantis erant, negli-  
 gente, cuncta ipsi iterum pro libidine agere,  
 priuataque lucra sua tutius possent quaerere.  
 Duo quoque e sacro ordine viri, episcopali  
 charaktere conspicui memorantur, qui esfreni  
 regis licentiae aperte fauere ferebantur.  
 Inopinatam hanc regis commutationem vbi  
 legatus pontificius suis met aspexisset oculis,  
 atque vna conatus suos, quibus regem ad  
 recipiendam *Isabellam* reginam adducere stu-  
 duerat, inutiles euadere sensisset, consilio  
 illis rerum, temporumque rationibus parum  
 profuturo, *Ladislauum* imprimis regem publico  
 anathemate percussit: tum geminos illos an-  
 tistites eius cupiditatibus connuentes sacro-  
 rum potestate priuatos e sedibus suis detur-  
 bauit: eos denique omnes, qui Cumanos cor-  
 poris habitu, amictuque imitarentur, a fide-  
 lium communione resecuit(a). Nimia haec  
 legati in sacrosanctum regis caput seueritas  
 cum aliis multis, tum vero *Ioanni* de Ilmur  
 Colocensi archiepiscopo, et regum, et regni

(a) Raynaldus, et Annal. reg. Hung. ad A. 1281.  
 Chronicon item M. Turotzii cap. LXXX.

Hungarici libertatis, ut suo loco videbimus, egregio vindici vehementer displicuit: qui, quia propalam fortasse latæ per legatum sententiae intercessit, eiusdem autoritate sede sua, ut nobis videtur, tum quidem priuatus fuit (a). *Radislaus* autem inflictam sibi poenam adeo acerbe tulit, ut legatum sine mora finibus regni excedere iussicerit, redditumque, intentato mortis metu, interdixerit. Exinde vindictae studio abreptus, in eos omnes, qui aut legati partibus adhaerere, aut libidini suae aduersari videbantur, defauire coepit, exemploque suo Cumanos ad inferendas liberius Hungaris iniurias concitauit. Ex hac regis agendi ratione, cum alia gravissima mala, tum vero regiae familiae orbitaltem pertimescentes regni primores, ut et vindictae illius, et libidinibus modum posserent, collatis prius inter se consiliis, magno numero in aulam se penetrant, regemque, qua licuit, decentia comprehensum, A. 1281. honestae addicunt custodiae, iuncta illi *Isabella* regina coniuge, eo fine, ut pellicibus suis priuatus, pristinos cum eadem

1281

(a) In literis A. 1281. in quindena pentecostes editis legitur *Stephanus electus Colocensis*, at in aliis eodem anno aliquanto serius datis rursus habetur *Ioannes Colocensis*; haud dubie, quod mox sedi suae per legatum fuerit restitutus, sublatisque censuris omnibus confirmatus, alioquin posteriorem *Ioannem* archiepiscopum Colocensem eundem esse cum priore, documenta Romana, quae possidemus, solum faciunt.

amores renouaret, optatuinque tandem aliquando regno heredem daret (a).

### §. IX.

*Cumani ad tyrannidem aspirantes opprimuntur.*

Inopinata regis captiuitas vehementer perculit Cumanorum, praesertim gentilium, animos propterea, quod optimates interea illa, quae ad regni administrationem, legum obseruantiam, rectumque ordinem pertinebant, paulo diligentius, seueriusque exequentur, cum itaque illi licentiam suam coerceiri, potentiamque in dies magis restringi viderent, vereri cooperant, ne pedetentim per Hungaros in ordinem, seruitutemque redigerentur. Quod ut tempestive prohiberent, mislis communi nomine in Cumaniam nunciis, *Oldamurum* residuorum adhuc Cumanorum ibidem degentium ducem in auxilium euocant, oblata spe, iunctis viribus, Hungaros nullo negotio debellandi. Adfuit ille

1282 primo vere A. 1282. castraque ad lacum *Hód* collocauit, cuius aduentu cognito Cumani Hungariae incolae magno numero eodem confluxere. Optimates regni consilia hostium tempestive edocti, nil pariter eorum, quae ad apparandum quam celerrime bellum necessaria erant, omisere, ut adeo tantas breui copias

(a) Dlugossus histor. Pol. lib. VII.

copias collegerint, quae non ad sustinendos solum; verum etiam profligandos hostes noui impares fore videbantur. Cunctis rite ad bellum comparatis, regem primores adeunt, ac cum veterum iniuriarum; tum recentis perfidiae commemoratione ad iustum commotum indignationem, summo cum honore e custodia liberatum ad castra deducunt: ille incredibili laetitia et gratulatione a toto Hungarico exercitu acceptus, recta in hostes minime imparatos mouit: concursum est pertinacibus vtrinque et armis, et animis: ad extremum virtuti Hungarorum succubuere Cumani, quorum arcus imbrium, duraute pugna decidiorum, humore laxati nulli fere eo die usui fuere. Plurimum tamen ad victoriam momenti attulisse fertur insignis Lorandi comitis Soproniensis fortitudo, qui in confertos hostes summa vi illatus, multis circumacto in omnem partem gladio obtruncatis, ceteros ad viriliter dimicandum exemplo suo acenderat (*a*). Tristi ea clade accepta consternati gentiles Cumani, ut se se vteriori Hungarorum vindictae subducerent, relictis in Hungaria coniugibus, et liberis, cum Oldamuro in Cumaniam magno numero recessere; ceteris autem, qui domi restiterant, non mediocriter tum quidem animi concidere, ut pluribus deinceps annis quietem

(*a*) Chronicon cap. LXXVIII.

**1282** coluerint (*a*). Huius victoriae occasione versus *Martinus IV.* pontifex eodem anno 1282. die ultima Septembris, gratulatorias ad *ladislaum* regem dedit literas, quibus explica-ta beneficij e coelo accepti magnitudine, eum-dem ad constantiam in benecoepsis adhortatus fuit; simul inueteratam illam suspicionem, quam illi alias ingestam suisse meminimus, quasi sedes apostolica coronam illi adimere niteretur, dissipare conatus fuit (*b*).

## §. X.

*Noua Tartarorum in Hungariam irruptio profigata.*

**1285** *Ladislao* rege hunc in modum ad meliorem frugem reuerso, ac rempublicam ea, qua par erat, diligentia moderante, resprire coepit Hungaria, cum rursus grauissima tempestas exorta prope illi exitium allatura videbatur. *Oldamur* Cumanorum dux cladem ab Hungaris acceptam vlturus, Tartaros, *Neugarios*, ac aliarum Asiae gentium colluuiem ad inuandendam, depopulandamque Hungariam concitauit, quorum tantus numerus A. 1285. aduenisse narratur, vt vndecim milliarium ambitu pro castris opus haberet (*c*). Pest-

(*a*) Simon Keza cap. V. p. 109.

(*b*) Exstant literae in Annal. reg. Hung. Tom. I.

pag. 353.

(*c*) Ita Stero in Annal. ad A. 1285.

num usque oppidis, villisque ferro, et igne euastatis, cladem A. 1241. renouaturi 1241  
erant; nisi coelesti potius auxilio, quam vi-  
ribus humanis fuissent debellati. Pars eorum  
magna, inedia, pestifera lue, et morbis con-  
sumta interiere; pars viarum ignari, per  
Hungaros ex infidiis circumuenti occubuere,  
pars pernicibus vecti equis, ex inimica sibi  
regione ultro discessere, praesentique Hun-  
gariam discrimine liberauere (a). Ex hac  
Asiaticorum faece quamplurimi *Tartari*, et  
*Neugari*, ad Cumanorum praedia, ac posses-  
siones se se receperunt, atque ibi tamdiu de-  
lituerunt, dum denique pace regno restituta,  
potestas illis facia fuit in Hungaria  
remanendi: atque suos ex his Hungari  
seruos, et mancipia conducebant, qui  
tamen etiam in seruitute constituti, adeo  
pertinaciter gentilibus suis ritibus adhaere-  
bant, ut nonnisi *Ludouico M.* rege imperante,  
baptismum susceperint. Si quis *Neugaro-*  
*rum*, qui cum Tartarorum parte aliqua in  
Hungaria tum remanserant, viuendi, habi-  
tandique morem cum iis, quos *Zingaros* post-  
ea appellare placuit, contendat, hos ex  
illis ortum ducere non improbabiliter pro-  
nunciabit. *Neugari* quippe nulli certo loco  
affixi sub tentoriis degere, haec pro tempo-  
rum opportunitate de loco in locum trans-  
ferre, furtis denique, et rapinis viuere in  
more habuere, quibus ea fortasse de causa,

(a) Dlugoffus Hister. Polon. Lib. VII. Chronicum  
cap. LXXIX.

quod noui essent Hungariae incolae, *Neugatorum*, siue *Neoungarorum* appellatio adhaesit (a). Haec si opinio de Zingarorum in Hungaria origine non arrideat, haud scio an tempus aliud assignari possit, quo populus hic ad nos immigrauerit.

### §. XI.

*Rege in pristina vitia redeunte, misera Hungariae direptio.*

Ab impendente per Tartaros Hungariae excidio liberatus Ladislaus rex, nihilo melior effectus fuit. Redeunte enim in memoriam pristina cum pellicibus Cumani consuetudine, adeo sibi anno 1286. ereptus est, ut ruptis omniibus religionis, et fidei coniugalnis vinculis, insuper habita publica, quam apud omnes principes, et populos incursum erat, infamia, Isabellam reginam coniugem, ne sibi porro molesta esset, in carcerem detruserit, (b) ac se se deinceps totum veneri

(a) De *Neugarorum*, et *Tartarorum* rapinis sub Ladislao IV. meminit diploma Andreae III. A. 1290. in Analectis Scepstii Sacri, et profani Parte I. pag. 303. De iisdem agit Honorius IV. papa in literis A. 1287. ad Ladislaum regem datis, et qui eum in sede Romana exceptit Nicolaus IV. in epistola ad Lodomerium Strigoniensem A. 1288. data in Annal. reg. Hung. ad annos citatos.

(b) Certum id est ex Honorii IV. papae literis die XII. Martii A. 1287. ad Ladislaum regem datis, quas vide in Annal. reg. Hung. ad h. 2.

litauerit: neque iam magno pellicum, quas in aula sua alebat, numero contentus, nouas idemtidem apud Cumanos venabatur: quin etiam adeo postea maiestatis regiae decorum abiecerat, vt non solum iam inter Cumanos versari, verum etiam in Tartarorum, ac ipso-rum adeo *Neugarorum* tentoriis familiariter conuiuari libidinibusque vacare non erubuerit. Foedissima hac viuendi consuetudine, et, qui inde necessario consequi debuit, rei-publicae neglectu, adeo *Ladislai* regis maiestas, et autoritas euiluerat, vt potentiores regni dynastae excusso illius iugo, Hungariae regnum inter se partiri, ac tyrannidem arripere non dubitauerint. Sic *Ioannes de Osl*, seu *Oslép* comes de Gisling maiorem trans-danubianae Hungariae partem in suam redegit potestatem, neue a rege suo quidquam timendum haberet, cum *Alberto* Austriae duce foedus A. 1286. iniit, quo se se ad feren-das sibi mutuo aduersus *Ladislauum* suppetias obstrinxere. (a). Eodem tempore *Mathaeus* de Trenchinio totius fere Hungariae superio-ris dominus euasit. Horum exemplo, et im-punitate animati limitanearum ditionum pree-fecti, et bani prouincias fidei suae creditas, et vectigalia publica sui iuris effecere: ac vt paucis complectar omnia, vbi primum rex, culpa sua, timeri defuit, mox quasi da-

1285

---

(a) *Hautallelus* in *Fastis Campililiensibus* ad A. 1286.

to signo, quisque vicinos bonis, possessionibusque suis spoliare, ac ex aliorum rapinis res suas augere coeperunt, ut aduersus omnia societatis iura, nemo iam in Hungaria vitae, rerumque suarum securus degeret, neque cuiquam ius, sed vis, et potentia patrocinaretur. Cum in primis nimia regis cum gente sua familiaritate audaciam adepti, sociis *Tartaris*, et *Neugaris* vniuersam Hungariam depraedando, percursantes, quod collibuerat, impune diripere, sibique obstantes trucidare, ferro denique, et igne omnia consumere, non reformatarunt. Per hanc rapiendi, ac debiliores opprimendi licentiam, complures nobilium familiae generis antiquitate, et opibus aliquando florentes, ad extremam deuenere egestatem; viri olim clarissimi, et gestis in republica muneribus conspicui rus colere, manuumque labore quotidiano victui necessaria comparare sunt coacti: et quia plurimum annorum spatio continuatae rapinae, quasi iam ciuitate donatae erant, tanta cuiusvis generis iumentorum penuria ad extreum enata fuit, ut, cum pescudes deessent, homines ipsi earum loco carros impellerent: quod vehicularum genus in perpetuam *Ladislai* regis, communis eius calamitatis autoris, memoriam *currus Ladislai regis* vulgus appellauit (*b*). Sic cum domi

(*a*) Paucis haec chronicon describit: *Tempore enim istius Ladislai regis - - coeperunt in ea intestina bella consurgere, ciuitates confringi, villae*

cuncta direptioni paterent, vicini quoque principes alii ad excutiendum S. coronae Hungaricae dominium, alii ad res suas ex Hungariae ruinis augendas, adiecere animum: *Vrosius* Seruiæ princeps, et Russiae rubrae duces regem Hungarum adeo abiectis moribus praeditum detestati, in libertatem se se afferuere. Poloni non modicam limitum Russiae partem in ditionem suam redigere. Maritimæ Dalmatiae vrbes plurimæ desertis Hungarorum partibus, Venetorum societatem sunt amplexae. *Albertus* denique Austriae dux *Rudolphi* imperatoris filius, *Ioannem* Gissingensem comitem, a quo, incertum qua de causa, atrociter tum dissidere coeparat, coercendi specie, armatus Hungariam A. 1289. subiit, ac praeter Sopronium, ac 1289 Ginsium insuper XXVIII. alias ciuitates, ac oppida nemine pro viribus, resistente occupauit, Austriaeque finibus adiecit (a). Hunc in modum Hungaria e pristino splendore suo praeceps acta, domesticis aequa, ac exteris

*per combustiones ad nihilum redigi, pax, et concordia penitus conculcari, dimites deficere, et nobiles rusticari præ inopia paupertatis. Illo tempore liga, scilicet duarum rotaram vehiculum, a regnè incolis currus La distai regis dicebatur, quia proper continua spolia, animalia vehicula trahentia defecerant in regno, sed homines more pecorum, bigis iuncti, vices animalium impendebant.* Cap. LXXXI.

(a) *Chronica Australis* ad A. 1289.

in praedam cessit, ex quo quiuis intelliget, quantum ad monarchiae felicitatem intersit cordatusne, et exactus, an ignauus, et incurius princeps eidem imperet: languente scilicet capite, cetera quoque membra languere, et sensim emori est necesse.

## §. XII.

*Ladislaus rex per Cumanos interficitur.*

Mira profecto rerum vicissitudine factum est, ut eorum scelere, et manibus rex interiret, in quorum gratiam famam, et rem publicam prodegerat, prostituta sua viuendi coniuetudine, et effusa in quoslibet thoros licentia, adeo iam Cumanis ipsis intolerabilis, et iniuriosus euaserat, ut initio communi totius gentis confilio, eundem e medio tollere decreuerint. spe firma ducti fore, ut rege sublato, ipsi quoque magnam Hungariae partem sibi subiugarent, nouique Cumanorum dominatus fundamenta iacerent: parricidii exequendi negotium datum fuit tribus populi primipilis, *Arbutz*, *Turtul*, et *Kemenche* nuncupatis: neque difficile id fuit perficere. *Ladislaus* enim non iam Budae, aut Albae-regiae, custodibus corporis, et satellitibus munitus degebatur, sed Cumanos inter, *Tariatos*, et *Neugarios*, sub tentoriis habitare consueuerat. Quapropter prope castrum Körösfzeg nocturnae quieti vacantem, die 1290 X. Iulii A. 1290. aggressi, multis confodere vulneribus. Non tamen impune eis abiit

immane parricidium: *Myze* enim, seu *Moy-ses* antea Ismaelita Saracenus, postea Christiana sacra amplexus, regni palatinus, assumto in societatem germano suo *Ladislao*, et *Nicolao* Cumano Christiano, primariae pellicis regiae *Eduae* fratre, fida satellitum manu stipatus, clam in villam, vbi *Arbutz*, et *Turtul* parricidae agebant, irruit; vterque comprehensus: ac ille quidem bifariam dissectus, hic autem membratim concisus, criminis atrocissimi in sacrosanctum regis caput admissi poenas dedere. Neque hoc suppicio contentus palatinus, quo maiorem omnibus parricidii horrorem incuteret, in totam sacerdiorum familiam quam severissime desaeuiit, ut nulli sexui, aut aetati, ac ne infantibus quidem parceretur (a). Atque his caedibus, et suppiciis praematro *Ladislai* IV. funeri parentatum fuit, eius corpore Tsanadini condito. *Isabella* regina coniux aut sub idem tempus in carcere, ad quem detrusa fuit, animi dolore contabuit, aut certe paulo post virum est secuta: quod nulla illius amplius seu apud domesticos, seu apud exterios scriptores sit mentio. Hic exitus fuit *Ladislai* IV. cognomento *Chuni*, aut *Cumani*, qui ab *Elisabetha* regina matre mollius, quam par erat, habitus, ac ab assentatoribus aulae corruptus, postquam carnis voluptates, et quidem impune, quia in summo imperio collo-

---

(a) Chronicon M. Turotzii cap. LXXXI. et notae ibidem ex Chronico Budensi adiectae.

catus, exeunte pueritia degustasset, adeo eorum illecebris irretitus fuit, ut et religiosis, et rationis ipsius sensu obliterate conjugem nobilissimam, rem publicam, famam, ac suam denique, et subditorum salutem cupiditatibus suis posthabuerit: qua viuendi ratione, quantum potentissimo ante Hungariae regno damni intulerit, satis superque explicuimus. Vnde parentes documentum capiant, quantum obsint filiis, cum eos benignius habent, vitia dissimulant, ac delinquentes pro potestate castigare negligunt, ignare recta eorum, qui aliquando reipublicae munis admouendi sunt, institutione, et summi imperantis, et subditorum pendere felicitatem.

## ANDREAS III.

VENETVS.

R E X XXIII.

A. C. 1290.

S. I.

*Andreas III. legitimo iure coronam Hungariae adipiscitur.*

*H*illud in Ladislai IV. occasu funestissimum Hungariae fuit, quod nulla sobole relicta decesserit, ac ipsum adeo germanum suum *Andream Sclauoniae ducem*, qui ei hereditario

iure in regno succedere debuerat, ex male-  
uolorum instigatione, non modo solum ver-  
tere coegerit, verum etiam, si Polonis scri-  
ptoribus fides, in Polonia latitantem immis-  
clam sicariis ultimo regni, et vitae anno  
perimi procurauerit (a). Vnicus itaque so-  
lii Hungarie heres tum superstes fuit *An-  
dreas*, Venetus dictus propterea, quod eum-  
dem *Andreae II.* Hierosolymitani filius dux  
*Stephanus* ex *Thomafina* Maurocena coniuge  
Venetiis sustulerit. Hic, incertum quo anno,  
regnante adhuc *Ladislao IV.* non tam huius  
fortasse, quam procerum voluntate in Hun-  
gariam accitus, ditionem aliquam patrimonii  
nomine obtinuerat, proprioque Hungaricae  
domus principibus *ducis* titulo ornatus, pri-  
uatum tranquillus aliquamdiu agebat vitam (b):  
verum subinde *Ladislai IV.* in vnicum germa-  
num suum *Andream* Sclauoniae ducem bar-  
barum in modum saeuientis iras, et insidias  
veritus, in vicinam Austriae se recepit, ubi  
omni humanitatis, et officii genere ab *Al-  
berto* duce excultus, aliquot exegit menses  
(c). Intellecta postea per occultos nuncios  
*Ladislai IV.* caede, *Andreas Venetus* metuens,  
ne ab *Alberto* Austriae duce, qui haud ita

(a) Longinus Histor. Pol. lib. VII.

(b) Chronicorum cap. LXXXII.

(c) Confitetur id Andreas ipse in diplomate A. 1297.  
quo Alberti Austriae ducis filiae Agneti coniugi  
suae dotem definit. In Annal. reg. Hung. I. pag.  
364.

pridem Posonium, Sopronium, Ginsium, pluresque insuper finitimas ditiones per vim occupauerat, ad pacta aliqua sibi, sacraeque coronae iniuria ante discessum subseribenda adigeretur, sumto peregrini habitu, nemine salutato, Vienna abiit, (a) ac recta Hederuarinum ad comitem *Kemen* de Hederuara, pincernarum regalium magistrum, comitem de Baranya optime sibi iam antea cognitum diuertit: hic dies complures restitit, vt, quo in se primores regni essent animo, certius intelligeret: nec abs re haec mora fuit: neque enim de *Andreae* Sclauoniae ducis clam in Polonia demersi interitu omnibus pro certo constabat in Hungaria, quo viuente, nullum *Andreae* Veneto ius ad coronam esse potuit: ac reapse paulo post repertus fuit impostor quidam, vultu fortasse, habituque corporis *Andreae* Sclauoniae duci non assimilis, qui eius personam mentiri, hocque nomine coronam Hungariae velut hereditario iure sibi debitam ambire coepit: fuit aliquamdiu nequissimo homini fortuna, vt non paucis in superiore Hungaria, Poloniae contermina, in errorem inductis, non leuem in *Andream* Venetum sub ipsa regni initia seditionem concitauerit: verum detecta fraude, impostoreque feliciter profligato, tempestas omnis breui desit (b).

(a) *Hagenus, et Historia Australis ad A. 1291.*

(b) *Seditionis a quodam, qui se Andream ducem nominabat, excitatae, meminit diploma Andreae III. A. 1291. datum, quod vide in diplomatario Sárofensi pag. 304.*

Postquam igitur tuta vbiuis esse omnia, et potiores regni sibi fauere comperit *Andreas Venetus*, Hederuarino digressus, in comitis Kemen comitatu, Albam-regiam die XXVIII. Iulii peruenit (a). Hic vbi a confluentibus vndique regni ordinibus pro vero, ac legitimo *Andreae II.* Hierosolymitani regis nepote, regnique Hungarici herede agnitus fuisset, accepto pro more ab omnibus fidelitatis sacramento die III. Augusti eiusdem anni 1290. e *Lodomerii Strigoniensis archiepiscopi* manibus hereditarium diadema suscepit (b). Ut adeo non immerito *Andreas* asserere potuerit se, *in solium regalis culminis diuino munere, e vicino iure, et ordine geniturae successisse* (c). Quae *Andreae III.* regis electio, et inauguratio quoniam rite, legitimeque peracta fuit, qua obsecro ratione a crimine excusari poterunt illi, qui illum postea regno omni iure aquisito deiicere, subditosque partim largitionibus, et pollicitationibus, partim minis a legitimi principis ob-

1290

(a) Ex diplomate *Andreae III.* A. 1291. comiti Kemen, fortasse *Clementi de Hederuara* dato, quod edidit Cl. Wagner in Decade I. illustrum familiarum pag. 63.

(b) Haec ad fidem continuatoris chronici *Andreae Danduli* Col. 402. A. D. 1290, mensis Augusti in vigilia S. Dominici, de nobilium, atque magnatum Hungariae beneplacito, serenissimus iuuenis *Andreasinus* de regno Hungarico honorabiliter exstis coronatus.

(c) In citato diplomate apud cl. Wagner.

edientia abducere sunt conati. Placuit regni ordinibus, ut nouo regi quantocvus sponsa daretur, ex qua heredem, toti Hungariae laetitiam allaturum, primo quoque tempore susciperet. Erat tum in Hungaria apud *Iuanum* seu *Ioannem* comitem Gissingensem exul *Pbenenna*, *Zemomisli* Cuiaviae ducis, a subditis suis, quod exteros p[re]e subditis impensis diligenter, in exilium acti filia, quae cum agente potissimum *Ioanne* comite, regio thoro digna haberetur, inaugurationis solennia initis cum ea nuptiis cumulata sunt (a).

### §. II.

*Mariae Neapolitanae reginae conatus, ad intrudendum solio Hungarico. Carolum Martellum filium, Hungaricae gentis constantia irriti redduntur.*

Vix regni possessionem adiit *Andreas*, cum continuo potentissimos experiri coactus fuit aemulos. Prima omnium signum sustulit *Maria* Hungara, *Ladislai IV.* regis soror germana, *Caroli II.* Siciliae regis coniux. Ambitiosa mulier sublato fine herede fratre, ius successionis ad se, filiosque suos deuolutum esse pro certo existimauit, nihilque machinarum deinceps omisit, quo *Andrea III.* e

(b) Cl. Schier in regnis Hung. Primae stirpis pag. 238.

folio deiecto, Hungariam sibi, suisque assereret. Ante omnia *Carolum Martellum* filium Neapoli summa cum pompa per legatum pontificium inaugurarari, ac regem Hungariae promulgari procurauit, (a) tum vero *Nicolaum IV.* pontificem adeo dextre partibus suis conciliare nouerat, vt non modo scenicam illam inaugurationem *Caroli Martelli* ratam habuerit, verum etiam sub initium anni 1291. feuere praeceperit *Lodomerio Strigonensi* archiepiscopo, vt propalam omnibus declararet, vacans nunc Hungariae regnum sedi apostolicae speciali titulo esse obligatum, eiusdemque collationem ad neminem alium, quam Romanum pontificem pertinere: iuslit praeterea declarationem hanc suam atque intercessionem in solenne instrumentum publicum redigi, sibique Romam sub nitti (b). Verum *Lodomerius*, qui *Andream* summa totius gentis Hungaricae consensione legitimum regni heredem agnitus, suis ipse manibus inaugauerat, pontifici ea in re obsequi amplius nec voluit, nec potuit. Aduenerat etiam sub idem tempus missus a *Nicolao IV.* legatus *Ioannes* episcopus *Aesinus*, qui consimilibus mandatis pontificiis in regno promulgatis (c),

(a) Antoninus Part III. Tit. 20. cit. in *Annales reg. Hung.* Tom. I. pag. 360. Not. (d).

(b) Fragmentum literarum Nicolai IV. pridie Calend. Febr. A. 1291. ad Lodomerium datarum habes ibidem pag. 361.

(c) Literae ad Ioannem Aesinum legatum die II. Ianuarii eodem anno datae habentur ibidem p. 360.

adhibitis item pollicitationibus, et minis aliquot, Dalmatiae praesertim ac Croatiae primores, in Hungaria autem nominatum *Ioannem* de Osl, Comitem Gissingensem eo permouerat, ut fidelitatis iuramento, quod anno superiore *Andreae* regi sponte nuncupaverant violato, nouo se se iure iurando obstrinxerint, ad illi soli obedientiam, et subiecti nem praestandam, quem pontifex Hungarum regem nominasset, (a). Neque enim pontifex ad eum diem *Andream* III. regio titulo dignatus fuit. Atque gemina haec iuramenta sibi e diametro aduersantia grauissimis postea conscientiae stimulis quamplurimos involuerunt, cumque alii primo, secundo alii se magis obligari, stringique putarent, crescentibus domini discordiis, finis imponi nunquam potuit; ceterum et *Mariae* Neapolitanae, et *Nicolai* IV. papae conatus tum quidem irriti fuere, ob insignem totius praesertim cleri Hungarici in legitimo rege suo tuendo constantiam, aperte quippe legato pontificio *Ioanni* Aesino aduersati sunt, propalamque edixere, virili stirpe Arpadiana in *Andrea* III. superstite, nullum omnino regiae familiae feminis ius ad regnum esse, negabant insuper cuiusquam potestatis, et iuris esse, ut regem legitime solio impositum deiiceret,

(a) Haec iuramenta tum praestita fuisse discimus ex literis Bonifacii VIII. ad Gregorium electum Strigoniensem archiepiscopum A. 1299. die XII. Martii datis, quas vide ibidem pag. 366.

deiiceret, gentique ad eum diem liberae principem imponeret: vt adeo legatus pontificius a negotio porro vrgendo abstinere cogatur.

### §. III.

*Albertus Austriacus a iuribus suis in coronam Hungariae persequendis prohibetur.*

Alter eodem tempore surrexerat aenulus *Albertus* dux Austriae, quem genitor suus *Rudolphus I.* imperator veteribus imperii Romano-Germanici in Hungariam iuribus postliminio fuseitacis, regem Hungariae sibi, et imperio fiduciarium creauerat. Verum huic mox obicem posuit *Maria Neapolitana*, cuius hortatu *Nicolaus* pontifex datis et ad *Albertum* ducem, et ad *Rudolphum* imperatorem sub initium A. 1291. literis, vtrumque ab inuadenda Hungaria grauiter dehortatus fuit; eo rursus ex capite, quod Hungariae regnum iuris sit sedis pontificiae, nemoque illius coronam, nisi quem pontifex elegerit, iure possit obtinere (a). Ceterum periculum quod ab *Alberto* Austriaco imminebat, non multo post penitus dissipatum fuit. Austriae enim ordines sub idem tempus vehementer ab eo dissidebant: causam coaeui scriptores hanc referunt, quod *Albertus* A. 1282. Austriae 1291  
1282

(a) Exstant litterae in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 361.

inuestituram a patre imperatore adeptus, in gentem Sueorum, inter quos a teneris e ductus erat, cateruam eo euocauerit, qui buscum paulo familiarius, quam vt Austria ci ferre possent, versabatur: Sueui soli omnia aulae obibant munia, cum iis solis bel li, pacisque inibantur consilia, hi soli sub inde summas et in militia, et in ciuili ordi ne praefecturas obtinuere, vt adeo Austriae ordinibus nil iam effet reliquum, quam Sueuis obtemperare, quaeque illi agenda preeceperant, exequi. Eo Sueorum dominatu adeo subinde irritati fuere Austriaci, vt inita clam coniuratione, simul *Alberti* du cis, simul Sueorum iugum excutere decre uerint, quem in finem vicinos quatuor principes: *Andream* Hungariae, *Venceslaum* Bohemiae reges, *Ottonem* ducem Bauariae, et episcopum Salisburgensem in belli societa tem inuitarunt, data fide, se in praemium victoriae ditiones Austriacas, vt cuiuis foederatorum opportunum fuerit, eos inter partituros, Salisburgensi nempe Austria su perior, inferior Bohemo; Bauaro Styria, Marchia Vindica Hungaro assignata fuit. (a). *Andreas* rex de Austriae consiliis tempestiue edoctus, priusquam ciuilis seditio in apertum erumperet, aliquid se dignius, re gnoque Hungariae vtilius tentaturus, octo-

(a) Gerardus de Roo lib. I. et Chronicon MS. apud cl. Bernardum Linck Prof. Zuetensem.

ginta millium armatorum exercitu stipatus  
 A. 1291. in Austriam irruptit, eoque armo-  
 rum apparatu ducem, qui seditionis metu ad  
 montem Cetium se se receperat, facile ad  
 pacem secum ineundam adegit: vtrinque igi-  
 tur ita conuentum: si *Andreas* ab inferendo  
 deinceps bello abstineret, *Albertus* Posonium,  
*Sopronium*, *Ginsium*, ac ceteras ciuitates, et  
 oppida, quae sub *Ladislao* IV. occupauerat,  
 Hungariae restitueret: cunctis item in Hun-  
 gariae coronam iuribus renunciaret (a). Pax  
 haec non solum *Andreae* III. regi nostro, ve-  
 rum etiam *Alberto* Austriaco iis rerum ratio-  
 nibus utilissima fuit: ille enim cultissimis ali-  
 quot Hungariae comitatibus, et *urbibus* post-  
 liminio recuperatis auctus, potenti vna ae-  
 mulo liberatus fuit; hic autem vicinum, eum-  
 demque validum foederatum opportune pror-  
 fus sibi adiunxit, cuius auxilio *Austriacos*,  
 siquid porro moliri auderent, posset com-  
 petere. Foedus hoc stabile deinceps per-  
 stitit, quin etiam paulo firmius roboratum  
 fuit, postquam *Andreas* priore coniuge *Fen-*  
*nena* demortua, *Alberti* filiam *Agnetem*, vir-  
 ginem sanctissimis praeditam moribus sibi A.  
 1296. despondit, (b) cui dotis nomine *Al-*  
*bertus* parens XL. aureorum millia, *Andreas*

1291

(a) *Pappenheimius* in *chronico*, et *chronicon* *Austra-*  
*le* apud cl. *Linck*. *Hantallerus* in *fastis Campili-*  
*ensibus* in *Annal. reg. Hung. Tom. I.* pag. 362.

(b) *Hafelbach* col. 765. *Hagenus* col. 1137.

autem Posoniensem arcem cum adfatis bonis,  
et vicina Cituorum *Tsalóküz* insula, anno in-  
sequente inscripsit (a).

## §. IV.

*Caroli Martelli pro adipiscenda Hungariae co-  
rona conatus irriti.*

Pace cum *Alberto* Austriaco tempestive com-  
posita, mox *Andreae* regi grauius negotium  
fuit cum *Maria* Neapolitana, cuius factio  
sub idem tempus in apertum coepit erumpe-  
re. Post, vbi aliquot Dalmatiae et Croatiae  
vrbes, atque dynastas, hos inter *Paulum* de  
genere Subich Clissae, et Ostrouiczae comi-  
tem, Dalmatiae banum, ac huius opera ipsum  
adeo *Ioannem* episcopum Zagrabensem mul-  
tis largitionibus, et promissis suos fecerat,  
nil iam de secundo votorum suorum succe-  
1292 su dubitans *Carolum Martellum* filium A. 1292.  
aere militeque instructum in Dalmatiam trans-  
misit, fortunam suam coram periclitaturum.  
Is multorum ad se in dies confluentium nume-  
ro, ac potentia fretus, Zagrabiam usque ne-  
mine resistente peruenit. Hic primum illi  
occurrit *Andreas*, decretorio certamine cum  
aemulo pro corona congressurus. Atque

(a) Literae hae editae sunt a cl. Frölich in diplom.  
Styriae inter Seccouiensia numero CXXIX. a cl.  
Hergott monumentorum Habsburg. Tom. III. parte  
I. ac denique in Annual. reg. Hung. Tom. I. pag.  
364.

hic vice fuit legitimae causae fortuna: *Carolus* enim *Martellus* non sine multa suorum caede victus, atque profligatus, Neapolim, vnde venerat, redire coactus fuit (*a*). Ab hac victoria quieto aliquamdiu esse licuit *Andreae*. Nam *Nicolaus IV.* pontifex, qui reginae Neapolitanae partes totis viribus ad id usque tempus sustinuerat, eodem anno pridie nonas Aprilis deceperat, a cuius morte dissentientibus in electione pontificis cardinalibus biennio et amplius sedes Romana vacauit. Obtinuit hanc demum die III. Iunii A. 1294. accitus ex eremo *Coelestinus IV.* 1294 papa: quem *Carolus* Neapolitanus rex, eiusdemque filius *Carolus Martellus* in ipso pontificatus aditu, omni offici, et obsequii genere sibi demereri sunt conati, nominatim autem pontifici, cum Aquilanam urbem solenni ritu, asello vectus ingredederetur, vterque ad frena praeiuere: qua insigni prorsus humanitate sua, et importunis precibus id a pontifice cum omnium, quae per Europam geregabantur rerum, tum vero iurium gentis Hungaricae prorsus ignaro impetrauerunt, ut is *Carolum Martellum* suam manu corona incinctum, regem Hungariae nominauerit. Credebat tum *Martellus* hanc inaugurationem summi pontificis manu peractam, plurimum momenti ad subiiciendos sibi animos Hungarorum habituram, certoque sibi persuaserat, neminem deinceps fore, qui sibi ausit refrar-

(a) Histor. eccl. Zagrab, pag. 92.

gari. Verum aliter multo ea res accepta fuit ab Hungaris: vt qui aegerrime ferrent, *Martellum* facto hoc suo, pontificis in Hungariae regnum ius agnouisse. Sed neque *Coelestinus* pontifex quidquam porro *Caroli Martelli* causa egit, eodem enim anno curarum pontificatui adnexarum satur, in priorem recessit solitudinem. Ceterum Hungariae antistites, quantum in sua erat potestate, prohibituri, ne qui porro ad Neapolitanas partes deficerent, in vnum conuenerunt, communique duorum metropolitarum, ac suffraganeorum consensu, excommunicationis sententiam in eos omnes sine discrimine promulgarunt, qui a iurata legitimi principis *Andreae III.* obedientia se subducere, ac eum cumque alteri adhaerere in animum induxerint (a). Quae status ecclesiastici in regis, et regni sui iuribus, ac libertatibus defendendis constantia, et fortitudo pluribus deinceps argumentis confirmata, et *Mariae Neapolitanae* spes non mediocriter retardavit, et *Carolo Martello* fortasse mortem acceleravit, vt qui in ipso aetatis flore, sub principium A. 1295. decepsit, relicto ex *Clementia*, *Rudolphi* imperatoris filia, coniuge *Carolo Roberto* filio, paternarum in Hungariam praetensionum herede. *Bonifacius* quoque VIII. pontifex, qui die XXIV. Decem-

(a) Certum id est ex literis Bonifacii VIII. P. XII.  
Martii A. 1299. ad Gregorium Strigoniensem datis. In Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 366.

bris A. 1294. *Coelestino V.* suffectus fuerat, 1294  
 audita cleri Hungarici repugnancia, paulo  
 lentius, et circumiectius, quam aulae Nea-  
 politanae vota ferebant, difficile hoc nego-  
 tium deinceps sibi vrgendum putauit. Qua-  
 propter etsi ab *Andrea* regis titulo, ac ap-  
 pellatione ornando abstinuerit, ne tamen  
 auctis eapropter in Hungaria turbis, atroci-  
 bus bellis occasionem paeberet, regimen  
 illius interea ratum habuit, eidemque tam-  
 quam regni administratori ab omnibus obe-  
 dientiam, et reuerentiam exhiberi, qui  
 etiam pronunciatam ab antistitibus Hungariae  
 in omnes *Andreae* refractarios excommuni-  
 cationis sententiam pro iusta, validaque de-  
 inceps haberi voluit. Quare cum *Ioannes*  
 de Gissling comes castri ferrei, ceterique  
 coniurationis in *Andream* socii, ac fautores  
 per episcopos suos a fidelium coetu ea de  
 causa rescissi, pro anathematis sublatione ad.  
 pontificem A. 1299. recurrissent, noluit ipse 1299  
 sua illos autoritate a grauissima illa poena li-  
 berare, atque ideo M. *Gregorio* electo Stri-  
 gonensi archiepiscopo negotium dedit, vt  
 examinatis rite excommunicationis adiun-  
 ctis, idonea prius poenitentia castigatos,  
 ex forma, rituque ecclesiae reconciliaret (a).

(a) Ex citatis literis Bonifacii VIII. ad M. Grego-  
 riū Strigonensem datis: ubi haec habeatur: *Quia*  
*tamen obedientiam, et reuerentiam Andree, qui*  
*rex Hungariae nominatur, ignarus Ioan-*  
*nnes comes castri ferrei, ipsius regimen per sedens*

## S. V.

*Andreae regis studia ad retinendos in fide  
Hungaros.*

Fot igitur machinis ab ipso regni exordio appetitus *Andreas*, curas pariter suas omnes eo intendere debuit, vt se in solio legitime aquisito tueretur: et quia in subditorum adversus se fide et constantia personae suae dignitas. atque securitas sita erant, nil eorum, quae ad arctius sibi deuincendos omnium regni ordinum animis faciebant, neglexit, partesque omnes pii, aequi, fortisque principis quam cumulatissime expleuit. Quia in re praeclaro sane illi cui fuit *Thomastina* mater, quam *reginae senioris* titulo, et dignitate ornauerat: haec quia praedivire domo Venetiis orta fuit, aere, facultatibusque suis tum, cum maxime opus erat, sub regni initia, filii regis maiestatem, splendoremque

approbatum, eamdem noluit exhibere, tam idem nobilis vir, quam sui complices, et fautores per bonae memoriae *Lodomerium* archiepiscopum *Strigoniensem*, et *Iaurinensem*, et *Wespriniensem* episcopos, ac alios suos suffraganeos fuerunt autoritate ordinaria, excommunicationis sententia innodati --- Nos igitur ipsorum supplicationibus inclinati, discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quantum, si ita est, per te, vel per alium praefatos nobiles complices, et fautores a dicta excommunicationis sententia ad cautelam iuxta ecclesiae formam absoluas, iniungens eorum cuilibet, quod pro ipsorum salute tua discrecio eis viderit iniungendum.

sustentauit: haec eadem, vt insigni praedita fuit ingenio, atque prudentia, temporibus, rebusque accommodata filio subministrabat consilia. Certe plura *Andreae* regis diplomata fidem faciunt, in grauioris momenti negotiis matris consilia fuisse expetita (a). Felices profecto iunioris aetatis principes, qui consiliorum, actionumque suarum arbitros, ac moderatores habent parentes virtute, prudentiaque conspicuos, aut certe tales administratos, qui animi rectitudine, sincero in publica commoda studio, et rerum, negotiorumque experientia excellunt. Illud imprimis prouide prorsus, sapienterque ab *Andrea* institutum, obseruatumque fuit, vt singulis fere annis praelati, barones, nobilesque regni ad habenda comitia Budam, aut Pestinum euocarentur, cum vt sua cum illis de republica conferret consilia, cum vero, vt crebra cum suis consuetudine, clementiam, ceterasque regias virtutes suas illis magis redderet cognitas (b). Atque has inter eminebat insignis gratitudo, et munificentia in illos, qui de se, patriaque bene mereri satagebant: singularis praeterea eluxit aequitatis, et iustitiae rigor, quo res inique ali-

(a) Speciminiis instar sit diploma *Andreae* III. A. 1294.  
quod vide conciliorum Hung. Tom. I. pag. 130.

(b) Hagenus col. 1138. apud cl. Schier in reginis Hung. pag. 243. siquae in his comitiis decreta Andreas III. edidit, haec profecto per illius aemulum, et successorem Carolum Robertum antiquata, vim legis habere desierunt.

quando ablatas, aut iura violata legitimis dominis restitui procurauit. Porro cum non ignoraret, praelatos potissimum, quorum maxima tum domi erat autoritas, ad defectionem sollicitari, actumque de corona, regnoque suo fore, si praecipuus hic monarchiae Hungaricae ordo Bonifacii VIII. importunitate expugnatus, ad Mariae Neapolitanae partes transitionem faceret, hunc omnibus illis artibus, et officiis, quae iustum, prouidumque decebant principem, ita sibi demereri noverat, vt si *Ioannem* episcopum Zagrabensem, plurimorum Illyrici dynastarum ad *Martellum* deficientium torrente A.

**1292** *abreptum demas, nemo fere Hungariae praelatorum ab illius fide postea secesserit, quae totius cleri Hungarici in regem suum fides, et constantia cum causae ipsius, ad quam tuendam obligati erant, aequitati, tum vero *Ioannis* de *Ilmür* Colocensis archiepiscopi virtuti, et exemplo adscribenda fuit: vt qui toto eo tempore, quo inter gentem Hungaram, aulamque Romanam de regis eligendi iure lis agitabatur, regni, gentisque Hungaricae libertatem ad obitum usque propugnauit.*

### §. VI.

*Secularium regni optimatum ab Andrea rege defectio.*

*Carolo Martello Mariae Neapolitanae filio e viuis erepto, nihilo securiori esse licuit Andreae, eo quod Neapoli constitutum iam*

erat, vt *Martelli* filius *Carolus Robertus* vi-  
uente adhuc *Andrea*, Hungarici regni dia-  
mante potiretur, neque aliud iam agebatur,  
ac vt id citra offensionem publicam, belli-  
que, a quo *Bonifacius VIII.* quam maxime  
abhorrebat, strepitum posset perfici. Hunc  
in finem opportunam sane, atque utilem o-  
peram *Mariae* reginae nauarunt nonnulli re-  
gni optimates, quos inter praecipui fuere  
*Paulus Dalmatiae* banus, *Gregorius* comes  
*Breberiensis*, *Ioannes*, et *Henricus germani*  
fratres comites de Giffing, atque *Vgrinus de*  
*Vylak*: qui contemta excommunicationis,  
quam Hungariae praelati in *Andreae* regis  
perduelles tulerant, sententia, aperte iam ad  
*Mariae Neapolitanae* partes secesserant: hi  
igitur collatis inter se consiliis, communis fe-  
secularium regni ordinum nomine, anno 1298. 1298  
ad *Bonifacium VIII.* oratores misere, qui  
referrent, Hungariam inde a D. *Stephani* ae-  
tate, Dalmatiam vero, et Croatiam a *Zuo-*  
*nimiris* regis tempore ad Romanorum ponti-  
ficium ius pertinere, ac idcirco maiorem in  
modum orarent pontificem, vt regnis his  
inde a *Ladislai IV.* regis obitu legitimo de-  
stitutis principe, de idoneo rege pro pote-  
state prouideret, sicque et religionis com-  
modo, et Hungariae saluti prospiceret: fi-  
xum enim sibi esse, non alium, quam qui  
a sede apostolica daretur, regem, dominum  
que agnoscere: hanc esse potiorum regni  
secularium voluntatem, cui soli pene epi-

scopi refragarentur (*a*). Nil optatius hac optimatum regni legatione accidere poterat *Bonifacio VIII.* vt qui ex illis , quae de *Stephani ad Sylvestrum II.* papam legatione in ecclesiae Romanae tabulario adnotata aut ipse legerat , aut ex aliis didicerat , aliter , quam Hungari vellent , intellectis , pro certo tenebat , non sacra solum , verum etiam secularia in gentem Hungaram iura , ac ipsam adeo regis nominandi potestatem sedi apostolicae ea occasione fuisse transcripta *b)* : qua in opinione complures ante , et post eum fuere pontifices . Praeterea *Bonifacio VIII.*

(*a*) Meminit legationis huius Chronicon Turotzii cap. LXXXII. In cuius *Andreae III. regis imperio*, quidam nobiles regni , Ioannes scilicet , et Henricus filii Henrici , et Vgrintis filius Pouch de Vylak , aliquique qui niplures in praeiudicium regis Andreae a papa Bonifacio VIII. regem petierunt . *Dein capite in sequente.* Quorum instantiam papa admittens , quemdam puerum XI. annorum nomine Carolum anno domini MCCXCIX. viuente adhuc *Andrea rege in Hungariam destiuauit.* Pluribus haec explicat cl. Kerchelich in histor. eccl. Zagrab. pag. 97.

(*b*) In literis ad legatum suum Nicolaum Ostiensem A. 1301 die XVII. Octobris datis , haec scribit , „ Ad haec nolumus te latere , aut in dubium resuocari , quod memoratum Hungariae regnum saecrofanciae Romanae ecclesiae a B. Stephano *cum omni eius iure* , et *potestate* devote oblatum fuit , et traditum reuerenter . . . Sicut haec plenius documenta , quae seruantur in archiis memoratae ecclesiae Romanae , testantur . In Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 309.

vt ex pluribus illius epistolis circa haec tempora datis colligitur, firmissime persuasum erat, praeter paganisnum apud Cumanos, et Tartaros, varias quoque haereses, schismata, foedamque morum corruptionem in Hungaria graffari: neque aliter mala haec corrigi, ac ecclesiam ad pristinam fidei unitatem posse restitui, quam si Neapoli pontificum beneficio tum dominans, ac non minus a peculiari in sedem apostolicam deuotione, quam religionis studio commendata domus Andegauensis ad solium Hungaricum euehetur. Hac igitur cum esset mente *Bonifacius VIII.* nil mirum est, eundem coniuratorum Hungariae optimatum votis, et postulatis quam libentissime subscripsisse. Sed neque deliberatum fuit amplius, quem Hungarum regem dari oporteret, postquam A. 1297. 1297 solenni sanctione *Bonifacius VIII.* decreuerat, vt in regno Neapolitano *Carolo II.* claudio regi secundogenitus dux Robertus a morte succederet, demortui autem primogeniti *Caroli Martelli* filius *Carolus* suis in Neapolim iuribus renunciaret, eiusdem loco Hungariam accepturus, hac regnorum partitione biennio ante, Hungaris inconsultis stabilita, pontifex *Carolum* filium *Martelli* eo ex capite, quod per auiam suam *Mariam Stephanii V.* filiam proximo sanguinis gradu reges Hungariae contingeret, solii Hungarici heredem, atque regem A. 1299. pronunciauit. 1299  
 (a). Quia vero, nec immerito, verendum erat,

(a) Chronicon Turotzii cap. LXXXIII, et Spondanus  
 ad h. a.

ne *Andreas* hac regis, se adhuc superstite, nominatione in vindictam actus arma corriperet, siveque fatali bello Hungaria inuolueretur, quo hominem sterili alioquin cum *Agnete* Austriaca coniugio vtentem, masculaque sobole carentem nonnihil delinire, porro etiam illi regimen, gubernationemque Hungariae reliquit, (a) eosque ut minimum rempublicam administraturum, dum vndennis puer *Carolus* ad maturam regno aetatem perueniret.

### §. VII.

*Crescente factione Neapolitana grauissima domi  
dissidia enascuntur.*

**H**is ex *Mariae* reginae Neapolitanæ voto in aula pontificia constitutis, priusquam *Carolus* in Hungariam dimitteretur, visum fuit *Bonifacio VIII.* *Nicolaum* Bocafinum recens creatum Ostiensem cardinalem plena cum legati potestate eodem praemittere, qui *Andream* regem non minus, quam episcopos *Carolo* conciliaret, omniisque industria adhibita efficeret, ut quantocvus in regem inaugurate, quo sic ille de regni possessione securus, sub *Andreae* tutela apud Hungaros adolesceret. Postquam legatus anno

(a) Certum id est ex literis Bonifacii A. 1299. die XII. Martii ad Gregorium electum Strigoniensem datis, quas vide in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 366.

1298. in Hungariam peruenit, prouinciam 1298  
 paulo, quam putarat, difficiliorem humeris  
 suis impositam sensit. Primus omnium *Mi-*  
*chael* episcopus Zagrabiensis fuit, in quo Ca-  
 rolinis partibus conciliando operam perdidit,  
 inde se recta ad *Ioannem de Ilmur* Colocen-  
 sem archiepiscopum contulit legatus, quod  
 maxima eum apud *Andream* gratia, et apud  
 omnes regni ordines autoritate pollere non  
 ignorabat, cuius si animum expugnasset, nil  
 dubitabat fore, ut ceteri quoque Hungariae  
 antistites, et proceres eius exemplum sine  
 mora sequerentur: verum hic quoque, vbi  
 mentem pontificis ex legato intellexit, ne-  
 gavit se, praelatos, et potiores ex Hunga-  
 riae primoribus in id consensuros, vt *An-*  
*drea*, legitimo rege adhuc superstite, quis-  
 quam aliis inaugurate, multo autem mi-  
 nime *Carolus*, qui aduersus gentis Hungari-  
 ae libertatem, vi sibi obtruderetur. Ex-  
 plorata hunc in modum Colocensis archiepi-  
 scopi, ceterorumque antistitum in tuendis re-  
 gis, regnique sui iuribus constantia, nil  
 deinceps propalam tentauit legatus, ac post-  
 quam *Andream* regem ex transitu salutasset,  
 negotio, ad quod venerat, minime perfecto,  
 iter suum in Poloniam prosecutus fuit (a). Ce-

(a) Apposite protus Chronicon Turotzii cap. LXXXIII.

Vt autem iste *Carolus* regnare valeret, et contra  
*Andream* regem potestatem accipere, papa lega-  
 tos vnum, et alium de latere suo contra *Andream*  
 regem pro *Carolo* destinavit, qui nihil agere va-  
 lentes ad propria redierunt. Vide histor. eccl.  
*Zagrab.* pag. 93.

terum memoratus legati pontificii per Hungariam transitus non mediocriter, ut postea patuit, res *Andreae* labefactauit: eius enim opera M. *Gregorius* recens electus Strigonien-fis archiepiscopus ad sectandas *Caroli* partes traductus, coniuratorum numerum auxit, atque autoritate sua eorumdem animos non erexit modo, verum etiam in proposito deinceps confirmauit. Erat is antea aulae regiae vicecaancellarius, et Albensis praepositus, post *Lodomerii* Sti. Boniensis archiepiscopi, sub ini-

**1298** tium anni 1298. sublati, obitum ab eiusdem ecclesiae canonicis electus: quo hominis non sati adhuc sibi cogniti animum diligentius exploraret, eoque certius sibi, et partibus Carolinis obstrictum haberet pontifex, palio eumdem ornare, ac in sede sua confirmare studiose tum quidem distulerat, postquam autem seu ex legato ipso *Nicolao* Ostiensi, seu ex aliis de propensis illius in *Carolum* studiis edoctus fuit, literis die XXVIII. Ian-

**1299** uarii A. 1299. datis, simul *Gregorium* in Albensi praepositura confirmauit, simul Strigoniensis ecclesiae tam in spiritualibus, quam in temporalibus administratore*ad beneplacitum suum* constituit(a). Quid plura? quo illius opera utilius deinceps, efficaciusque vteretur pontifex, nuncii apostolici dignitate,

(a) Vide literas Bonifacii VIII. editas a doctissimo Pray in specimine hierarchiae Hungaricae parte II. pag. 256.

tate , autoritateque instructo potestatem fecit , non suos modo suffraganeos , verum etiam Colocensem archiepiscopum cum eiusdem prouinciae episcopis , ac cuiuscumque demum status , et conditionis seculares mandatis suis minime obsequentes tam censuris ecclesiasticis , quam temporalibus poenis , atque multis castigandi (a) . Adeo ampla iurisdictio *Gregorio* concessa non ecclesiastico solum , verum seculari etiam omni vehementer displicuit , praesertim posquam ille propalam , magnoque cum strepitu eamdem in omnes exercere coepit : facta enim ad *Caroli* partes secessione , eos omnes , qui ob excussum *Andreae* regis iugum per diocefanos suos excommunicati erant , his inuitis , et reclamantibus , citra ullam poenitentiam ab anathemate soluere , loca interdicto variis in diocebus subiecta ab eodem liberare , cum rebellibus familiarius versari , et cum *Andreae* regis dignitati , tuin vero gentis Hungaricae libertati noxia inire consilia : in fide erga regem suum constantes aperte per-

(a) Testes sunt citatae superius literae , ac insuper protestatorum , et ad papam appellatorum Emerici , episcopi Varadiensis , instrumentum , *Andreae regis* , *Ioannis* archiepiscopi Colocensis , ceterorum item omnium episcoporum , nec non Baronum , et nobilium regni nomine , aduersus M. *Gregorium* , electum Strigonensem die VI. Iulii A. 1299. confectum , quod lege in Specimine Hierarchiae Hung. Part. II. pag. 160.

sequi: poenarum denique ab se tamquam nuncio apostolico infligendarum comminatione quamplurimos Carolinae factioni autorare non perhorruit. Ut autem turpi suae ab *Andrea* rege defectioni speciosum quoddam velum praetexeret, propalam questus fuit, sua electi archiepiscopi, et ecclesiae suae iura per eumdem grauiter laesa, violataque fuisse. Hunc in modum facem praeferente *Gregorio* et numerus coniuratorum non mediocriter crevit et audacia, partiumque odia ad mutuas insectationes, bonorum direptiones, ac caedes ipsas procefferunt. Ne mala haec ultimum aliquando regno exitium allatura vterius serperent, tempestive prohibitus *Andreas*, ea adhibuit remedia, quae insignem illius prudentiam, animique aequitatem commendant. Cum dissidia domestica non alio fere ex capite, quam ob immoderata *Mariae* Neapolitanae pro filio primum, nunc autem nepote *Carolo* ad solium Hungaricum euehendo studia ortum duxerint, ac ob fauentem illi in hoc *Bonifacii VIII.* voluntatem vehementius increuerint: ineunte ae-

1299

state A. 1299. generalia regni comitia *in locum Rakos prope Budam ciuitatem situm* (a) conuocauit, vt communibus omnium consiliis deliberaretur de ratione quadam reperienda, qua dissidentes partes componi, turbataque regni tranquillitas posset restituiri: praeterea omnes Hungariae antistites duce

---

(a) Ita sonat instrumentum supra cit.

*Ioanne de Ilmur Colocensi archiepiscopo*, iisdem in comitiis pastorali officio suo con-  
genitam in dioeceses suas iurisdictionem fa-  
cram a noui nuncii apostolici, de cuius legi-  
tima missione nulli quidquam constabat, in-  
uasione, et usurpatione vindicatam, saluam  
sibi porro relinqu voluere. Quo autem  
*Gregorium* eo facilius ad co nitia pertraheret  
rex *Andreas*, praeter securitatem, quam  
*saluum conductum* dicimus, fidem insuper de-  
dit, se, quidquid iniuria, aut damni, seu  
ipsi, seu *Strigoniensi* ecclesiae intulisset,  
quam cumulatissime satisfacturum. Verum  
optima regis, ordinumque regni vota, opta-  
to effectu caruere: nemo quippe e Carolina-  
rum partium coniuratis comparuit, vt qui  
*Wesprimii* interea cum *Gregorio* alia multo  
in *Andreae* caput cudebant confilia: quin imo  
eo audaciae progressus fuit *Gregorius*, vt  
quo tempore rex *Andreas* cum suis de red-  
denda Hungariae salute deliberationes Ra-  
kosini habuere, literas per regnum sparse-  
rit, quibus *Ioannem* Colocensem archiepisco-  
pum, et praelatos reliquos sub poenis, et  
censuris a generalibus regni comitiis disce-  
dere, atque ad celebrandum se praeside con-  
uentum *Wesprimium* sine mora comparere  
iussit. Iniuriam hanc, et generalium comi-  
tiorum autoritati, et regis ipsius illic praes-  
sentis maiestati illatam et si graulter ferrent  
antifitites, vt tamen hominem nuncii aposto-  
lici titulis sibi prope erectum nouo huma-  
nitatis argumento aliquantum delinirent, re-  
ge, proceribusque non inuitis, *Paulum Stri-*

goniensem praepositum, et comitem *Henricum* e nobilium ordine detectum, oratores Wesprimium misere, qui eumdem iterum communi nomine ad comitia inuitarent, ac si hoc recusaret, id saltem impetrarent, ut literas, quibus nuncium apostolicum se creatum affirmabat, exhiberet, quo ex iisdem mens *Bonifacii VIII.* collataeque potestatis, ac iurisdictionis limites clare possent intelligi: abnuit vtrumque *Gregorius*, iraeque impetu correptus, grauissimis tam spiritualibus, quam temporalibus poenis se in Colocensem, et ceteros praelatos desaeuiturum comminatus fuit, nisi mandatis suis exemplo obsequerentur. Haec vbi ad comitia retulissent oratores, grauissima omnes in *Gregorium* commoti sunt indignatione, tamquam perturbatae quietis, salutisque domesticae reum, hostemque patriae praeципuum: vniuersus cumprimis cum regularis, tum secularis clerus eumdem ob violata contra sanctiones canonicas aliorum episcoporum iura, et exercitam in alienis dioceſibus iurisdictionem, nec minus ob familiarem cum facinorosis, perduellibus, atque idecirco iure excommunicatis consuetudinem, ecclesiasticis censuris innodatum esse existimauit, neque perpeti amplius voluit, vt is in metropolitana Strigoniensi sede per pontificem confirmaretur. Sic se communi inuidiae obiectum sentiens *Gregorius*, vimque declinaturus ex Hungaria erupit, ac ultra Drauum fluum ad S. crucem se recepit, tutius illic apud coniuratos pro *Carolo Illyrici* primores telam, quam

orsus erat, pertexturus. Cognita ea fuga  
comitiorum Rakosiensium patres, priusquam  
inde abscederent, publicum iustae suae in  
inuisum sibi caput indignationis testimonium  
edere constituerunt: itaque communi *Andreae*  
regis, *Ioannis* archiepiscopi Colocensis, reli-  
quorum item utriusque prouinciae Strigonien-  
sis, et Colocensis praelatorum, et capitulorum,  
nec non baronum, ac nobilium regni consensu,  
et nomine, solenne instrumentum die VI. Iulii  
A. 1299. concinnatum fuit, quo illis, quae 1299  
hic loci recensuimus, commemoratis, contra  
M. *Gregorium* electum Strigonensem pro-  
testatio, ac ad sedem apostolicam pro iusti-  
tia, et remedio appellatio est interposita (a).  
Atque haec totius gentis Hungaricae inter-  
cessio, et communis animorum a *Gregorio*  
alienatio id saltem apud *Bonifacium VIII.*  
pontificem effecit, vt is grauiorem in eccl-  
esia Hungarica perturbationem, schismataque  
veritus, porro etiam a submittendo clienti  
suo pallio, et confirmatione sibi abstinentium  
putauerit: cumque Hungarorum, ac cleri  
cumprimis in *Gregorium* odia ab *Andreae* re-  
gis morte aucta potius, quam restincta fu-  
erint, ad mortem usque pallio, et confirma-  
tione caruit, non alio vñquam, ac *electi Stri-*  
*goniensis* titulo tam a pontifice, quam ab a-  
liis compellatus (b). Imo vero A. 1301. Bo- 1301

(a) Vide Hierarchiae Hungaricae Part. II. loc. cit.

(b) Epistola synodica a Thoma Strigonensi archie-  
piscopo e concilio prouinciali in Vduard 1309.  
celebrato, data, habet: *Reuerendum virum bonaे*

*nifacius ne cleri Hungarici querimoniis locum daret, discessuro in Hungariam legato suo Nicolao Ostiensi seuere prohibuit, ne Gregorium confirmaret, et quia hominem sui impotentem ad regendam principem Hungariae ecclesiam minus idoneum esse competerat, de eo ab administratione remouendo, alioque viro magis idoneo eidem ecclesiae praeficiendo sollicite deliberauit (a). Haec diligentius, copiosiusque hic enarrare placuit, vt turbarum iis temporibus in Hungaria graffantium causae tanto clarius intelligerentur.*

### §. VIII.

*Carolus Robertus a coniuratis in regnum inducitur.*

DAM haec praeclare non minus, quam fortiter pro *Andrea III.* rege ab episcopis, et optimatibus geruntur in Hungaria, coniurati interea cum *Gregorio* electo Strigonienſi paulo vehementius animos in proposito obstinauerant, ac eo iam curas, cogitationesque omnes transtulere, vt *Carolum* quantocvus in Hungariam transmitti a *Maria* regi-

*memorine dominum Gregorium, quondam electum Strigonensem. In histor. episcop. Quinqueecclesiensis Tom. II. pag. 290.*

(a) Testes huius teneimus literas Bonifacii VIII. ad legatum suum e. a. die VIII. Novembris datas ex reg. Bonifacii pp. VIII. pontificatus VII. descriptas.

na impetrarent, rati fore, vt eius praesentia sensim vires, animique aduersae partis conciderent, superatisque difficultatibus regno ille demum pleno iure potiretur: itaque communi coniuratorum nomine oratores A. 1300. mittuntur, qui *Carolum* ad maturandum in Hungariam iter inuitarent, certamque spem facerent regni, vt primum eius fines attigisset, obtinendi. His, aliisque coniuratorum promissis animata *Maria* regina, *Carolum* nepotem classe, militeque instructum adulta aestate anni eiusdem Neapoli dimisit, Hungariam hereditario, vt ipsa rebatur, iure, et pontificis collatione iam suam occupatum. Appulit is Augusto mense Spalatum: vbi bimestre exegit, vt interea procerum, nobiliumque sibi fauentium animos, et vires exploraret: inde in coniuratorum comitatu Zagrabiam incolumis peruenit: vbi ab *Vgrino de Vylak*, pluribusque Hungaris regum in morem exceptus, ad obitum usque *Andreae* regis substitut, seu quod eius vires nollet in se concitare, seu quod lethali morbo correptum haud diu vitam producturum intellexerat: ac istud quidem nullo negotio praenuderi poterat, si verum est, quod non nulli tradunt, per quemdam factionis Neapolitanae venenum *Andreae* regi fuisse propinatum.

## §. IX.

*Andreas rex obit, et cum eo stirps virilis Arpadiana extinguitur.*

**A**nopinatus *Caroli* aduentus non parum curarum, et sollicitudinis *Andreae* regi attulit, aemulo enim tanto, in regno praesente, nulla deinceps domi quies, et securitas sperari poterat. Certe postquam Dalmatiae urbes aliquot, et dynastas, multos item e Croatiae, et Hungariae optimatibus a fide, obedientiaque sua discessisse, ac Carolinam factionem nouis in dies coniuratorum accessionibus crescere vidit, non abs re vereri coepit, ne illi quoque, quos ad id tempus in fide constantes habuit, aut multiplicibus aduersae partis machinis expugnarentur, aut aemuli potentia deuicti succumberent: vnde id demum eueniret, ut vel diadematæ, omni iure suo, vltro semet abdicaret, aut certe splendido *curatoris* munere ornatus, puer regi, vel potius eiusdem ministrorum libidini obtemperare cogeretur. Vtrumque vt ignorinia, periculique plenum excelso generosi principis animo minime tolerandum videbatur. Itaque contracta hinc animi aegritudine, aut, ut aliis placet, veneno sibi clam porrecto consumptus viuere desiit Budæ die 1301 XIV. Ianuarii A. 1301. Ibidem apud FF. Minores S. Francisci ad S. Ioannis euangeliæ sepultus(a). Ex priore coniuge *Fenen-*

---

(a) *Chronicon cap. LXXXIII.*

ad unicam reliquit filiam *Elisabetham*, quam infantem adhuc A. 1298. *Wenceslai Bohemiae* 1298 regis filio *Wenceslao* despondit: eadem haec sponsio nuptialis tum, cum sponsus ad solium Hungaricum aestate A. 1301. euocatus erat, 1301 ordinum regni voluntate renouata, stabilitaque fuit: verum ut sunt mentes, voluntatesque hominum inconstantes, postquam *Wenceslaus* turbas Hungariae pertaefus e regno excessit, sponsam quoque Hungaram non sine ignominia repudiauit: haec subinde rerum humanarum fastidio correpta, inter D. Dominici sorores Tholæ in Heluetia velum summis, pieque ibidem, ut vixit, obiit (a). Coniux quoque *Andreae* regis vidua *Agnes* Austriaca exactis aliquot in dotalio castro suo Posoniensi annis, A. 1308. Hungariam deseruit, piisque vacans operibus vitam ad annum vique 1364. produxit (b) Funus *Andreae* III. regis eo funestius toti genti Hungaricae accidere debuit, quod eodem una elata sit virilis stirps regia *Arpadiana*, ex qua inde a protorege S. Stephano trium seculorum intervallo unus supra viginti reges, plerique autem insigni cum laude, patriaeque commodo, rem Hungaricam moderati sunt. Profecto cuius foedam illam ab *Andrea* III. multorum de-

(a) Eius vitam lege in actis SS. Hungariae a doctissimo viro Ioanne Bapt. Prilefsky SS. Theologiae doctore editis Tyrnauiae A. 1743.

(b) Vide cl. Schier in reginis Hung. primae stirpis pag. 242.

fectionem accuratius examinamus, vehementer mirari subit: tot viros illustri domi loco natos reperiri potuisse, qui posita beneficiorum, per Arpadianae stirpis principes maioribus suis collatorum, memoria et oblitterata communi illa populis omnibus in domesticos reges suos propensione, adeo exiguam intereuntis in *Andrea III.* rege meritissimae illius familiae, cuius auspiciis Hungari ditionum suarum domini euaserant, rationem habuerint, ut cum ad eam conseruandam vires omnes, vitamque cum sanguine sacrare debuissent, illius funus accelerare non dubitauerint: sed nempe nulla in humanis tam firma sunt vincula, quae non auaritia, vel ambitione, spe, aut metu debilitari, frangique possiat.

### §. X.

*Carolus Robertus per factiosos Strigonii corona-*  
*natur.*

**V**bi primum *Andreae III.* mortis fama per regnum diuulgata fuit, *Matthaeus Omodaeus*, et *Vgrinus de Vylak* coniuratorum in Hungaria principes nullum iam votis suis obicem fore existimantes, recta Albamregiam proficisci, atque ibidem *Carolum manibus Gregorii* electi Strigonensis inaugurate decreuerunt: qua functione peracta, nil dubitabant fore, ut ceteri, qui antea *Andreae* causa *Carolo* aduersati sunt, eidem se se pronis voluntatibus submitterent: verum spe sua in-

signiter se delusos breui senserunt: *Ioannes* enim Colocensis archiepiscopus, reliqui antistites, et primores regni id, quod Carolina factio intendebat, tempestive subodorati, mox ab *Andreae* regis obitu, sacrof sanctum diadema, ceteraque insignia regalia in suam redegere potestatem, certi non ante haec fuis e manibus dimittere, quam postquam nouus rex non aliunde intrusus, sed liberis omnium ordinum in comitiis congregatorum suffragiis electus, eisdem ad inaugurationem suam opus habuerit. Id vbi Caroli fautores Albamregiam appulsi, ac ab urbe valido militum praesidio communita exclusi, cognouere, iter Strigonium usque prosecuti sunt: hic, quid facto opus esset, aliquamdiu deliberatum fuit, ad extremum placuit, ut non exspectatis, quae proxime indicenda erant, comitiis, *Carolus* alia quadam corona per *Gregorium* electum Strigonensem incingetur: id quod Februario mense A. 1301. tumultuarie potius, quam pro more, rituque gentis Hungaricae peractum fuit (*a*). Atque ab eo die *Carolus* deinceps annos regni numerare consuevit, quod tum per coniuratos Strigonii rex proclamatus, atque coronatus, regia appellatione uti cooperit, quin quidquam e summorum imperantium iuribus per plures annos exercere ei licuerit: regni enim 1301

(*a*) *Carolum Strigonii coronatum testantur literae Bonitacii VIII. A. 1303. datae, quas inspice in Annal. reg. Hung. Tom. I. pag. 374.*

habenās pro libidine dirigebant, prouentusque regios inter se partiebantur factionis principes, quos ne a se tum alienaret *Carolus*, eis obedire, quam imperare maluit (a).

### §. XI.

*Coronationi Caroli se opponunt episcopi, et multi e baronibus, regnique nobilibus.*

Inauguratio haec, nullis ante comitiis ad noui regis electionem iudicatis, nec suo loco, nec visitato diadematē plerisque praelatis, baronibus, et nobilibus non absētibus modo, verum etiam inuitis per paucos coniuratos peracta, grauiter a plerisque in Hungaria accepta fuit, causamque praebuit multiplicibus obstaculis, quae *Carolo* postea decennii fere interuallo sunt obiecta. Acriter itaque se mox Carolinae factioni opposuere: *Ioannes de Ilmur Colocensis archiepiscopus, Andreas Agriensis, Emericus Varadinensis, Haaba Vaciensis, Antonius Tsanadiensis, Ni-*

(a) *Recte chronicon cap. LXXXIV. Postea mortuo rege Andrea, barones regni eodem anno in duas partes celevius diuiduntur, ita quod Matthaeus Omodaeus, et Vgrinus potentissimi principes in regno, ac alii nobiles quamplures Caro' puerō adhaeserunt, et eum regem nominabant verbo, sed non facto. Eadem repetit cap. sequente: Regem appellabant nomine tantum, sed non re, vel effectu regimini, seu potestatis.*

*colaus Bossuensis*, et *Iacobus Scepusien-*  
*sis* (a) *episcopi*: tum e baronibus regni *Do-*  
*minicus de Hederuara tauernicus*, *Demetrius*  
*de Chák* *Nicolai Selauoniae bani filius*, co-  
*mnes Henricus*, et plurimi alii primi subzellii  
*viri*: qui omnes obstinauere *animum*, ad *Ca-*  
*rolum* a folio *Hungarico* remouendum ea pree-  
*fertim de causa*, ne, si datum sibi *Bonifacii*  
*VIII.* pontificis autoritate regem vltro ad-  
*mitterent*, suo ipsi facto, gentis *Hungaricae*  
*in eligendo rege libertati renunciasse*, iusque  
*collationis regni sedi apostolicae cessisse vi-*  
*derentur* (b). Postquam enim virilis stirps  
*Arpadiana* in *Andrea III.* defecit, neque vla-  
*la* *vñquam lege*, aut publica constitutione,  
*hereditaria* in *Hungaria* *succesio femineo*  
*sexui attributa fuit*, tota noui regis, qua-  
*cumque demum e domo accersendi optio ad*  
*libera gentis vniuersae suffragia deuoluta e-*  
*rat*, quapropter primo vere A. 1301. gene- 1301  
*ralia regni comitia Budam indicta sunt*, vt  
*illie rege liberis suffragiis electo*, gentis  
*Hungaricae libertas constabiliretur. Atque*  
*vtinam Caroli fautores vel hoc temporis ar-*  
*ticulo ad comitia comparere*, eorumdemque  
*votis Caroli fortis committere in animum*

(a) De Iacobo hoc vide cl. Wagner *Analectorum Scepusii Part. III.* pag. 13.

(b) Hanc ipsam causam refert *Turotzius chronicus cap. LXXXIV.* Ne, inquit, *regni liberi libertatem amitterent*, in *susceptione per ecclesiam dari regis*.

induxissent, euenire profecto poterat, vt patres non alium, quam *Carolum*, liberis nihilominus suffragiis eligerent: siveque coalescente vtraque parte, dissidiis domesticis finis imponeretur. Verum coniurati scenica illa Strigonensi coronatione, *Carolum* in solio iam collocatum, et confirmatum existimantes, comitiorum autoritatem agnoscere, non sine contemptus significatione, detrectarunt: iis igitur absentibus, potior regni ordinum pars ad constitutum locum, et diem conuenere: hic vbi communibus votis perlatum fuit, noui regis electionem ad solius gentis Hungaricae ius pertinere, varii variis e dominibus candidati, fuere propositi. *Ioannis* archiepiscopi Colocensis, viri aetate, et meritis conspicui, ac praecipui libertatis vindicis sententia fuit, talem imprimis ad solium euocandum, qui non secus, atque *Carolus* e regia stirpe Arpadiana maternum genus traheret, tum vero, qui propriis etiam viribus, ad tuendam aduersus factiosos dignitatem regiam, esset instructus: talem autem sibi videri *Wenceslaum* Bohemiae regem, e *Cunegunde* Gallicensi matre, auia autem *Anna Belae* IV. regis filia progenitum, principem consilio promptum, cuique nec aes, nec miles ad bellum, seu sustinendum, seu propulsandum deesset, vel certe vnicum eius filium pariter *Wenceslaum*, cuius electione vicinum, idemque validum Bohemiae regnum Hungarico posset coniungi: vix finem dicendi fecit Colocensis, cum continuo ab vniuersitis acclamatum fuit: *Vivat rex noster Wен-*

*ceslaus: placuit postea ipsum Ioannem Colocensem cum delectis ex utroque ordine viris Pragam ablegare oratores, qui factam generalium regni comitiorum autoritate electionem Wenceslao regi referrent, vnaque orarent, ut priusquam Carolina factio maiora caperet incrementa, ad oblatum sibi diadema capessendum iter in Hungariam maturaret: nec mora, legati, postquam cuncta ad legationem pro gentis Hungaricae dignitate peragendam necessaria compararunt, mensse Iulio eiusdem anni in Bohemiam sunt profecti (a).*

(a) Vide Chronicon Turozii cap. cit. et cl. Kerchel histor. eccl. Zagrab. pag. 98.



			Lin.	
26	N. a) consuis . . .		1	Consule
55	post Episcopatum We- sprimensein . . .		30	adde Vaciensis
60	N. c) Boßinaa . . .		2	Boßnia
128	cum . . .		19	tum
194	N. a) 1107 . . .		2	1007
215	posset. . .		21	possent
218	ptestate . . .		9	poteſtate
219	N. a) diuitius . . .		3	diuitis
221	Abque . . .		23	Atque
248	infimulatus . . .		1	infimulatus
252	10341 . . .		10	1034.
288	N. a) immundanda . . .		3	immunda
309	nomina . . .		22	nomine
ibid.	N. a) vedunt. . .		3	vadunt.
318	exeruifset . . .		16	exeruiffent
328	N. b) domui . . .		4	domni
330	N. b) Decet. . .		1	Docet.
379	§. VIII. . .		-	§. III.
521	auxilo . . .		14	auxilio
545	N. h) Austria . . .		6	Austria
584	N. a) auem . . .		3	autem
615	N. a) intervallo . . .		6	intervallo.
629	er . . .		18	er
633	N. a) miserabila . . .		1	miserabile.



ELENCHVS  
**MATERIARVM**  
 PARTIS PRIMAE.

---

HVNGARIA VETVS.

	Pag.
§. I. Hungariae regnum e variis regnis, et provinciis conformatum.	1
§. II. Hunorum, et Auarum in Europa imperii fata.	2
§. III. Hungarorum, seu Magyarorum e Scythia egressus, et itineris ratio.	4
§. IV. Russorum prudentia in remouendis e ditione sua Magyaris.	7
§. V. Cumanorum VII. capitanei suis cum agminibus, multique Russorum se iungunt Magyaris.	9
§. VI. Magyari superatis aliibus pedem in Hungaria figuraunt.	11
§. VII. Arpadus Almo patri in principatu succedit, ac belli deinceps gerendi rationem insigni prudentia definit.	12
§. VIII. Laetiissimi Hungarorum iuccessus in notis ditionibus subiugandis.	15
§. IX. Arpadus regnum Hungariae suos inter partitur.	18
§. X. Republicam Hungaricam sapienter ordinat.	1
§. XI. Ducum Hungariae series ad Geisam usque ducem.	25
§. XII. Religionis Christianae inter Hungaros initia.	28
§. XIII. Quid a Graecis sacerdotibus pro religione Christiana aetum in Hungaria? quid item a Latinis?	30
§. XIV. Propagata vtecumque re Christiana, Geisa filium suum Stephanum regni successorem constituit.	31
§. XV. Geisae, et Stephani filii baptisitus, huius item, et Giselae Bauarae nupiae.	36
§. XVI. Geisae ducis obitus, conitix, liberi, et propinqui.	40

HVNGARIA NOVA.

§. I. Status regni Hungarici generatim.	45
§. II. Reges, reginae, et duces Hungariae.	48

§. III. Inter quatuor regni Hungariei status, ordo Prae-latorum primus.	54
§. IV. Quinam olim Barones regni, et magnates? qui hodie his accensendi?	57
§. V. Peculiaris olim majorum, liberorum, ac perpetuum comitum in Hungaria dignitas explicatur, et exemplis illustratur.	63
§. VI. Tertius regni ordo nobium.	71
§. VII. Quartus status liberae, ac regiae ciuitates.	75
§. VIII. Quinam olim iohbagiones castri? qui vduarnici? qui denique regum populi?	79
§. IX. Nobiles praediales.	89
§. X. Ciues castri, liberi, serui castri, et hospites	91
§. XI. Variarum gentium populi Hungariae incolae	99
§. XII. Regna, quae olim Hungariae accessere.	111
§. XIII. Vetus regnum Hungaricam gubernandi ratio.	115
§. XIV. Res oeconomica.	124
§. XV. Vetus iudiciorum ratio.	136
§. XVI. Rei literariae in Hungaria fata.	139
§. XVII. Vetus ratio rei militaris.	169
§. XVIII. Turbarum domesticarum fontes.	179
§. XIX. Visitata historiae partitio.	183

## S. STEPHANVS PRIMVS REX.

§. I. Amplitudo regni Hungarici, cum illud S. Stephanus adiit.	184
§. II. Belli cum Cupa, duce Simeghiensi, occasio.	185
§. III. Prosper belli exitus.	188
§. IV. Curae S. Stephani ad propagandam Christianam religionem	193
§. V. Causa legationis Romanae	197
§. VI. Legationis Romanae exitus	199
§. VII. S. Stephani in regem inaugratio.	207
§. VIII. Undecim episcopatus a D. rege instituti, atque dotati.	210
§. IX. Noua regiminis Hungarici forma introducta	217
§. X. Conuentus regni ordinum a S. rege celebratus.	224
§. XI. Praecipuae leges ad ordinem sacrum spectantes	225
§. XII. Quaepiam leges ciuiles.	227
§. XIII. S. Emerici filii in spem regni institutio	232

Pag.

§. XIV. S. Emerici coniugium, et obitus	241
§. XV. Consilia D. Stephani de rege successore constituendo, Basiliique, Wazul dicti, ducis electio	242
§. XVI. Giselae, sororis S. Stephani, atrox iu domum regiam coniuratio	249
§. XVII. Ultimae S. Stephani curae, et obitus	263
§. XVIII. S. Stephani funeralio, encomia, eoniuix, ac liberi	267

## PETRVS REX II.

§. I. Petrus matris Giselae factione regno potitur.	272
§. II. In consulta Petri cum Hungaris agendi ratio	275
§. III. In Giselam Bauaram reginam, S. Stephani viduam, inhumanitas.	277
§. IV. Seditione domi coorta, Petrus exautoratur	281

## SAMVEL ABA REX III.

§. I. Samuel crudelibus artibus inaugurationem suam extorquet	286
§. II. Henrici caesaris conatus pro reducendo Petro irriti	290
§. III. Altera Henrici caesaris in Hungariam expeditio pace composita finitur	292
§. IV. Hungarorum a Samuele alienatio	294
§. V. Tertia Henrici III. in Hungaros expeditio: Samuels regni, et vitae finis	296

## PETRVS RESTITVTVS.

§. I. Petrus per Henricum III. regno restitutus.	300
§. II. Hungari suo cum rege clientelam S. R. imperii amplectuntur	303
§. III. Nona in Petrum regem coniuratio	305
§. IV. Hungarorum a fide Christiana defectio	309
§. V. Lugubris Petri regis interitus	312

## ANDREAS I. REX IV.

§. I. Andreas in regem iusaguratus religionem Christiam restituit	315
§. II. Henricum III. caesarem sibi conciliare nititur	318
§. III. Difficile cum Henrico III. caesare bellum sapienter gestum	319
§. IV. Honorifica, et utili Hungaricis pace terminatur	321
§. V. Andream inter, ac fratrem Belam ducem dissidiorum cause	329
§. VI. Belli fraterpi exitus, et Andreae mors	333
§. VII. Andreae regis encomia, coniux, ac liberi.	335

## BELA I. REX V.

§. I. Bela I. gentis Hungaricae voluntate inaugureatur	336
§. II. Insigni prudentia, et humanitate res suas constabiliunt	338
§. III. Nonnulla in subditorum commodum prouide, sapienterque constituta	340
§. IV. Foeda plebis seditio	342
§. V. Seuere coercita	344
§. VI. Belae regis praematurus obitus, coniux, et liberi	345

## SALAMON REX VI.

§. I. Salomon filiorum Belae I. regis consensu regno restituitur	349
§. II. Concordia regem inter, ac duces turbatur	351
§. III. Per solennia pacta restituuntur	353
§. IV. Geisae ducis opera Salomonis perutilis	355
§. V. Nouarum regem inter, ac ducem discordiarum cause	358
§. VI. Geisa insidias omnes eludit	361
§. VII. Infelix pugna Salomonis ad Vacuum	363
§. VIII. Inutiles conatus Salomonis, ad res suas in integrum restituendas	365

## GEISA I. REX VII.

§. I Geisa ordinum regni voluntate inauguratur	371
§. II Magnanimitas Geisae in restituendo Salamoni regno	376
§. III. Concordiae tractatio, Geisae obitus, coniux, et liberi	379

## S. LADISLAVS I. REX VIII.

§. I. Ladislaus nonnisi consentiente Salamone coronari se finit	382
§. II. Salomonis regis inconstantia, vicissitudines, et obitus	386
§. III. Prima Croatiae cum Hungaris coniunctio	392
§. IV. Veneti Hungarorum in Illyrico progressionibus obicem ponere conantur.	395
§. V. Cumani semel, ac iterum deuicti	397
§. VI. Russi Hungariae contermini in fidem recepti	399
§. VII. Decretorum S. Ladislai regis occasio	400
§. VIII. Leges quaedam contentus Szabolseensis	402
§. IX. Nonnullae constitutiones in S. monte Pannoniae promulgatae	405
§. X. Infausti Hungarorum in Russiam expeditio	407
§. XI. Ladislai obitus	409
§. XII. Eulogia	411
§. XIII. S. Ladislai coniux, liberi, atque propinqui	413

## COLOMANNVS REX IX.

§. I. Colomannus regnum adeptus, ducatum Almo duci cedit	415
§. II. Cruce signatos suere castigat	417
§. III. Croatia solennibus pactis Hungariae coniuncta	419
§. IV. Dalmatiae vrbes Colomanni imperio se subdunt	423
§. V. Nona legum patriarchum sub Colomanno rege colle- ctio	427
§. VI. Leges ecclesiasticae	428
§. VII. Leges ad ciuilem gubernationem, et oeconomi- cam rem spectantes	430.
§. VIII. Quid in legibus poenibus a Colomanno im- mutatum?	437

§. IX. Multiplex Almi ducis inconstans	438
§. X. Almus dux, eiusdemque filius Bela oculis orbantur	444
§. XI. Colomanni regis obitus, et encomia	447
§. XII. Colomanni coniuges, et liberi	450
§. XIII. Almi ducis liberi, fati, et mors	452

## STEPHANVS II. REX X.

§. I. Stephano II. regnum adeptio Dalmatia amittitur, rursumque recupera ur	454
§. II. Belli in Graecos suscepiti causae	457
§. III. Belli fortuna, et exitus	461
§. IV. Bela coecus, Almi filius, successor in regno constitutus	466
§. V. Stephanus regnum in Belam transfert, ac improlis obit	469
§. VI. Virtutes, et via regis Stephani	471

## BELA II. COECVS XI.

§. I. Quid negotii Belae cum Borichio	474
§. II. Coecitatis Belae regis autores seuere puniuntur	478
§. III. Belae II. regis encomia- et virtus	480
§. IV. Belae coeci regis coniux, liberi, et obitus	482

## GEISA II. REX XII.

§. I. Geisae II. regis inaugratio	484
§. II. Belli Austriae occasio	486
§. III. Memorabilis Geisae regis de Austriae victoria	488
§. IV. Belli Graeci causae, et exitus	491
§. V. Geisan inter, ac fratres duces discordiae	493
§. VI. Geisae regis obitus, et laudes	501
§. VII. Geisae coniux, et liberi	503

## STEPHANVS III. REX XIII.

§. I. Stephani III. successioni totis viribus obfistit Manuel imperator	505
--	-----

## LADISLAVS II. REX XIV.

§. I. Ladislaus rex inaugurator, ac paulo post obit	509
---	-----

## STEPHANVS IV. GRAECVS REX XV.

§. I. Stephanus IV. Graecus Ladislao fratri in solio succe- dit, ac inde depellitur	511
--	-----

## STEPHANVS III. RESTITVTVS.

§. I. Restituto in solium Stephano III. noua Manuelis de Hungaria consilia	514
§. II. Pax Hungarum honorifica cum Manuele componitur	517
§. III. Bellum exoritur, ac mox pace terminatur	519
§. IV. Stephani IV. Graeci noua contra Hungariam moli- mina, clades, et obitus	522
§. V. Bellum inde recrudescens Hungaris fatale	527
§. VI. Stephani III. coniux, obitus, et fata	528
§. VII. Quid in hierarchia Hungarica a Stephano III. constitutum	531

## BELA III. REX XVI.

§. I. Belae vicissitudines in aula Bizantina	533
§. II. Bela absens multorum ingratiss rex eligitur	537
§. III. Bela a Graecia redux per Celocensem archiepisco- pum inauguratur	541
§. IV. Seditio domestica recrudescit, et sevère castigatur	544
§. V. Bela fines Hungariae e Graecorum manibus vindicat	544

§. VI. Gallicia S. coronae Hungaricae dominio adiungitur	550
§. VII. Quaepiam sapienter, validiterque a Bela III. instituta	554
§. VIII. Belae III. obitus, memoria, coniuges, et liberi	557

## EMERICVS REX XVII.

§. I. Andreas dux complures provincias Emerico eripit	563
§. II. Pax inter fratres coalescit	567
§. III. Notis dissidiis inter fratres exortis Andreas capitatur	571
§. IV. Ladislai filii coronatio. Ultima Emerici voluntas, et mors	575
§. V. Emerici regis memoria	577

## LADISLAVS III. INFANS REX XVIII.

§. I. Pon ficiis de Ladislao rege infante paterna sollicitudo	579
§. II. Discordiae domesticae infantis regis morte sublatae	580

## ANDREAS II. IEROSOLYMITANVS REX XIX.

§. I. Andreas II. rerum in Hungaria positus	583
§. II. Princae turbarum domesticarum causae	584
§. III. Gertrudis reginae caelis minime vindicata	587
§. IV. Andreas expeditionem ierosolymitanam apparat	589
§. V. Expeditio ierosolymitana	595
§. VI. Andreas dominum redux perturbatam admodum reperit Hungariam	599
§. VII. De reti Andreae H. seu bullae aureae occasio	601
§. VIII. Bullae aureae capita paucis illustrata	604
§. IX. Nona dominus regiae, et regni perturbatione	623
§. X. Grauis in ecclesiasticos Hungariae tempestas exortatur	629

§. XI. Robertus Strigoniensis toti Hungariae sacris interdicit	633
§. XII. Andreas rex iurata dat cautionem de malis corrigendis	636
§. XIII. Bulla aurea clarius explicata renouatur	640
§. XIV. Res Hungaricae ad obitum regis perturbatae	652
§. XV. Andreae II. regis obitus, coniuges, et liberi	656

## BELA IV. REX XX.

§. I. Bela rex regnum a iusta severitate orditur	659
§. II. Morbos reipublicae a radice curare aggreditur	661
§. III Seditio domestica feliciter compressa	666
§. IV. Cum nanorum in Hungariam immigratio	669
§. V. Peccatum Hungariae status ante irruptionem Tartarorum	671
§. VI. Incredibilis ad apparandum bellum domi socordia	673
§. VII. Funesta clades ad Saionem accepta	676
§. VIII. Friderici Austriae ducis in fugitiuum regem inhumanitas	679
§. IX. Triste Hungariae excidium.	681
§. X. Belae regis e Dalmatia in Hungariam redditus	684
§. XI. Regis ad restaurandam Hungariam studia	686
§. XII. Friderici Austriae ducis caedes	692
§. XIII. Bella Hungaros inter, ac Bohemos Austriae successionis causa	694
§. XIV. Dissidia patrem inter, ac filium optata pace terminantur	697
§. XV. Belae regis obitus, et memoria	700
§. XVI. Belae IV. coniux, ac liberi.	702

## STEPHANVS V. REX XXI.

§. I. Bellum cum Ottoçaro improspere gestum	704
§. II. Stephani V. obitus, coniux, et liberi	705


## LADISLAVS IV. REX XXII.

§. I. Ladislaus IV. in pueritia regnum adit	708
§. II. Ladislaus IV. cum Rudolpho I. imperatore foedus init contra Ottocarum.	711
§. III. Bellum cum Ottocaro Habsburgicae domui utilissimum	714
§. IV. Ladislai IV. indoles depravatur maximo religionis, et regni damno	716
§. V. Malis remedium adferre conatur legatus pontificius	721
§. VI Synodi Budensis acta, et exitus	724
§. VII. Ladislaus poenitudine tactus anteactae vitae erro- res retractat	732
§. VIII. In priore <i>ep</i> vita <i>e</i> licentiam relapsus a proceribus regni honestae custodiae datur	733
§. IX. Cumani ad tyrannide <i>m</i> aspirantes opprimuntur	736
§. X. Noua Tartarorum in Hungariam irruptio profigata	738
§. XI. Rege <i>in</i> pristina vita <i>re</i> deunte, misera Hungariae dirept <i>io</i>	740
§. XII. Ladislaus rex per Cumanos interficitur.	744

## ANDREAS III. VENETVS, REX XXIII.

§. I. Andreas III. legitimo iure coronam Hungariae adipiscitur	746
§. II. Mariae, Neapolitanae reginae, conatus ad intru- dendum solio Hungarico Carolum Martellum filium , Hungaricae gentis constantia irriti redduntur	750
§. III. Albertus Austriacus a iuribus suis in coronam Hungariae persequendis prohibetur	753
§. IV. Caroli Martelli pro adipiscenda Hungariae corona conatus irriti	756
§. V. Andreae regis studia ad retinendos in fide Hungaros	760
§. VI. Secularium regni optimatum ab Andrea rege defectio	762
§. VII. Crescente factione Neapolitana grauissima domi diffidia enascuntur	766
§. VIII. Carolus Robertus a coniuratis in regnum indu- citur	774

§. IX. Andreas rex moritur, et cum eostirps virilis Arpadiana extinguitur	776
§. X. Carolus Robertus per factiosos Strignii coro- natur	778
§. XI. Coronationi Caroli se opponunt epiphysi, et multi e baronibus, regnique nobilibus.	780




---

B V D A E,  
TYPIS CATHARINAE LANDERER VIDVAE,

---





